Res.

K 24

Austr. 5468 (1,1

Szabó Dezső

iró-kiárusitott könyvtárából.

A könyv árát Szabó Dezső saját-

kezüleg vezette rá.

Franciscus Benkő, mp. de K. Ajta nobilis de Árkos, Comp. Wásárhelyini 1831. m. Junio e. fl.

14/V
681
57

TRANSSILVANIA.

SIVE

MAGNVS TRANSSILVANIAE PRINCIPATVS.

OLIM

DACIA MEDITERRANEA

DICTVS.

ORBI NONDVM SATIS COGNITVS.

NVNC MVLTIFARIAM, AT STRICTIM ILLVSTRATVS.

AVCTORE

IOSEPHO BENKÖ

TRANSSILVANO - SICVLO,

PAROCHO KÖZEP - AJTENSI ET NOTARIO VENER. DIOECESEOS ERDÖVIDEKENSIS HELVETICAE CONFESSIONI ADDICTORVM ORDINARIO.

PARS PRIOR SIVE GENERALIS.

TOM. I.

VINDOBONAE,

TYPIS IOSEPHI NOB. DE KVRTZBÖK, CAES. REG. AVLAE ILLYR. TYPOGRAPHI ET BIBLIOPOLAE.

MDCCLXXVIII.

A/71/432

Bayerische
Staatsbibliothek
München

Ecclesiast. Cap. IX. v. 13.

Convertens me, animadvertebam, ſub ſole non eſſe levium curſum, neque robuſtorum prælium, nec etiam ſapientum cibum, neque etiam prudentum divitias, neque etiam ſcitorum gratiam: ſed tempus & caſum accidere omnibus his.

Juxta verſionem Tremellii & Junii.

Bayerische
Staatsbibliothek
München

PRAEFATIO
AD
LECTOREM.

E Notitiam Rerum Transsilvanicarum, concisam licet, at omnigenam, iam à quadriennio, in iustam Systematis formam redigere volenti mihi, mille curæ animum incesserant. Quamvis enim, amore studii rerum patriarum ductus, à pluribus annis, tam edita Auctorum Opera, quàm Manuscripta, Transsilvaniam tangentia, gnaviter collegerim: multis tamen Instrumentis & Documentis, ad scopum meum facientibus, me carere, è summaria & prævia statim Operis dispositione pervidi.

Quadrinis igitur annis, varia Scripta, rariora Monimenta & Schedas, è compluribus Transsilvaniæ locis conquisivi, & plus 400. philyras propriâ manu descripsi: è quibus in

hunc Operis Tomum æquè ac ſequentes, multa ſanè tranſtuli; translaturus plura in HISTORIAM TRANSSILVANIAE THERESIANAM, quâ, ab anno nativitatis meæ, quæ incidit in diem 20. Dec. Anni 1740, Res Patriæ fuſè conſcribendas exorſus ſum. Et præterea, hoc quadrimo temporis intervallo, quingentas propemodùm epiſtolas, ad Transſilvanos Magnates, Nobiles, Parochos, aliosque exaravi, vix non totidem Reſponſorias, multarum, ad Cognitionem Transſilvaniæ, rerum bonarum, & Inſtrumentorum plenas ad me reportantes. Res multi ſudoris; ſed fortunata!

His ſtudiis & adiumentis eo perveni, ut nihil mihi facilius videretur, ac pleraque argumenta, quæ, tam Generali, quàm Speciali Parte, pertractavi, prolixo ſcribendi genere pertexere: aſt brevitati, qualem Syſtematis hujus ratio exigit, intentus maximopere, ita rerum, quas tradidi, pænè innumerabilium, ſummam complexus ſum, ut, quæ vel apud vulgum cognitæ eſſent, vel ſcriptores familiares omnium manibus verſandi, & paſſim à me citati, prodiderunt, breviſſimè recitarentur; quæ verò in rarioribus Auctoribus & Manuſcriptis leguntur, fuſiùs hìc elimarentur. Et certè ſtatueram apud me, ut Operis Pars Generalis uno, altero Pars Specialis Tomo, comprehenderentur; Partemque priorem ad hunc modulum concinnaveram: ſed Viennam miſſam & prelo commiſſam, ubi Dominus Joſephus Nobilis de Kurtzböck, Sacr. Cæſ. Reg. Majeſt. Typographus Illyrico-Aulicus (cujus liberalem in Res Transſilvanicas animum futu-

ra

ra docebunt) vidiſſet, decentem, quam octavam volebamus, formam, mole ſuâ exceſſuram, in duos Tomos, me omnino volente, digeſſit. Hinc itaque evenit, ut continuus paragraphorum numerus ex hoc Tomo in ſequentem transeat; tribus mox Tomis Partis Poſterioris novo ſingulatim §phorum numero incedentibus: hunc tamen, pariter & ſequentes, peculiari Indice inſtruendum cenſui, ut contenta Tomi unius, absque alterius ſubſidio, apud eos præſertim, quos aliquo horum carere contigerit, facilè requiri poſſent. In *Paragraphos* autem & eorum *Notas* totum Opus diſtinxi, ut ex his Domeſtici pleniorem, ex illis Extranei breviorem, ſibi tamen ſufficientem, notitiam haurirent.

Vacuum quaſi locum, me, hoc ſyſtematico ſcribendi genere Res Transſilvanicas tradentem, citra cujusquam invidiam, occupaſſe, æqui Lectores judicabunt: quibus, ſcilicet, non ignotum eſt, Scriptores Rerum noſtræ Patriæ, aut particulares materias tractaſſe, aut corticem rerum, non medullam, tetigiſſe; nec ullum univerſam Provinciæ cognitionem, antiquam & novam, in unum Scripti corpus, quale hoc erit, redegiſſe. Erunt ergo forſan, quibus lucubrationes placebunt, non hoc ſolùm nomine, quòd in his omnia in Notitiam Rerum Transſilvanicarum Capita, uno quaſi oculo contuebuntur; ſed cumprimis, quòd res majoris momenti, ex ipſis Comitiorum Decretis, quæ vulgò *Articuli Diætales* vocantur, & reliquas ex probatæ fidei Scriptoribus ac Monimentis, ſtabilitas conſpicient.

Nec dubito fore plures, qui hoc Opus, quo in publicum consulere volui intensiùs, fronte minùs serena accipiant: at illis placere cur conarer; cum nec mihi ipsi placeam? Multa enim, propter duplicis muneris mei Ecclesiastici curas, & inevitabiles occupationes domesticas, quæ omnibus horis animum distraxerunt, non ut optavi, sed ut potui, tumultuario quasi labore, cum veritate tamen convenienter, perscripsi: iis scriptionem relinquens ordinatiorem, qui & otio, & fortunâ fruuntur ampliore. His ergo incommodis imputandum, quæ fœtus ediderunt inmaturos, & tam honestâ scribendi provinciâ haud satis dignos.

Si qui tamen Stili (ut reliqua taceam) inæqualitatem, pro more hujus seculi, vitio mihi vertant: sciant, me simplicitate & fide compensare eam voluisse, ideoque non præcavisse, ut Scriptorum, quos sequutus sum, verba inmutata plerumque, Scripto meo intertexerem. Hinc factum est, ut vocabula, auream argenteamque ætatem minimè redolentia, sæpè admiserim, & cacographiam retinuerim: cum, ex adverso, toties Scriptores in Rebus ipsis vitiosè traditis correxerim; & ego ipse, à sinceris Viris, ubi abberraverim, tutò corrigendus. Probè novi, vocem *Alpes*, in plurali tantùm numero usum habere: adripui tamen à nonnullis Scriptoribus: *Alpis*, *Alpi*; quò intelligentiùs, non plures, sed singularem montem alpinum, designarem. Scio, *Plebeios*, non *Plebeos*, scribendum: ubi tamen de Siculis egi, *Plebeos* passim, communi ex usu, Actisque publicis, scripsi. Sed hæc & reli-

reliqua, soli forte Grammatici, nimiumque Critici, non condonabunt: si perpendant, non tam stilo, quàm veritati me studuisse. Vocabula quædam patria, ut: *Haritska*, *Török-buza*, cet, non consvetis apud nos nominibus expressi: sed nomina, quæ dedi, hodiernis Europæ Eruditis sunt familiaria. *Articuli Diætales*, quibus creberrimè usus sum, ab anno 1542. (quo primùm in Transsilvaniâ, ab Hungariæ Regno jam tum abstractâ, Comitia celebrari cæperunt,) usque annum 1714, non latinâ, ut nunc, sed hungaricâ lingvâ, exarabantur: illos tamen latinos ac contractos ut plurimùm, & obliquis sæpiùs litteris, adduxi, ex opere cujusdam Commissionis Cæsareo-Regiæ, quæ, non pridem, articulos, quosquos Excelsum Gubernium Regium repererat, contractos & latinè redditos, ad certa Capita egregie & fideliter collegit.

SVPPLEMENTA huic Tomo adnexui, ut, quæ concisè scripta sunt, quæque veritati contraria videntur aut sunt, explanarentur ac emendarentur: lectionem proinde commendo, quæ ultima primis componat. Sunt insuper multa, fortuitò quasi hic commemorata, quæ Posteriore in Parte prolixiùs tradentur.

Ad extremum, *Errata* quæ vocantur *typographica* plurima irrepserunt, & quidem insignia quædam ex Auctoris forsan abbreviaturâ, qua in scriptionibus suis non rarò utebatur: sed eorum graviora ad calcem consignata reperiuntur, leviora autem erudito Lectori obicem non ponent. Si quid, etiam ego ipse, in his erraverim; veniam dabunt, qui noverunt,

iis planè diebus, quibus Scriptum meum, formis chalcographicis excudendum, in Archiducalem Civitatem mittere pararem, filiolum ſvaviſſimum, in aqua exigua, anno 1775, 5. Aug. ſuffocatum, me luxiſſe; adeoque, à lectione hujus partis ultimâ, quæ debebat diligentiſſima, mærore præpeditum fuiſſe. Vale, Lector Benevole, bonique conſule. *Dabam in Sede Siculicali Miklósvár, Pago Közép-Ajta, Militibus Siculis Limitaneis Pedeſtris ac Equeſtris Ordinis, & nonnullis Magnatum Nobiliumque Subditis, culto, atque honeſtiſſimo; ſed à Bibliothecis Collegiorum Scholaſticorum Transſilvaniæ, & potioribus Privatorum, remoto; ideoque ad perſcribendas res patrias non ſatis idoneo, anno 1777, 28. Maji.*

CON-

CONSPECTUS OPERIS.

PARS PRIOR

Pandit Magni Principatûs Transsilvaniæ Cognitionem generatim.

TOM. I.

INTROITUS.

Definitionem Transsilvaniæ, ac Partis Prioris Divisionem in IV. Libros exhibet.

LIBER I. & CAP. I.

Quo traduntur Transsilvaniæ

Denominationes;

α. Geographicæ;

1. Hodiernæ; v. l. Latin. Transsilvania; Hung. *Erdély* Germ. Siebenbürgen.
2. Antiquæ: Dacia Mediterranea, Gothia & Gepidia.

β. Politica: Magnus Principatus.

LIBER II. & CAP. II.

Exhibet *Notitiam Mathematicam* Transsilvaniæ; & quidem

1. Ejus

1. Ejus Figuram. 2. Longitudinem.
3. Latitudinem. 4. Fines.

LIBER III.
&
Cap. III.

Aperit Notitiam Physicam Transsilvaniæ, quoad
1. Atmosphæram. 2. Tellurem.
In Tellure considerantur
α. Terra. β. Aqua.
Super has comparent tria Naturæ Regna:
1. *Regnum Lapideum*, tribus, v l. Petrarum, Minerarum ac Fossilium, Classibus.
2. *Regnum Vegetabile* offert, *priore Classe:* Arbores & Frutices, tam domesticas, quàm silvestres; *posteriore*: Herbas cultas æquè ac spontaneas.
3. *Regnum Animale* educit Classes Mammalium, Avium, Amphibiorum, Piscium, Insectorum & Vermium.

LIBER IV.

Docet *Politicam* Transsilvaniæ Cognitionem, agitque

I. SEGMENTO

De Imperantibus Transsilvaniæ.

Cap. IV.

De Personis Imperantium, & quidem
A. De Primis Transsilvaniæ Ducibus.
B. De Regibus Hungariæ, qui Transsilvaniam possederunt.
C. De Ducibus & Wajvodis Transsilvaniæ, qui, auspiciis Regum, Provinciæ præfuêre.
D. De Patriis Principibus.
E. De Hæreditariis Principibus AUSTRIACIS.

Cap.

CAP. V.

De Imperantis Succeſſione, Juribus, Proventibus & Expenſis.

II. SEGMENTO

De Subditis Transſilvaniæ.

CAP. VI.

α. Quoad Nationem.

A. De Nationibus Vnitis, puta:
1. Hungaris, 2 Siculis, 3 Saxonibus.

B. De Nationibus Toleratis, v. l:
1 Valachis, 2 Armenis, 3 Græcis, 4 Judæis, 5 Moravis, 6 Polonis, 7 Ruſſis, 8 Bulgaris, 9 Serviis, 10 Sclavis, 11 Zingaris.

CAP. VII.

β. Quoad Prærogativam.

De Nobilibus & Ignobilibus.

TOM. II.

III. SEGMENTO

De Adminiſtratione M. Principatûs Transſilvaniæ, quæ eſt: POLITICA, JVDICIARIA, CAMERALIS, MILITARIS, & ECCLESIASTICA.

CAP. VIII.

I. De *Adminiſtratione Politica*, quæ fit:
1. Per Comitia ſive Diætas.
2. Cancellariam Regiam Aulicam.
3. Gubernium Regium. Hoc verò habet etiam in & ſub ſe: Cancellariam Provincialem, Commiſſionem Militarem Mixtam, Commiſſ. in Contributionalibus, Commiſſ. Commercialem, Commiſſ. Sanitatis, & Commiſſionem Cenſuræ Librorum.
4. Supremum Commiſſariatum Provincialem.

5. Per

5. Per Continuas Tabulas Comitatuum, Districtuum, & Sedium Siculicalium.
6. Per Magistratus Civitatum & Oppidorum.
7. Per Judices & Juratos Pagorum.

CAP. IX.

II. De *Administratione Judiciaria*, quæ (præter Judicatum Pagensem; Continuas Tabulas Comitatuum, Districtuum, Sediumque Siculicalium; item, præter Magistratus, Civitatum & Oppidorum; nec non Gubernium Regium) fit:
1. Per Inclitam Tabulam Regiam Judiciariam.
2. Per Forum Productionale, &
3. Forum Dominale.

CAP. X.

III. De *Administratione Camerali* sive *Thesaurariali*.

Huc pertinent:

1. Regius Thesaurariatus. Huic
2. Subordinata Dicasteria; & quidem

α. *Politico-Cameralia*, videlicet: Salis Perceptoratus, Officia Tricesimalia, Provisoratus in Bonis Fiscalibus, Arendæ Perceptoratus in Comitatibus, & Decimarum Administratio in Fundo Regio.

β. *Montanistico-& Monetario-Cameralia*, ut: Judicium Montanisticum, Officium Monetarium, Officium Montanum Zalathnense & Radnense, Auri Campsoratus, Auri Loturæ Provisoratus, Res Ustoria, Officium Rei Silvestris Regium, Provisoratus Dominiorum Montanorum Zalathna & Vajda-Húnyad.

CAP. XI.

IV. De *Statu Militari*.

Cujus fuit Periodus

1ma, sub antiquis Hungariæ Regibus
2da, sub Patriis Provinciæ Principibus.

3tia,

3^{tia}, ſub Aug. Leopoldo M. Imperatore.
4ta, ſub Aug. Carolo VI, & Sacratiſſimis Ejus Hæredibus.

Status Militaris Transſilvanici Corpus geminum eſt. *Vnum* complectitur

α. Militiam Campeſtrem; *Alterum*

β. Limitaneam. Et quidem:

a. Militiam Siculicam; in qua ſunt:
1. Inclita Prima Legio Siculica Pedeſtris Ordinis.
2. I. Secunda Legio Sic. Ped. Ord.

b. Militiam Valachicam; in qua cenſentur:
1. I. Prima Legio Valachica Ped. Ord.
2. I. Secunda Legio Val. Ped. Ord.

c. Incl. Legionem Equeſtrem Valacho-Siculicam.

Adminiſtratio Militaris, ſpecialiter in Legionibus peragitur per Legionum ac Centuriarum Officiales; generaliter autem, per

Supremam Cæſareo-Regiam Armorum Præfecturam; Cui, præter Legiones, ſubſunt:
1. Delegatum Cæſareo-Regium Militare Judicium.
2. Commiſſio C. R. Authorizata in Re Sanitatis.
3. Forum Superreviſorium mixtum.
4. Commiſſariatus Bellicus.
5. Officium Rei Militaris Architectonicum.
6. Officium Rei Armamentariæ Bellicum.
7. Præſidiorum Civitatumque Commendatura.

CAP. XII.

V. De *Statu Eccleſiaſtico*.

Huc pertinent
Res Sacra & Litteraria.

A. In Re Sacra conſiderandæ ſunt:
I. Quatuor Receptæ Religiones, puta: Romano-Catholica, Reformata ſeu Helveticæ Confeſſioni addicta, Lutherana ſive Auguſtanæ Confeſſionis, & Vnitaria ſive Antitrinitaria.
II. Religiones Toleratæ.

CAP.

CAP. XIII.
De Religione Romano-Catholica, ejusque
1. Episcopis Albensibus; ac episcopatu quoque Milkoviensi.
2. Capitulo Albensi.
3. Districtibus Archidiaconalibus.
4. Ecclesiis Parochialibus.
5. Ordinibus Religiosis.
CAP. XIV.
De Religione Helveticæ Confessioni addicta, & ejus
1. Ortu, Progressu, ac Confessione.
2. Superintendentibus.
3. Diœcesibus ac earum Senioribus.
4. Verbi Divini Ministris.
CAP. XV.
De Religione Aug. Confessioni addicta, ejusque:
1. Ortu, Progressu & Confessione.
2. Superintendentibus.
3. Capitulis, Decanis & Parochis.
CAP. XVI.
De Religione Vnitaria.
Ejus itaque
1. Ortu, Progressu & Confessione.
2. Superintendentibus.
3. Tractibus & eorum Senioribus.
CAP. XVII.
De Religionibus Toleratis:
1. Græci Ritûs Orientali.
2. Judaica Judæorum.
CAP. XVIII.
B. De Re Litteraria in Transsilvania.
Apud
1. Romano-Catholicos: Claudiopoli, Albæ-Carolinæ, Areapoli, Csik-Somlyoviæ, Mediæ, Bistricii, *cet.*
2. Helveticæ Confessioni Addictos: Nagy-

Enye-

Enyedini, Claudiopoli, Agropoli ſive Marus-Váſárhelyini, Areapoli ſive Udvarhelyini, Saxopoli, &c.

3. Lutheranos: Cibinii, Coronæ, Schæsburgi, Mediæ, Biſtricii, *cet.*

4. Vnitarios: Claudiopoli, Tordæ, &c.

5. Apud Valachos: Balásfalvæ, Coronæ.

CAP. XIX.

De Typographeis Transſilvanicis.

CAP. XX.

De Eruditis Transſilvaniæ, & iis cumprimis, qui editis in lucem Operibus inclaruerunt.

I. Seculo XVIto:

1. Romano-Catholici.
2. Helveticæ Confeſſioni Addicti.
3. Auguſtanæ Confeſſioni Addicti.
4. Vnitarii.

II. Seculo XVIImo:

1. R-Catholici. 2. Helv. Conf. Addicti. 3. Aug. Conf. Addicti. 4. Vnitarii.

III. Seculo XVIIIvo:

1. Romano-Catholici. 2. Helv. Conf. Addicti. 3. Aug. Conf. Addicti. 4. Vnitarii.

Finis Partis Prioris.

PARS POSTERIOR

In tres Tomos diviſa, Tomo I. *Terram Hungarorum*; Tomo II. *Terram Siculorum*; Tomo III. *Terram Saxonum*, ita ſpeciatim tradet, ut cujuslibet Comitatûs atque Sedis *Nomen*, *Limites*, *Quantitas*, *Qualitas*, *Res memorabiles*, *Incolæ*, *Regio*; poſteaque Locorum cunctorum *Civitates*, *Oppida*, *Pagi*, deſcribantur; ac denique Capitibus quibuslibet, *Res Eccleſiaſticæ*, *Litterariæ* & *Militares*, adnectantur.

TOM.

TOM. III.

INGRESSIO.

Transsilvania dividitur in

1. *Terram* seu Comitatus *Hungarorum*.
2. *Terram* sive Sedes *Siculorum*.
3. *Terram* seu Sedes *Saxonum*.

LIBER I.

De Terra Hungarorum.

Tribus Sectionibus absolvitur.

I. SECTIO

Complectitur

Comitatus Provinciales dictos; qui ad Transsilvaniam ab antiquo pertinuerunt, agitque:

CAP. I.

De Comitatu Albensi Superiore.

CAP. II.

De Comitatu Albensi Inferiore.

CAP. III.

De Comitatu Küküllö, s. Küküllensi.

CAP. IV.

De Comitatu Tordensi.

CAP. V.

De Comitatu Colosensi.

CAP. VI.

De Comitatu Dobocensi.

CAP. VII.

De Comitatu Szólnok Interiore.

CAP. VIII.

De Comitatu Hunyadensi.

II. SECTIO

tradit

Comitatus ex Hungariæ territorio Transsilvaniæ *applicatos*, agitque

CAP.

Cap. IX. De Comitatu Szólnok Mediocri.
Cap. X. De Comitatu Krasznensi.
Cap. XI. De Comitatu Zarándensi.

III. SECTIO.

De Duobus Districtibus.

Cap. XII. De Districtu Fagarasensi.
Cap. XIII. De Districtu Kövárensi.

TOM. IV.

LIBER II.

Capite I.

Sive Præambulo disserit de Siculis in genere. De Terra verò Siculorum quinas Sectiones habet.

I. SECTIO

Sedes Siculicales, puta: *Udvarhely* primariam, & ejus Filiales *Keresztur* atque *Bardotz*, uni Supremo Judici Regio addictas pertractat, agitque

Cap. II. De Sede Udvarhely.
Cap. III. De Sede Keresztur.
Cap. IV. De Sede Bardotz.

II. SECTIO.

Tres, vel veriùs Quatuor, Sedes Sicul. *Háromszék* (i. e. tres Sedes) dictas, v. l. *Sepsi*, *Kézdi*, *Orbai* & *Miklósvár*, uno Supremo Judice Regio gaudentes, exponit.

Cap. V. De Quatuor Sedibus generaliter.
Cap. VI. De Sede Sepsi.
Cap. VII. De Sede Kézdi.
Cap. VIII. De Sede Orbai.
Cap. IX. De Sede Miklosvár.

III. SE-

III. SECTIO.

Deſcribit Sedes *Csik* utrasque, *Superiorem*, nempe & *Inferiorem*, Filialesque *Gyergyó* & *Káſzon*, ſub uno Supremo Judice Regio exſiſtentes.

CAP. X. De Sede Csik gemina.
CAP. XII. De Sede Gyergyó.
CAP. XI. De Sede Káſzon.

IV. SECTIO.

CAP. XIII. De Sede Marus.

V. SECTIO.

CAP. XIV. De Sede Arannyas, ſeu Aurata.

TOM. V.

LIBER III.

De Terra Saxonum.

CAP. I.

De Saxonibus generatim, eorumque Sedibus ac Diſtrictibus.

CAP. II.

De Sede Cibinienſi, ejusque Filialibus *Szeliſte* & *Talmáts*.

CAP. III. De Sede Schæsburgenſi.
CAP. IV. De Diſtrictu Barcenſi ſeu Coronenſi.
CAP. V. De Sede Medienſi.
CAP. VI. De Diſtrictu Biſtricienſi.
CAP. VII. De Sede Sabeſenſi.
CAP. VIII. De Sede Nagy-Sinkenſi, ſive Groſsſchenkenſi.
CAP. IX. De Sede Rupenſi.
CAP. X. De Sede Mercurienſi.
CAP. XI. De Sede Ujegyházenſi ſeu Leſchkirchenſi.
CAP. XII. De Sede Száſzvároſenſi ſ. Broſenſi.

Tantum.

MAGNI
TRANSSILVANIAE
PRINCIPATÛS
COGNITIO GENERALIS.

INTROITUS.

§. I.

MAGNUS TRANSSILVANIAE PRINCIPATUS, est Regio Europæ, Hungariæ affinis, cœlo ac solo commoda, pro variis Incolis variè ad habitandum divisa; cujus diversæ Nationes, Lege Religioneque inter se differentes, Hereditario subditæ sunt PRINCIPI.

§. II.

Qualis qualis hæc descriptio, GENERALEM *equidem ac* SPECIALEM *Transsilvaniæ Notitiam injungit: nos tamen ea nunc solùm tradimus, quæ ad Generalem Notitiam pertinent.*

§. III.

Ad hanc verò pertinent, Transsilvaniæ: 1. ADPELLATIO. 2. NOTITIA MATHEMATICA. 3. PHYSICA. 4. POLITICA; *quæ totidem Libris exponuntur.*

LIBER PRIMVS
ET
CAPVT I.
DE
PRINCIPATVS TRANSSILVANIAE ADPELLATIONE.

§. IV.

Adpellatio Transsilvaniæ alia *Geographica*, alia *Politica* est: *Transsilvania* enim, cum cognatis nominibus, ad Geographi-

phi-

phicam; *Magnus Principatus* verò ad Politicam ejus denominationem, pertinent.

§. V.

I. Quantum ad GEOGRAPHICAM Regionis Adpellationem: Ea nunc latinè loquentibus, TRANSSILVANIA [1], Hungaris ERDÉLY [2], Germanis Siebenbürgen [3], audit; at olim diverſa diverſis temporibus ſortiebatur nomina, qualia ſunt: *a.* DACIA MEDITERRANEA *b.* GOTHIA & *c.* GEPIDIA.

1. Regionis nomen *Tranſſilvania* in Aula Regum Hungariæ natum eſt, ac omnium primùm ætate Andreæ II. & Belæ IV. Regum, ita dici ſcribique occepit.† Poſtmodùm etiam *Ant. Bonfinius* in Hungarorum Hiſtoria, *Tranſſilvaniam* adpellitavit; quem ſecuti alii Hiſtoriographi, commune jam id nomen firmatum eſt, evidente quidem ratione. Conſvetum enim Hungariæ incolis erat, & eſt hodieque, eam Hungariæ partem, quæ Comitatus, cumprimis Szólnok mediocrem & Kraſzna, complectitur, *Silvaniam*, (Hung. *Szilágy*) ob ingentem Silvarum multitudinem, vocitare. Quumque *trans*itu per *Silvaniam*, Hungariæ civibus noſtra Regio pateret, hinc illi *Tranſſilvaniam* eam; & Reges, qui Hungariæ junctam poſſidebant, *Partes Tranſilvanas* vel *Tranſilvanienſes*, in Tabulis Regni, dixêre. Hac planè ratione, circa Seculum 12. dicta legitur

†. extante a. 1193. Sub Bela III. et a. 1204. Sub Emerico. Ulaikov. T. 1. p. 49.

Ultraſilvania: ſic quidem, ut ſubinde etiam in Diplomatibus Belæ IV. ubi de Transſilvaniæ Epiſcopis, Vajvodisque fit mentio, ut & ubique in *Hiſtoria Anonymi Belæ Regis Notarii*, nomine *Ultraſilvaniæ* inſigniatur. Prior tamen apud Hungaros prævaluit adpellatio, quam conjunxiſſe cum poſteriore videtur Rex Andreas II. in Privilegio conceſſo Transſilvanis Saxonibus, quos ibidem *ultra tranſilvanos* vocat. Plerique per y ſcribere *Tranſylvaniam* ſolent, ſed contra antiquos libros lapidesque: ſiquidem Silvam per *i*, non per *y* ſcribendam omnis antiquitas doceat. Porrò, cum gemino *ſſ* Transſilvaniam ſcribere, cum *P. Timone*, & Seculi XV. Viris (vt videre eſt paſſim in *Auctario Veliano*) mihi quidem perplacet. Contractè denique *Tranñia*, uſu communi, ſcribitur.

2. *Erdély*, abs Hungarico *Erdő*, (non ab *Erly*, vt putat P. Bombardus) quod *Silvam* ſignificat, dicitur, & adpoſitè quidem, quum tota ferinè Provincia, alpibus ſilvigeris cincta, adeò arboribus ſit conſita, vt plerumque, *vix ab uno Oppido vel Pago in alium detur tranſitus, niſi per ſilvoſos colles & montes*. Primis Hungarici Regni temporibus, etiam in Latinis literis, *Erdel*, *Erdeel*, & *Erdeleu* (perperam aliis *Herdeelen*, & Ritio *Herdechelis*) ſcribebatur; idque ultra an. 1130; deinde dicta legitur *Ultraſylvania*, ad extremum *Tranſylvania*. Valachis *Ardálu* & *Tzárá Erdélyáſzke*, Turcis *Erdel-Bán*, acceptis abs Hungaris vocabulis, nominatur.

3. Hujus denominationis ratio non eadem ab omnibus redditur. Quippe nonnulli à 7. primoribus

Hun-

J. 6.

Hungarorum Ducibus arcessunt; quasi ab iis 7. in Transsilvania Castra (Burg Germanis Castrum) dum hic transitum in Hungariam pararent, ædificata fuissent. Alii aliter paulò deducunt, scil. à 7. propriis Transsilvaniæ Comitatibus, eorumque Arcibus: adseritur enim, quemlibet Comitatum propriam habuisse Arcem, pro justitia, per Præfectum Comitatûs ibidem administranda; unde Comitatus denominabatur. Quidam adserunt sic appellatam à 7. Urbibus Saxonicæ Nationis, quæ fuêre: *Bistricium*, *Cibinium*, *Claudiopolis*, *Corona*, *Media*, *Sabesus*, *Schæsburgum*. Ex hac denominatione (cujus reliquæ origines ex Auctoribus eruendæ) dixit Janus Pannonius *Septem Castrensem Regionem*; quem, eadem in nomenclatura imitati nonnulli sunt. Hinc etiam Sclavis, *Sedmo bradzka Kragina*, seu *Sedmo bradzka Zemé* appellatur.

§. VI.

a. Daciam Mediterraneam, aut pleniùs: *Provinciam Daciam Mediterraneam Consularem*, veteres Romani dixêre: *Daciam* quidem propter *Dacos* incolas; *Mediterraneam* [1] à situ, quem *Alpestrem* inter & *Ripensem* Daciam, medium tenebat; *Consularem* à regimine.

1. Pulcrè docet Auctor Veteris Daciæ, dum p. 2. infit: Vetus Dacia, pars Scythiæ Europeæ, ampla vastaque regio, à Tibisco Sarmatiæque montibus in Euxinum usque Pontum protensa, in

tres diſciſſa partes, totidem ſimul nomina ſortiebatur. Nam intra Tibiſci, Maruſij ac Chryſii fluminum ripas, & quidquid cis Iſtrum ad Euxinum uſque extenditur, *Ripenſi Daciæ*; reliqua contigua omnis illa regio, quam ſerò dixêre Valachiam, quæ nunc in Moldaviam à fluvio *Moldava* olim *Szeretho*, & Transalpinam dividitur, *Alpeſtri Daciæ* adhærebat; ſola verò ea pars, quæ in medio Silvarum ac montium coronæ in modum cingitur, *Dacia Mediterranea* dicta eſt. Hæc nobis nunc Tranſilvania *cet. Ita ille.* Laonicus *Pannodaciam* appellat, procul dubio, quod Pannoniæ junctam noverit.

§. VII.

Daci [1], genus hominum barbarum, *Getisque* origine & linguâ [2] cognatiſſimum [3], quantum conjicere licet, ex Aſiatica Scythia, velut Gentium officina, (non ex Scandinavia, vt Jornandes vult) ante Hiſtoricorum memoriam, in hanc, cui nomen à ſe dederunt [4], regionem profluxêre, Urbibus eam ornavêre, conſvetoque aliarum Gentium inſtituto, Reges, quorum auſpiciis reipublicæ bellorumque negotia tuerentur, populares [6]. ſibi præfecêre.

1. Non deſunt, qui *Dacos*, vetuſtiſſimos Transſilvaniæ habitatores & primos cives, à *Dais* Aſiaticæ Scythiæ populis, nomen genusque accepiſ-

ſe

ſe perhibent; nonnulli à ΛΑΙΣ, i.e. *pugna*, quum ii bellicoſi fuerint; alii à Scythico vocabulo *Dav* vel *Tav*, montem ſignificante, quod loca montoſa incoluerint, ſic adpellatos autumant. Abundet quisque ſua opinione; nobis nunc, cum Strabone, obſervandum, *Dacos* dictos fuiſſe etiam *Davos*.

2. Daciam ſemel inſeſſam, non ſoli Daci, ſed aliarum etiam vicinarum gentium promiſcua multitudo, eodem tempore, inhabitabat, vt: *Sarmatarum*, *Baſtarnarum*, *Biſſenorum*, *Ciagiſorum*, *Coſariorum*, *Cotenſiorum*, *Peucorum*, *Teuriſcorum*, *Trutungorum cet*, qui tamen peculiarem populum non conſtituebant. Sed *Getæ*, numerum populi ſingularis, rempublicam conſtituentis, expleverunt, Dacisque, teſte Trogo Pompejo, cognatione juncti fuerunt. Immò Lipſius ex Dione, Getarum populum Dacos fuiſſe docet. At credibile eſt, ſcriptorum, ſi Timonem & paucos excipias, teſtimonio, omnes ad occaſum habitantes *Dacos*, ad orientem verò Butſák verſus vergentes populos *Getas* nominatos fuiſſe. Apud Athenienſes in Comœdiis ſervi introducebantur, *Davi* æquè ac *Getæ* nominati. Denique *Getæ* ſunt ita dicti vel à ΓΕΣΙΣ, S. in T, more Græco mutato, quæ Romana pila ſunt; vel à *Gethere* Semi nepote (Gen. X. 23.) à quo ortos fuiſſe nonnulli autumant. Ii, pro diverſis Tribubus diverſimodè nominabantur, vt: *Maſſa-Getæ*, *Thira-Getæ*. *Thyſſa-Getæ*, *reliqu.* Vide, quæ *P. Pray. Annal. p.* 22. de Yetanis ſive *Yetis* conſignavit.

§. 7. 13.

3. Dacos ac Getas uno eodemque vſos fuiſſe idiomate, Trogus Pompejus cum Strabone, nos condocet. Aſt quæ fuerit ea, Gordius eſt nodus, quem dum ſolvere non poſſimus, ſecemus oportet, opinionem amplectendo probabiliorem; dicamusque, non Germanicam, vel aliam quamcunque, ſed veterem linguam Tataricam (cujus radix omnibus ſeptemtrionalibus populis, Cimbris imprimis, antiquitus inſerviebat) Dacos uſurpaſſe. Quumque linguæ vicinæ facile vicinis miſcentur; inde vero conſentaneum eſt, non Thracicam modo (quâ Getas ſive Gothos fuiſſe uſosPoſſidonius docet) ſed Græcam quoque lingvam ad hos translatam, ac corruptè ab his uſurpatam, ad eos item Dacicam translatam & mixtam fuiſſe. Huc faciunt verſus Naſonis inter Dacos Getasque exulis, dum Lib. 5. Triſt. Eleg. 2. canit: *Grajaque quod Getico mixta loquela ſono eſt.* Et Eleg. 7. *Mixta ſit hæc quamvis inter Grajosque Getasque.* Item: *In paucis exſtant Grajæ veſtigia lingvæ. Hæc quoque jam Getico barbara facta ſono.* Hoc vel maximè confirmatur, dum Græcorum etiam Coloniæ Lib. 3. Triſt. Eleg. 9. ſic meminit: *Huc quoque Mileto miſſi venere coloni. Inque Getis Grajas conſtituêre domos.* Porrò, Dacos Getasque Sarmaticâ etiam lingvâ fuiſſe uſos opinari licet, ex hoc Ovidii: *Nam didici Geticè Sarmaticèque loqui*, Lib. 3. Eleg. 12. Habet Vulcanius Tractatum de lingvâ Geticâ. vid. 586.

4. Adeo Dacorum nomen Regioni adhæſit, vt licet Græcis monarchiam obtinentibus, noſtra hæc Transſilvania, cum conterminis aliis regionibus, Thraciæ adnumeraretur, & ſub ejus appellatio-

ne

ne comprehenderetur: Romanis tamen perpetuò visum est, teste Pomponio, vt Daciæ nomen retineret.

5. Memorantur Daci, præter agriculturam ac pecuariam, Civitatibus ædificandis ac colendis dediti, fuêreque eorum Civitates florentissimæ: *Apulum*, *Amutrium*, *Dierna*, *Napuca*, *Patroissa*, *Phrateri*, *Pirum*, *Tiasum*, *Tiriscum*, *Zeugma*, *Rhuconium cet*, & in *Dáva* terminatæ: *Decídava*, *Rhamidava*, *Sandava*, *Singidava*, *Utidava cet*, vt videre est apud Ptolemæum, qui Antonino Imperii gubernacula moderante vivens, nobiliores 40 & amplius Urbes Dacicas enumeravit. Iidem Daci, Urbibus ac locis suis celebrioribus, *Zamolxidem*, prisco instituto, coluerunt: quam in rem videri omnino potest, *Haner. Eccl. Hist. Trans. p.* 17. *seq.* ubi locus *Mons Cogeono* nominatus, nostra ætate *Gogány* dicitur.

6. Dacia olim adnumerabatur Thraciæ, quæ Græco suberat Imperio, sicque Græcos aliquam in Dacos potestatem exercuisse, non ineptè augurari licet; sed ex tenebris illorum temporum, quibus obscurabatur Dacia, nihil certi de Græcæ Gentis Principibus Dacorum erui potest. Proinde, de iis nunc tantum Regibus agendum, quos Daci sibi sua è gente legebant; nec de iis omnibus, sed solùm gloriâ rerum gestarum alios superantibus. Sunt, qui primum Gentis Regem *Dacum* quendam fuisse opinantur, ab eoque gentem & regionem denominatam. Nos è *Veteri Dacia P. Franc. Fasching*, quo hoc Libro non modicum utimur, sequentes exscribimus:

a. SARMIS, Rex vetustus, quo regnante, Alex. Magnus, primo regni sui anno, teste Curtio, in Daciam cum exercitu movit, & occurrentem sibi Dacorum Triballorumque Regem S*armin*, Græcis *Sirmum*, prælio superavit. Ab hoc, inferioris Pannoniæ regio, & oppidum homonymum *Sirmium*, dicta sunt. Ab eodem Sarmatas quoque priscos Daciæ incolas, quasi *Sarmitas* fuisse nominatos, quos postea Græci & Latini Poëtæ dixêre *Sauromatas*, nonnullorum est opinio. Ab hoc pariter, Urbs, Getis *Sarmiz-Ogethusa*, Gothis *Sarmiz-Gothusa*, vulgò *Sarmizegethusa* adpellata, totius Daciæ metropolis, in finibus Transsilvaniæ meridionalibus, propè *Portam Ferream*, ædificata fuit. Ejus insuper de nomine Pagi *Sármás*, & *Sarmaság* fortè dicti sunt. Ex vetustissimis Daciæ Regibus *Sarmin* (Dacos verò Græcarum litterarum non expertes) fuisse, testatur ejus numisma argenteum, annis ab hinc plus quàm 160 Zamoscio in Dacia visum, ita tamen vetustate detritum, ut paucas litteras Græcas, easque abrasas haberet: ΑΡΜΙΣ ΣΙΛΕ, quæ luxata vocabula sic litterariarum rerum Curionibus leguntur: ΣΑΡΜΙΣ ΒΑΣΙΛΕΥΣ, i. e. *Sarmis Rex.*

b. COTISO, Dacorum ac Getarum Rex domi forisque præpotens, longò post tempore in Dacia regnabat, qui ipsam adeo perturbavit Romam, dominandique ejus repressit libidinem, ut penè de ipsa Urbe actum esse videretur, Horatiusque lugens carmen istud, *Lib.* 3. *Ode* 6. fuderit: *Penè occupatam seditionibus delevit Urbem Dacus.* Sed brevi postea, lyrâ suâ lætiùs sic insonuit;

nuit: *Mitte civiles ſuper Urbe curas, Occidit Daci Cotiſonis agmen Od. 8. ad Mæcenatem.* Auguſtus enim Cæſar, miſſo Cornelio Lentulo, tres Dacorum Duces cum magnis copiis in Pannonia delevit, ultra ulteriorem Danubii ripam reliquos repulit, citraque præſidia conſtituit, ſatis victoriæ putans poſſe illos prohibere; hoc modo autem Dacia non victa, ſed excluſa eſt. Quotiescunque enim concretus in gelu Danubius ripas jungebat, crebris Romanos premebant incurſionibus, infeſtique ferebantur in Pannoniam & Mœſiam, eorum tunc Provincias.

c. BÖERIBISTA, quibusdam *Berobiſta*, quo regnante, rurſum Octavianus Dacos impugnare, & iis tributum inponere cœperat, ac per Legionum Præfectum Vibium, Dacicas vix non occupaverat oras: aſt Daci tantis Romanorum conatibus, obviam cum ducentis ſuorum millibus ivêre, ac pertentatis utrinque viribus, ſucceſſu diu vario produxere bellum. Poſtremò, cæſis Barbaris, eorumque Boëribiſtâ Rege, vt habet Strabo, Ripenſem Daciam victores inſederunt Romani; quos tamen variè Daci infeſtabant. Toto deinde ſeculo, Marte ut plurimùm ſibi propitio, commiſſis ſæpenumero præliis, Daci Romanos fatigabant, atque ut è Svetonio, Tacito, aliisque apud Oroſium docemur Scriptoribus, Imperatores Romani, Tiberius, Caligula, Claudius, Veſpaſianus ac Domitianus, ſpe majore, quàm felicitate, bellum adverſus Dacos duxêre.

d. DOR-

d. DORPANEVS, qui Domitiano, homine ignavo, clavum Imperii tenente, cæſis fugatisque Rom. Legionibus, triumphavit. Hoc prælio vitam terminarunt, *Oppius Sabinus Conſularis*, & *Cornelius Fuſcus* Præfectus Cohortium Prætorianarum.

e. DECEBALVS, Regum Daciæ noviſſimus idemque clariſſimus, Romanis multùm terrificus, quo regnum obtinente, adeo contritæ exhauſtæque ſunt Rom. Legiones, ut Domitianus cum eo multo auro redemtam pacem A. C. 88. inierit colueritque; & 12. fermè annis Daci ab Urbe orbis Domina tributum ingens acceperint. Occiſo interim A. C. 98. Domitiano, ac ab ejus Succeſſore Imperatore Nervâ, in filium adoptivum electo *Ulpio Trajano* in Andaluſia Hiſpaniæ nato, & à Plutarcho virtutum ſcientiarumque præceptis ritè imbuto; idem Trajanus, primus extra Italiam genitus, ad Imperii Romani gubernacula ſedit. Is, vt maculam ſocordiâ Domitiani Romano nomini inuſtam deleret, bellum tributi loco, ex S. C. Dacis & Regi Decebalo, qui ex rebus geſtis magnos ſpiritus ſumſerat, A. C. 101. intulit, ea quidem fortitudine, ut occurrentem ſibi Decebalum, juxta Tordam Oppidum, in campo *Kereſztes Mezö* dicto, cum univerſis copiis victum attritumque fugaverit; tanta Romanorum quoque militum ſtrage, vt panniculi obligandis eorum vulneribus non ſufficerent: quem proinde in uſum, ſpecioſo facinore, ſuam Trajanus in lacinias concidit purpuram. Hoc quidem aliter paulò *P. Greg. Kolb*, in Serie Rom. Imperatorum p. 21.

re-

refert, & Dacorum in prælio victorum vulneribus obligandis suæmet non pepercisse chlamidi adserit; exemplo, *inquit*, suo docens, armatos milites, hostibus non solum infligere; sed & inflicta curare vulnera. In hujus rei memoriam, locus iste hodie *Prat de la Trajan* nominatur. Mox Trajanus Urbem Tarnis, seu Albam Juliam, nunc Carolinam, expugnat; Regiam quoque totius Daciæ metropolim *Sarmiz* . sive *Sarmizægetusam* cingit; Decebali legatis servilem in modum acceptis, Urbem victricibus armis subjicit. Regem tamen, vt Dio. Cassius scribit, flexo sibi genu supplicem, vitâ & dignitate, duris conditionibus, donat; quibus obnoxium, pacem vt deinceps coleret, Romanis vectigalem factum dimittit. At rebellantem, novo rursus bello Trajanus adgressus est. Non destitit interim Decebalus, conclamatis Daciæ rebus, suis incommodis consulere; cumque viribus minus tribueret, dolo agere enitens, in Mœsiam audacissimos quosque misisse memoratur, qui simulatâ fide ac profugio, Trajanum ex insidiis confoderent: sed patefacto maleficio, morte affecti sunt. Unde Romanus miles in rei gestæ memoriam, hoc epigramma suo Principi, in Pannonia, posuit: *Ubi eras Rhamnusia, ubi eras? Quantum abfuit, ne Roma lugeret; sed vivit Trajanus.* Irruente postea per *Portam Ferream* Trajano, in *Daciam Mediterraneam* aditu difficilem, & faucibus montium quasi clausam, cujus saltuum tenebras Dacicis leonibus insessas ejus expavebant antecessores; cum Decebalus virtuti Romanæ resistere non posset, ne hostibus lætiorem

rem victoriam redderet, infixo in præcordia pugione, ante portam Claudiopolitanam, vulgò *Hid Kapu* nominatam, vt fertur, vitam ſibi & imperium A. C. 102. ademit. De violenta ejus morte, loquitur ſaxum, cum inſcriptione: *Victoriæ Auguſti. Nonne tibi dixi Decebale, funeſtum eſt Herculem laceſſere. Non rectè feciſti, tua ipſe quod iaces manu. Sed te utcunque vicit Cæſar. Titus Sempronius Augur Auguſtalis.* Ejus tumulus, ad Devam Oppidum, teſte *Zamoſio*, ſitus eſſe exiſtimatur; ſed caput in triumphi augmentum Romam delatum, tantum plebi voluptatis exhibuit, quantum priùs ejus nomen terroris incuſſerat. Nuper admodùm, Albæ Juliæ, ſtatua ejus ex marmore fabrè facta, manca tamen & avulſo capite viſebatur. Priusquàm Decebalus mortem ſibi conſciſceret, ne victori, unà cum Regno, theſaurum, quem habeat opulentiſſimum, relinqueret; totum in imo Sargetiæ amnis vado, aſtu opportuno, recondidit. Derivato enim fluvio, terraque altiùs defoſſa, omnem gazam in cunicularem fornicem congeſſit, ſaxisque prægrandibus ac aggeribus ita communiit, ut ne humectari quidem poſſet, quidquid infra reconderetur. Mox amnem averſum in priſtinum alveum reduxit, captivos verò, quorum operâ ea in re uſus fuerat, ne index quisquam ſupereſſet, ad unum omnes interfecit. *Bicilis*, nonnullis *Biculus*, Decebali familiaris, cui ſoli omnia conſilia Rex credere ſolitus erat, poſt Regis interitum, in ſui quaſi redemtionem, Trajano aurum patefecit, quod confeſtim Romam ablatum eſt: ex eo, poſt erectum admirabilem in Danubio, haud procul

à

à *Severino* civitate, lapideum pontem; (cujus etiamnum rudera supersunt) Forum & Columna Trajani, ut Gellius L. 13. c. 23. refert, à Romanis erigi cœpta sunt. Thesauri Decebali inventionis historia innititur decantatissimæ huic ad *Várhely* repertæ Inscriptioni: *Jovi Inventori, Diti Patri, Terræ Matri, detectis Daciæ Thesauris, Divus Nerva Trajanus Cæs. Aug. votum solvit. Kölesério* quidem *p. 24. seqq.* fabulosi videntur hi thesauri: at *P. Timon Lib. I. Cap. 17. Imag. Antiq. Hung.* non sine ratione, remotos à fabulâ censet. † Sed, ut hoc diverticulo revertamur; Trajanus profligatis Dacis, Urbibus atque Oppidis eorum nullo negotio potitus est, reque ex sententia confecta, Romam profectus triumphum habuit, & *Dacici* (vt aliàs *Parthici*) cognomen à perdomita Dacia invenit. Dacici belli simulacra, eleganti artificio cælata hodiedum Romæ visuntur in cochlide Columnæ Trajanæ; cujus pugnæ seriem scitè expressam, non sine voluptate semet spectavisse refert Zamosius. *Vet. Dac. p.* 27. 28. Eadem Columna, inter cetera Dacicæ Expeditionis, memorabilia, exprimit facinus feminarum Dacicarum, quæ in Romanos ita sæviebant, ut captivos denudatos vivos facibus comburerent. *Köles. p.* 31.

§. VIII.

Dacis quidem alieni antea imperii impatientibus, A. C. 102. à Trajano devictis, hanc eorum regionem, victor Imperator in formam Romanæ Provin-

ciæ

ciæ redegit [1], Colonias Romanas eo deduxit [2]. Legiones duas v. l. Macedonicam V. & Geminam Piam Fidelem XIII. Provincialium præſidio addidit, ad propagandum Deorum ſuorum cultum Pontifices, Sacerdotes, Auguresque conſtituit, & Aurariarum Collegium erexit [3]: Romani tamen gloriæ ſuæ cupidiſſimi, non nomen novum ſubjugatæ Provinciæ inpoſuerunt, ſed DACIAM ſemper à prioribus habitatoribus dicere maluerunt.

1. Pleraque hoc §pho dicta, accuratè à Dione in vita Trajani referuntur. Subjugatæ verò à Romanis Daciæ (§. 7. *n. e.*) hiſtoriam, non inſulſâ expreſſam legimus fabulâ, in Opuſculo poëtico, ex Italorum Chronicis, Hungaricâ linguâ, per *Albertum Gergej* pridem elaborato, cui titulus eſt: *Hiſtoria egy ÁRGIRUS nevü Királyfiról, és egy TÜNDÉR SZÜZ LEÁNYRÓL*, vulgò *Argirus Hiſtoriája.* Introducitur hic *Argirus*, tamquam adoleſcens, patre *Acleto*, matre *Medenâ* natus, qui virginis, crines aureos habentis captus amore, poſt varia fata, peregrinationes, vitæque periclitationes, fictæ virginis patriam ac regalem attigit domum, ibique ſollemnes celebravit nuptias. Cujus narrationis brevis ſenſus ſic capiendus: tria hìc ſunt vocabula græca, ac totidem hungarica. Ex græcis, *Acletus* ſignificat *ſpoliatum gloriâ*,

quo

quo Urbs Roma, Romanusque Senatus ſubintelligitur. Roma enim multorum antea Regnorum domina, plurimùm ex ſuâ, per Dacorum aliarumque gentium victorias, gloriâ amiſerat. *Medena*, *Nihil* vel *Vacuum* denotat, & Italiam multùm eo tempore deflorentem exprimit. *Argyrus argentum* vi vocis ſignificat, & rectè *Trajanum* deſignat, qui *argentum* h. e. decus, gloria ac protector Romæ Italiæque exſtiterat, & qui Daciam, Romanarum per aliquot annos divitiarum exportantem, Romanæ ſubjecit poteſtati. *Virgo* proinde *Tün dér Szüz Leány* nuncupata, *Daciam* notat. Et nominatur quidem *Tündér*, vocabulo in lingua hungarica, id, quod ſe repentè oculis ſubducit, ſignificante: Dacia quippe montibus ac ſilvis continuis, tanquam latibulis occultabatur. *Leány*, i. e. *filia*, quatenus Regnum Dacicum, juvenilem quaſi ætatem habuiſſe fabulæ auctori credebatur. *Szüz*, h. e. *Virgo*, nulli enim exterarum gentium imperio, ante Trajanum ſubjecta fuiſſe exiſtimabatur. *Crines aurei* virgini adfinguntur, quibus eximius auri proventus Daciæ adumbratur. *Niſi memoratorum verſuum, poëticâ licet elegantia carentium, tanta apud juventutem, præcipuè plebejam, eſſet gratia, ut ejus, veræ inſtar hiſtoriæ, prælectio, ſacri alicujus codicilli in modum avidè expetatur; fabularum omnino amatoribus fabulæ explicatio relicta fuiſſet.*

2. *Colonias*, hoc eſt, Oppida, in quæ populus Romanus cives ſuos ad incolendum deduxit, (ut hoc pacto domitos ſubjectosque ſibi Dacos in officio retinerent, provinciæque the-

ſauris Romam ditarent) Dio, qui ſub Alexandro vixit, *Lib. LV. Hiſt.* quatuor in Dacia floruiſſe refert: *Ulpiam Auguſtam*, *Aquarum Vivarum*, *Perendaneſiorum*, & *Apulenſem.* Sed quum Trajanum ex toto Orbe Romano infinitas huc hominum copias, ad agros & Urbes colendas, transtuliſſe, ex Eutropio aliisque, conſtet: plures ſanè fuiſſe Colonias, non ſine ratione alii adſerunt; quos nunc nos quoque, propter antiquitatum Transſilvanicarum intelligentiam, ſecuti, ſequentes recenſemus.

a. *Colonia Ulpia Trajana*, ſive *Sarmizægethuſa*, quæ olim Decebali regia, totiusque Daciæ metropolis, antiquiſſimis temporibus, unico vocabulo *Sarmiz* à conditore, nominata legitur; ſed alterum quoque deinde nomen, *Æthuſa* vel *Ægethuſa*, ab Ægeo quodam vel Rege, vel auctore ejus Coloniæ, vt creditur, additum fuit. Aliis Æthuſa dicta exiſtimatur à Colonis Græcis Byzantinis, nam & Byzantium, Æthuſam nominatam fuiſſe, Volateranus ex Græcorum monumentis deducit. Hanc Trajanus Urbem ad omnem magnificentiam à ſe exornatam & renovatam *Ulpiam Trajanam* cognominavit. Nec veterem tamen ejus appellationem ipſos Romanos contemſiſſe teſtatur Inſcriptio talis apud *Lazium*: I. O. M. ROMVLO. PARENTI. MARTI. AVXILIATORI. FELICIBVS. AVSPICIIS. CAESARIS. DIVI. NERVAE. TRAIANI. AVGVSTI. CONDITA. COLONIA. DACICA. SARMIZ. PER. M. SCAVRIANVM. EIVS. PROPR.

Coa-

Coacervatis poſtea nominibus priſcis & recentibus, dicta fuit, *Colonia Ulpia Trajana Sarmiz*, vt & *Sarmiz - Ægethüſa*, vt animadvertit Zamoſius Cap. IV. & *Auctor. Vet. Dac.* vetuſtos lapides è Parietinis Romanorum erutos protulit, quorum unus *p.* 31. ſic habet : IMP. CAES. DIV. NERVAE TRAIANO. HADRIANO AVG. PONT. MAX. COS. III. PP. CVIVS VIRTVTE DACIA IMPERIO ADDITA FELIX EST. M. ARRIVS Q.R. COL. VLPIAE TRAI. SARMIZ. DEVOTVS NVMINI EIVS EX VOTO P. Alius lapis Romanus, in Comitatu Hunyadenſi ad vicum Valachicum Korneſd Ulpiæ vicinum, propter fanum in rubro marmore, priori ſeculo, teſte Zamoſio, ita ſupererat : IMP. CAES. ANTONINO. PIO. AVG. COLONIA SARMIZ AEGETHVSA. His inſignita nominibus Urbs, Provinciæ Rectoribus, qui Imperatorum nomine præerant, *Præſidesque* ac *Proprætores* appellabantur, domicilium præbuit. Sita verò ea fuit in *Diſtrictu Hátſzeg*, Comitatûs Hunyadenſis, ad Sargetiam amnem, in lenta planitie ex montibus defluente, inque Circi ſpeciem jugis perpetuis circumſepta, Ptolemæo, qui ea florente vixit, ſub 47. grad. elevationis. Inter omnes Daciæ antiquitates ac monumenta etiam atque etiam obſervari merentur vaſta ejus rudera priſcam magnificentiam teſtantia, Romanorumque veſtigiorum plena ; quæ, cum adjacente vico, ab accolis hungarico (non germanico, vt quidam, cum Ortelio, perperam ſcribunt) vocabulo *Várhely*, i. e. *Arcis locus*, Sclavonicè verò *Gradiſca* vocantur. Nec pro-

cul inde alia rudera, corrupto forſan Decebali nomine, *Veczel* appellantur. *Vid. Part. Spec. Vár-hely.* et in Spl. p. 507.

b. *Aquarum Vivarum*; quam *P. Fridv. p.* 10. ſine ulla dubitatione, ad Vicum *Arany-Kút* (i. e. *Puteum Auri*,) in parte Campeſtri Comitatûs Koloſenſis floruiſſe exiſtimat. *P. Timon* verò *Imag. Antiq. Hung. Cap.* 16. leviter opinari præficiſcinè adſerit *Jo. Tröſterum*, in *Antiqua & Nova Dacia*, *Aquas Vivas* quærentem & invenientem ad memoratum Vicum, qui (vt habet) cum Claudiopoli & Nova Arce Samoſiâ reddit triangulum: nec ille tamen, quod ſciam, ullis *Aquis Vivis*, ſitim hac in re explevit noſtram. Quod ad me adtinet; quamvis non citra rationem aliquam, Vicum, cujus meminimus, celebre illud nomen obtinuiſſe credam: ei tamen, Coloniæ Romanæ honores deferre, quod Studioſus adoleſcens ibi verſatus, nihil Romani, præter incolas Valachos, gentem, vt dicetur, Romanæ originis, expertus fuerim redolere, non ſuſtineo. Nec vidimus Lapides litteratos, Lateres Nummosque inibi repertos, nedum murorum veſtigia. Aſt in territorio Comitatûs Albenſis Superioris, ubi is, ex occidente, *Alutâ* fluvio à Sede Rupenſi Saxonum ſeparatur, novimus pagum haud obſcurum, cui à fonte vivo viciniſſimo (qui, ſupra vicum ortus, nec Sirio urgente copioſam deficit undam, nec ſæviente brumâ, conglaciari (vel certè raro & modicè) emiſſum ſinit rivum, eumque 5. molendinis tam brevi in Alutam decurſu ſervientem, & exiguo ſolùm rivulo, aliquot paſſibus ſub cu-

niculo

niculo ſtalactitem tophoſum generante, lapſo auctum,) nomen *Héviz*, aut plenius *Hév-Viz*, quod *Calidam aquam* ſignificat, adhæſit. Hujus in agro Alutæ adproximante, id eſt, pagum inter & Alutam, rudera quadrangularis Urbis Romanæ, haud tamen amplæ hodie ſunt conſpicua, dimidiam orgyam paſſim alta, cujus area ſecalinus ager eſt feraciſſimus. Quadratus, paucis ab hinc annis, Lapis ibi effoſſus, quem incolæ Ugrenſes abſtulêre, præcipuus fuit. Sunt & Lapides Romanis olim notati characteribus, in Curias Illuſtriſſimorum Loci Poſſeſſorum hinc delati, multum tamen detriti, nec perfectam patientes lectionem. Laterum vaſorumque fictilium Romani operis fragmentis nihil ibi frequentius. Numi argentei Imperatorum (Conſulum non item) annis nuperis legebantur copioſiſſimi; nec hodie aratores indefeſſæ inſpectationis his cimeliis fruſtrantur. Illuſtriſſimorum Comitum DD. TELEKI & HALLER, loci videlicet Poſſeſſorum nonnulli præcipuos poſſident ibi collectos. Impriinis autem Rev. ac Clar. D. *Mich. Huſzár* loci Parochus Helveticæ Confeſſionis, copiam Monetarum ab agricolis redemtarum poſſideret ingentem, niſi plurimorum deſideria Eruditorum ipſi partem abſtuliſſent potiorem. Rever. dum vivebat *Joan. Wáſárhelyi*, ibidem antea itidem Paſtor, ditiſſimus inde Romani erat argenti. Sacrorum quoque Inſtrumentorum, quibus Romani ipſi gentiles in Sacrificiis utebantur, ex ferro fabrè factorum, nonnulla fuêre effoſſa; id quod Bibliotheca Illuſtris Collegii Enyedenſis, in cujus inſigne ſimi-

lium theſaurorum augmentum, Illuſtriſſima quondam Herois Dna CATHARINA Comitiſſa de BETHLEN (de qua alibi) talia donaverat, luculenter teſtatur. Lapidibus proinde, & id genus teſtibus, clamantibus, detectam iſthic *Romanorum Coloniam*, returatas *Aquas Vivas*, niſi me omnia fallant, merito & ex vero affirmavero. Eſt & fonticulus prope Arcis rudera, verſùs Alutam, *Aranyas Kút* (*Auratus Fons*) dictus, in quo fuiſſe auri effluvium nec ita pridem repertum, vanus forte rumor eſt. Pace ergo aliorum, nunc *Coloniam Aquarum Vivarum*, ex *Arany - Kút*, ad *Aranyas - Kút* & *Héviz*, transferimus.

c. *Coloniam Perendaneſiorum*, (non Perenda-Seniorum) *P. Fridv.* cum *Auctore Vet. Daciæ*, e ruderibus Oppidi *Zalatna* eruit: paucis enim inde paſſibus diſtat locus veſtigiis Romanæ antiquitatis, poſt Ulpiam & Apuliam, tota Daciâ nulli ſecundus: ſeriem ibi ordinatam platearum, ac cameratas diſperſè ſub ruinis fornices, vepribusque conſepultas columnas videre eſt. Zamoſius jam pridem exiſtimavit eam fuiſſe *Zermizirgam* Ptolemæi. *Köleſéri* verò *p.* 22. exiſtimat illic ſtetiſſe *Patroiſſam*, cujus memoriam vicinus vicus Valachicus *Petreſan* non obſcurè innuere videtur; ſed *Claudiopolim* olim *Patroiſſam* vocatam fuiſſe; eſt opinio receptior.

d. *Apulenſis Colonia*, de qua nihil ambigimus, cum ea eo ſteterit loco, quo *Tarnis* olim, deinde *Alba Julia*, recenti demùm nomine *Caro-*

lina,

lina, ad quam ridiculè quidam Sarmizægethuſam locant. Nomen, procul dubio, accepit à fluvio *Apulo*, Hung. Ompaj ſeu uſitatiùs Ompoly, propè Urbem præterfluente, de quo forſan cecinit Ovidius: *Danubiusque rapax & Dacicus orbe remoto Apulus cet.* Hujus Coloniæ memoria Carolinæ in ſuburbanis ad ſacram ædiculam Valachorum ſupereſſe ſcribitur; index ita habet: T. LAELIVS T. F. VET. FLAMEN SAC. Q. COL. APVL. ARAM HANC ROMAE CON. P. S. F. C. vid. p. 539.

e. *Salinæ*, celebre Romanorum Oppidum, ſic à Salis copia atque culturâ denominatum, nunc *Torda*; ubi hodie quoque exhauriendæ nunquàm Salis probatiſſimi latumiæ exercentur. Romanam hic fuiſſe Coloniam rectè docet Zamoſius, ex antiquis Inſcriptionibus ac ruderibus: Tordenſe enim Oppidum multa certè vetuſtatis monumenta agris ſuis complectitur, quorum plurima peſſimus antiquitatis cuſtos, imperitum ac rude vulgus, oculis litteratorum ſubduxit, dum caſas his ſuas cellasque penuarias inædificavit. vid. p. 540.

f. *Colonia Sexta Trajana*, ad duos à Salinis diſſita lapides, Municipium & Rom. legionum ſtatio fuit. Hæc hodie Civitas Claudiopolis, aut magè ejus Arx vetus, (*ó vár*) eſt; quam *Patroiſſam* ſive *Petriuſſam* Ptolemæi fuiſſe, cum *P. Szentivanio*, exiſtimamus: quamvis *Novæ Daciæ Auctorem*, *Hedericum in Lexico*, aliosque complures, *Zeugma* Ptolemæi huc locaſſe noverimus. *Huſzti* verò intra Paſſum Volkanienſem Comi-

tûs Hunyadensis Patroissam quærit, in vico Valachico *Petrosz*; quasi aliqualis nominis, vici & antiquæ Coloniæ, convenientia veritatem patefaceret. Eidem autem, dum *Petriussam* ex Valachico *Piátrá*, h. e. Petra, & *usa* (germanica scriptione *Uscha*) i. e. *Janua*, derivat; excidit forte, multò ante Rom. Coloniarum, cujus Valachi reliquiæ sunt, in Daciam adventum, eandem appellationem viguisse. *Claudiopolim* denique, hoc est, Romanorum *Sextam Trajanam*, Municipium fuisse, testatur Inscriptio ad Portam Samosium respicientem: I. O. M. TAVIATIO PRO SALV. IMP. ANTONINI ET M. AVRELI. CÆS. A. CONSISTENTES. MVNICIPIO POSVERVNT. Urbem Zeugma, quam Claudiopoli removimus, Cellarius convenienter, prope Marusii & Sargetii amnium confluentem, locandam judicat. At nos mox ad *Zernest* transferemus. vid. p. 540.

g. *Auraria*, dives Auri Colonia Romanorum, ubi Oppidum, ad alterum lapidem Alba-Carolinâ dissitum, Hungaris *Abrud-* sive *Abrug-Bánya*, inflexo verò idiomate hodierno Romano-Valachico *Awrud* dictum, multis retro seculis à culturâ Aurifodinarum illustre, nostra quoque ætate frequens est. Plurimas in hac Dacia viguisse Romanorum Aurarias, h. e. fodinas, rectè *P. Fridválszki* ex vetustis scoriarum tumulis & Inscriptionibus animadvertit: at, dum in Rom. monumentis *Aurariæ* fit mentio, hanc Aurariam, i. e. Abrud-Bányám esse intelligendam extra dubium est. Hujus Aurariæ, quam Municipium fuisse *Köleséri* perhibet, adparent adhuc vestigia,

gia, in monte cumprimis propè Butſum, & in quadratis lapidibus, Inſcriptionibus, effigierumque cælaturis, vetuſtatis Romanæ documenta proſtant. Hæc Romanorum ΚΑΤ᾽ ΕΞΟΧΗΝ *Auraria*, ceterarum caput erat, quod & proventus locupletiores, & leges ceteris dabat metallicas. Hìc omnis ferè Romanus omnium metallorum ac minerarum Magiſtratus ſedem fixerat. *Köleſ. p.* 46. *Fridv. p.* 45.

h. *Colonia Zernenſium*, quam *Zeugmenſium* Mart. *Opitius* in *Zlatna* ſua legit, multis quæſita, ſed paucis inventa Doctis, nobis cum Ptolemæi Zeugmate eadem eſſe videtur, ac in eum conſtituenda locum, ubi nunc, Coronam Civitatem inter & alpes Fagaraſenſes, occidentali ac auſtrali angulo Diſtrictûs Barczenſis, propè Caſtrum Törcsvár, vicus Valachicus *Zerneſt*, Saxonibus politioribus *Zernen* dictus, habitatur. *Köleſéri* quidem *p.* 39, *Zernetenſem*, vt appellat, Coloniam, dicit locum terminalem Valachiæ *Csernetz*, ad Danubium infra Orſovam, proximè ad Pontem Hadriani ſitum, fuiſſe: ſed numi, aliaque Romana monumenta ad *Zerneſt* ſeu *Zernen* reperta, nos peregrè adeo è Dacia mediterraneâ proficiſci, pro Zernenſis Coloniæ ſtatutione, haud ſinunt. Coloniam denique Zernenſium Juris Italici fuiſſe Pandectæ Juſtiniani *ff.* de Cenſibus Leg. 1. §. 9. his teſtantur: *Indicia* (lege, In Dacia) *quoque Zernenſium Colonia à divo Trajano deducta, Juris Italici eſt. Zarmizegethuſa quoque ejusdem juris eſt.* Perendaneſiorum etiam Colonia pari jure gaviſa fuit.

§. 8.

i. *Prætoria Auguſta.* Hanc *P. Szentiváni*, *P. Faſching*, nonnullique alii ad Coronam Civitatem locant: ſed Romanam illic conſtitiſſe Coloniam, nullo indicio liquet. Hæc porrò *Auguſta Prætoria*, *P. Timoni* Foro Kézdienſi (*Kézdi-Váſárhely*) congruere videtur; cujus omnino deſignationi ſubſcribere nihil ambigeremus, ſi Forum Siculorum (*Maros-Váſárhely*) Kézdienſi ſubſtituiſſet. Si quis tamen hanc opinationem aſpernetur; ſinat ſaltem ſibi perſvaderi, aliam Romanorum, ad dictum Forum Siculorum, Coloniam floruiſſe. Cur enim, quæſo, propagata á Salinis Via Trajana eo fuiſſet transmiſſa, ſi nulla ibi Rom. Colonia viguiſſet? vid. p. 548.

k. *Napocenſis Colonia*, quam *Huſzti*, ex Pandectis Juſtiniani, commemorat, quonam ſteterit loco, non priùs determinari poteſt, quàm *Napuca* Ptolemæi, ex qua Coloniæ nomen natum eſt, detegatur. *P. Timon* equidem in *Additam. ad Imagines Ant. & Novæ Hung.* ſic in hanc rem: „ Quod *Napucam* Ptolemæi attribuerim „ Novæ Arci (*Szamos Ujvár*) quæ admodùm „ recens eſt, utpote Opus Georgii Martinuſii - „ - - ſimiliter, quod *Ziridanam* ſtatuerim in „ loco Cibinii, quod ædificari cœptum eſt an. „ 1160. ratione feci, quia Ptolemæanæ deſig- „ nationes iis quadrant, & Scriptores Dacici in „ apertum protulerunt Romanas Inſcriptiones „ in illis ipſis inventas. „ Non tamen ei aſſentimur; nec aliud ſolum Coloniæ deſignare valemus. Et Ptolemæi computationes, propter impeditiſſimum argumentum, à verò interdum

deſi-

deficiunt, vt idem *P. Timon Imag. Ant. Hung. Cap. II.* fatetur, ac *Cap. XV.* exemplo probat. vid. p. 544.

l. *Patavicensium vicus*, quem *Huszti* ex memoratis Pandectis adducit, & à divo Severo Jus Coloniæ impetrasse docet; ab eodem, ad Vicum *Pata* non longè Claudiopoli remotum, aut *Klopòtiva* Comitatûs Hunyadensis, opinione incertâ investigatur. vid. 544.

m. *Sardiniensem Coloniam*, solus fortè *Huszti*, ad Oppidum *Sárd*, uno ab Alba-Carolinâ milliari recedens, ex Sardinia deduxit, propter initialem Insulæ Syllabam: licet maxima ibi veterum Romani operis laterum vis ab incolis eruatur. Opinio me quoque invasit, Romanorum virorum, consequenter & Coloniarum nomina in nonnullis pagis Siculicis superesse, vt: *Albii* in Albis, *Ausonii* in Uzon, *Camilli* in Komolló *cet.* nec me indicia quædam deserunt. Frustrà quis dicet, multas nimiùm Colonias nos pro Mediterraneâ designasse, & nullas fortè Ripensi Alpestrique Daciæ reliquisse: cum ei ex dictis, & Rom. Imperii ejusque Provinciarum regimine responderi facile possit. vid. 547.

3. De *Aurariarum Collegio*, consulenda est *Auraria Romano-Dacica Sam. Köleserii*, cujus Cap. I. ex instituto hoc argumentum pertractatur, multæque Rom. Inscriptiones, eximiâ Antiquitatum peritiâ, recitantur. Item *Fridv. Minerolog.* p. 37. *seqq.* Luculenter ll. cc. etiam de Procuratoribus, Sub-Procuratoribus, Decurionibus *cet.* Rei Metallurgicæ agitur. Incredibiles ex Aurariis,

rariis, divitiæ in Urbem Romam ſubmittebantur. Eſt, qui ſcripſit ex ſolis Dacicis Aurariis, præter luſtrale aurum ac coactos cenſus, metallicos exactores Rom. ærario hebdomadatim binos centenarios cum octo libris auri intuliſſe; nec mira hæc legentibus videri debent, plurima ſiquidem millia ad metalla damnatorum, vt & mercenariorum, Aurarias eviſceraverint. Vnde, *Köleſ. p.* 9. rectè fatur: „Defuiſſet Dominatui Orbis Romani plurimùm, niſi fortiſſimus Princeps Trajanus - - Daciâ, ceu locupletæ cunctarum rerum cornu copiæ potitus fuiſſet. *Et:* „Peregrinus in Imperii Rom. faſtis ſit oportet, cui ignotum, res Romanas, poſſeſſâ Daciâ, florentiſſimas fuiſſe: amiſſâ verò, gradatim labaſcere occœpiſſe.

§. IX.

Licet verò, A. C. CCLXXIV. exercitus potiorque populus Romanus, ex Daciâ in Mœſiam migraverit, Dacisque rurſus & admiſſis in eorum ſocietatem *Gothis* Daciam cedere coactus ſit [1]: perplurima tamen iſthic ſuperſunt hodiedum Romanæ vetuſtatis monumenta, vt: Vrbium Fanorumque rudera [2], Viarum veſtigia [3], Aquæductus [4], Numi [5], Lateres [6], Inſcriptiones *cet.* & vel maximè præter muta iſtiusmodi monumenta, vivi teſtes *Valachi*, Romana-

narum Coloniarum mixtæ aliis gentibus reliquiæ 7.

1. Totum illud temporis intervallum, quo Romanorum in Dacia poteſtas viguit, annos 170. & quod excurrit, complectitur. Hanc enim Daciam, Trajanus Imperator, A. C. 102. Romanæ poteſtati ſubjecerat, Legesque Græcas ex Tracia huc traductas Romanis permutaverat; quo meruit, vt vota pro eo nuncuparentur, annisque ſingulis in omnibus Provinciis renovarentur: ſed *Gallieno* ad Imperii gubernacula ſedente, Romanorum in Dacia poteſtas vacillare cœpit, & *Aureliano* imperante tota concidit. Nam dum Gallienus, luxu ac voluptatibus marceſcit, luxuriâ hac ſuâ & ignaviâ, Belli Ducibus gloriæ perquàm cupidis, barbarisque nationibus dedit audaciam, regna ſibi, & regiones cum in Europa, tum in Aſia nobiliſſimas, eripiendi. Id ſcilicet ſingulare eo regnante in Romano evenit Imperio, vt omnes ferè Provinciæ uno tempore deficerent, & alio atque alio loco triginta diverſi Imperatores, veluti cum fungis nati, Romanum Imperium inſtar laciniæ convellerent. Homines iſti factioſi *Triginta Tyranni* vocari conſveverunt. Daci quoque arrepta ea occaſione, & admiſſis in ſocietatem armorum novis Gothorum coloniis ex Scandinaviâ emigrantibus, ſemet ab Imperio Romano avellere, libertatique priſtinæ aſſerere armis acerrimis contendunt. Et, occiſo A. C. 267. Gallieno, *Claudius* Cæſar ſalutatus eſt; ſed aliis ille diſtractus hoſtibus, Dacicas componere turbas,

pro-

propter vitam brevem, minimè potuit, peſtilentiæ morbo A. 269. extinctus. Huic qui eodem anno ſucceſſit Imperator, *Domitius Aurelianus*, Syrmii in Hungaria obſcuro genere prognatus, multis licet victoriis fuerit clarus; deſperans tamen omnem teneri poſſe Daciam, vaſtatumque Illyricum ac Mœſiam deperditam videns, ſublato A. C. 274. Exercitu, provincialibus eam reliquit, & abductos ex eâ populos in Mœſia collocavit, ſuamque appellavit Daciam, quæ duas Mœſias divideret, *teſte Vopiſco in Aureliano.* Negabat enim Daciam populo Romano eſſe utilem, ob multiplicatorum adeo bellorum magnitudinem; quæ non aliter minui aut reſtingui poſſent, quàm ſanguine Romanorum copioſiſſimo. Vix poſtea aliquid poteſtatis Romani in Dacia habuere; ſed liberi effecti Daci, Getæ Gothique in unam confluentes Rempublicam, rurſùm à Ducibus Regibusque ſuis, ad eam planè tempeſtatem & ultra, regebantur, quâ primùm Hunni circa A. 373. ex Scythia ſupervenerunt.

2. *Vrbium*, in iisque *Fanorum*, *Arcuum triumphalium*, *Amphitheatrorum cet.* rudera, ad Várhely, Albam Carolinam, Zalatnam, Tordam, & paſſim alibi viſuntur, in iisque Tabulæ ac Lapides Romanis notati Inſcriptionibus frequentes adeò reperiuntur, ut meritò Dacia fœcundiſſima antiquitatum parens audiat. *Vid. Zamoſii Analecta Lapidum vetuſtorum, nonnullarumque in Dacia antiquitatum.* Item, *Reichersdorfii Chorographia Transſilvaniæ.* Nec non, *Lazii Commentarius Reipublicæ Romanæ.* Ex ſimilibus Tabulis, vt hab. *Vet. Dac. p.* 52. plurimæ Urbibus hujus Seculi ſunt illatæ; & non ita

pri-

pridem Vindobonam in venerationem antiquitatis ablatæ: quarum nonnullæ in Arioſtiano naufragio Maruſii fluctibus, qua ad Szegedinum in Tibiſcum influit, ſunt hauſtæ. vid. 5419.

3. Simile præbent antiquitatis indicium, *Viæ Romanæ*, quæ admirando planè opere, totam, quàm longa eſt, Transſilvaniam transmittunt, & præcipuarum olim Urbium itinera detegunt: hoc verò opus vulgus imperitum cacodæmoni tribuit. Ab Ulpia Trajanâ Viæ utrinque geminæ excurrunt, quarum *altera* Colliam verſus ſeu Valachiam, quam Ovidius Metoream dixit, exporrecta, in vicinorum Ulpiæ Auguſtæ montium anguſtiis, quas Ferream Portam appellant, deſinit: *altera* Faſchingio *Caſſia*, aliis *Trajana* dicta, ceteris magnificentior, utpote quadrato ſaxo complanata, Sargetiæ amnis ripas, non æquo tamen ubique intervallo præterlegens, juxta Albam Juliam Apulum verſus progreditur. Ab Apulo itidem viam ad Salinas, perpetuo opere deductam aſſiduus rotarum diſcurſus ipſaque vetuſtas detrivit; quam juxta *Enyedinum* protenſam *Viam Anniam* dictam fuiſſe, & ab hac nomen loco remanſiſſe, ex veteri lapide Kernyesdienſi quidam autumant. A Salinis (h. e. Tordâ) quoque viæ geminæ utrinque propagantur; quarum *una* transmiſſo fluvio, qui Oppidum proximè alluit, rectâ Forum Siculorum, (*Maros-Vàſàrhely*) campos Maruſii præterradens, fertur, ſimulque vergit ad orientem, cujus reliquias advertunt euntes Mikházám: *altera*, quâ exitus in Pannoniam fuit, tendit Claudiopolim, indeque *Claudia* nonnullis vocatur. Fatetur *P. Timo*

Im.

§. 9.

Im. Ant. Hung. Cap. 16. *Lib. I.* nomina quidem illarum fuisse: *Clodia*, *Annia*, *Cassia*, *Geminia*; sed omnibus illis viis errasse eidem videntur cuncti ii, qui designare audent, quaenam Annia, quae Clodia *cet.* fuerit. Has denique vias, non solùm ad commoditatem commeandi laboratis lapidibus Romani straverant: sed ut hac quoque in re magnificentiam Rom. nominis Coloniae prae se ferrent. In viis enim muniendis singularem operam Romanos olim collocasse, vel in ipsa Italia celebratissimae exhibent viae, vt Appia, Flaminia, Æmilia, Nomentana, & plures aliae, quas *Curatores Viarum*, officio honoratissimo, procurabant.

4. Non postremo loco, inter vetera Daciae monumenta, recensendi veniunt *Fontes* & *Aquarum ductus*, quos Romani singulari studio excolere satagebant. Struebantur *Castella*, hoc est, loca, quae aquam publicam recipiebant & in alia loca transmittebant; *Castellariique* eorum custodes ac divisores nominabantur. Exstant Aquaeductuum vestigia ad Albam-Carolinam, aliasque Civitates olim Romanas. Vid. *Vet. Dac. p.* 44. 45.

5. Rectissimè hanc in rem *Köles. p.* 131. scribit: Tam frequens tamque foecunda à tot inde Seculis ad haec usque tempora Numismatum tum Graecorum, *Heracleorum*, imprimis, *Philippinorum*, *Alexandrinorum*, *Dirrachiorum*, &c. cum Romanorum, usque ad *Decium Volusianum*, & *Tyrannos* Imperatores, non quaesita inventio, in ruderibus antiquarum Civitatum & Municipiorum non solùm, verùm in omnibus ferè Daciae hu-

hujus pratis, jugeribus & montibus, vt olim quaſi ſeminata, in dies propullulare & ex improviſo germinare crederes. * Quot centena abiêre in fibulas nodos veſtiarios, pocula, ſcyphos, pollubra? quot in exteras evecta provincias? quot quisque adhuc in loculis tenet? quot centena proximis annis, in locis, ubi ne providentiſſimus quisque quæſiviſſet, collectiva quantitate effoſſa ſunt? &c. *Conf. Vet. Dac. p. 54. ſeqq.* Plurimam talium poſſidet Bibliotheca Illuſtris Collegii Nagy-Enyedenſis; nec Privatos hac provinciâ Numiſmatum divites deſiderabis.

6. Copia *Laterum* maxima, ad *Albam Carolinam*, *Sárd*, aliaque loca, eruitur. Sunt hi, vt docetur *Vet. Dac. p. 53.* & non raro autopſiâ nobis confirmatum eſt, noſtræ ætatis lateribus duplo longiores, alii quadruplo, quidam ultra duos pedes longi & lati; quodve in iis mirandum, à tot ſeculis terrâ concluſi, nil tamen emoliti, ſed ſolidi recentesque in lucem protrahuntur. Focos ex his exſtructos pro tepefaciendis balneis, quibus Romani excellebant, quidam exiſtimant; nam eorum formam rudera ſepulta exhibent. Characteres ſequentes referunt:

Majores.	*Minores.*
LE. XIII. GE.	LEG. XIII. GEM.
AEL. VALENZ.	VLPI. RONIO.

Aliæ Laterum ſpecies ad *Várhely* eruuntur. Pavimentum verò ex Laterculis trium pollicum transverſorum longitudine, normæ inſtar regularis factis, & eleganter ſibi mutuo junctis, hu-

jus seculi initio, ad *Tordam*, vomere detectum est.

7. *Valachos Transsilvanos* Romanarum Coloniarum esse reliquias, fusiùs suo loco videbimus; ipsi verò quotidie hoc profitentur, dum se *Romun*, i. e. *Romanos*, vernaculè nominant; etsi nihil Romanæ indolis in eis, *Novæ Daciæ Auctor* p. 17. viderit.

§. X.

h. c. GOTHIA proinde, nostra regio, post exactos hinc Romanos, dicta est, à *Gothis* [1], è Scandinavia huc circa an. Chr. 273. emigrantibus; & VI-to tandem Seculo GEPIDIA, à Scythica, vt creditur, *Gepidarum* sive *Gipedarum* [2] Natione.

1. *Gothos*, Martinius ait à Gut, i. e. bonus, dictos, quod vel boni fuerint, vel saltem videri voluerint. Quidam à Gott, i. e. Deus. *Andr.* autem *Huszti*, quæsitis anxiè rationibus, nullâ tamen auctoritate, à Scythico vocabulo *Guth* vel *Gajuth*, distinctum & longinquum denotante; quod fortè ii distincti & secreti à reliquis gentibus fuerint. Non *Gotti* autem, sed cum adspiratione & uno T. *Gothi* scribi debent, vt docent *Cellarius* & *Dausquius in Orthographia Latina.* Gothi ex Scandinavia in multas effusi sunt regiones, diversaque pro diversitate locorum adepti sunt nomina, v. l. *Wese - Gothi*, *Ostro - Gothi.* Eos Daci in societatem admiserunt: ex quo patet,

Da-

Dacos Getasque cum *Gothis*, lapſu temporis, in unam coaluiſſe Gentem. Hinc non incongruè hæc tria vocabula, velut eandem gentem ſignificantia, ad vitandam ſuæ hiſtoriæ obſcuritatem, graves Scriptores uſurparunt. *Vet. Dac. p. 6.* Et, *Spenerus in Notitia Germaniæ Ant.* quod *Gothi*, *Getæ & Daci* eadem gens fuerit, doctè defendit. *Andr. Huſzti* quidem Cap. IV. Operis MSti *ó és Uj Dacia* hungaricè nominati, cujus magna ſic ſatis copia in Transſilvania reperitur, Gothos Dacis minimè mixtos, ſed ab iis diſtinctos fuiſſe, multis conatur argumentis demonſtrare: at nec præſtare ei fidem, nec derogare auſim.

2. Docent verba Jornandis, Seculi VI. Scriptoris, hæc tradentis: " *Daciam* dico antiquam, quam „ nunc *Gepidarum* populi poſſidere noſcuntur. „ *Et mox*: „ Hanc *Gothiam*, quam Daciam appellaverê Majores, quæ nunc, vt diximus, *Gepidia* dicitur. *De rebus Geticis Cap.* 12. Anno Chr. 373. quo primum Hunni è Scythiâ aſiaticâ, occupandæ Daciæ, Pannoniæque intenti, in Europam trajecerunt, Gepidarum Natio, Gothis conſociata, noſtram Daciam inhabitabat. Parsque Gepidarum, metu Hunnorum, trans Danubium acta, ibi ſedem figebat; pars altera, Hunnis ſubjecta, eorum parebat poteſtati, ad an. 454. quo tandem decedente famoſo Hunnorum Duce *Attilâ*, ejus inter ſe filii diſſidio fracti, inteſtinisque Hunni tumultibus in dies exagitati; mox ab *Ardarico* Gepidarum Rege ad 30000. cæſi ſunt, ceterique maximam partem regione pulſi. Gepidæ proinde Daciâ rurſus potiti, *Gepidiæ* nomen provinciæ dedêre; & præter hanc, vicinio-

rem quoque Pannoniæ partem poſſedêre. Reliquum verò Pannoniæ *Oſtrogothis*, pauloque poſt *Longobardis* ceſſit. Tandem circa A. C. 550. *Alboinus* Longobardorum Rex, bello cum *Cunimundo* Gepidarum Rege implicitus, *Hunno-Avares* trans Volgam fluvium habitantes, in auxilium vocavit: qui adſcitis ſibi Hunnis (gente cognatâ) ad Tanaim cumprimis ſedem habentibus, paſſisque antea graviora à Gepidis, Gepidarum populum profligarunt, & ad internecionem ferè delerunt. *Avares* igitur, ex fœdere cum Alboino icto, Daciam Gepidarum ſedem occuparunt, & reliquos ex clade Gepidas, ſuæ An. 553. ſubjecerunt poteſtati. *Sic*, inquit Behamb. *juſto Dei judicio, rediit ad Dominum, quod fuit ante ſuum: poſt mortem enim Attilæ, juramenti ſui immemores, expulerunt Dominos ſuos Hunnos.*

§. XI.

II. POLITICA Transſilvaniæ nomenclatura eſt: MAGNVS PRINCIPATVS. *Principatus* quidem, quod ea Nominis & Tituli PRINCIPIS uſurpatione ab Auguſtiſſimis Regnantibus poſſideatur [1], Principalibus in ſcuto ſuo Inſignibus gaudeat. [2] MAGNVS autem, quod Eam, Auguſtiſſima Rom. Imperatrix, quà Hereditaria totius Auſtriacæ Monarchiæ Domina, conſequenterque Magna Princeps Transſilvaniæ, Domina Domina MARIA THERESIA, Diplomate aureâ

Bul-

Bullâ inſignito, A. MDCCLXV. D. 2. Nov. in Nomine Servatoris, ad *Magni Principatûs* Dignitatem ac Titulum, cum effectu ampliſſimo, clementiſſimè evexerit.

1. Transſilvania, Coronæ Hungaricæ olim adnexa, Vajvodarumque curæ commiſſa, *Partium Tranſylvanarum* vel *Tranſylvanienſium* paſſim adpellatione, ſub Apoſtolicis Regibus, in Articulis Hung. Diætalibus, à reliqua Hungariâ ſecernebatur; vt adeo, Thuroczio, *Regni Hungariæ Tranſylvanæ Partes*, audiat. Abſciſſam poſtea abs Hungaria, poſt Joannem II. qui Regis Hungariæ titulum uſurpabat, Principes Provinciam regebant, hoc plerumque uſi titulo: *Princeps Transſilvaniæ, Partium Regni Hungariæ Dominus, & Siculorum Comes.* Hæc itaque Ditio, ſuis licet de Moderatoribus *Principatus* nominari jure debeat: nihilo tamen minus *Regnum* Tranſylvaniæ, Hungaricè *Erdély Oſzág*, adpellatam paſſim legimus; teſtibus etiam Comitiorum ejus ætatis Articulis, Legumque patriarum, *Approbatarum* v. l. & *Compilatarum* Codicibus, hanc in fronte Regionis adpellationem gerentibus. *Regnum* enim, Hung. *Orſzág*, pro quacunque regione vulgò ſumitur. Hinc Siculi quoque Sedes ſuas conjunctim, *Regnum* improprie, ex lingvâ vernaculâ appellabant; vt patet, inter cetera, ex concluſione Conſtitutionum Nationis Siculicæ A. 1506. in vico *Agyagfalva* ſedis Udvarhely conditarum, ubi ſic pro ſe Siculi teſtantur: „ — qui pro Bono *Regni noſtri Siculici* parati eſſent mori *cet.* Noſtra jam ætate, ſub Auſtriaca periodo, tam uſu communi, quàm Actis Publi-

cis, rectiſſimè, noſtra Transſilvania, *Principatus* latinè dicitur: tenet tamen in Hungarico *Regni* adpellatio; ſiquidem vulgò nunc quoque *Erdély-Orſzág* i. e. *Transſilvaniæ Regnum*, dicatur.

2. Inſignia Transſilvaniæ abſolvuntur *Pileo Principali*; cui qualis recenter ornatus fuerit additus, ſequens proximè Diploma luculenter docebit. In eodem Scuto, Trium in Transſilvania Nationum, Lege Unitarum, Inſignia propria conſpiciuntur, v. l. Comitatuum Hungaricorum *Aquila*, Siculorum *Sol & Luna*, Saxonumque ſeptem Civitates; quæ *Gabriele Báthori* Principatum tenente aſſumta ſunt, ut indicant Numi A. 1612. ad rei memoriam juſſu ejusdem Principis percuſſi: ad dictum enim uſque annum, nullum Inſigne ſibi proprium Transſilvania habuit; ſed communi Hungariæ Regni Teſſerâ utebatur. Hæc Transſilvaniæ Inſignia ſat luculenter vel in Numo æneo *Greſchl* dicto exhibentur.

3. Diploma THERESIANUM, quod huc inſerere cenſemus digniſſimum, his verbis promulgatum legimus, ex Archivo Exc. Reg. Gubernii depromptum;

NOS MARIA THERESIA, DEI GRATIA ROMANORUM IMPERATRIX VIDUA, REGINA HUNGARIÆ, BOHEMIÆ, DALMATIÆ, CROATIÆ ET SCLAVONIÆ, ARCHI-DUX AUSTRIÆ, DUX BURGUNDIÆ, STIRIÆ, CARINTHIÆ ET CARNIOLIÆ, MAGNA PRINCEPS TRANSYLVANIÆ &c.

„ Notum teſtatumque, vi præſentium, facimus „ om-

„ omnibus, quorum intereſt, & memoriæ com-
„ mendamus: Quemadmodum inter ejusdem
„ Dominii Provincias non minus laudanda, quàm
„ felix & auſpicata eſt æmulatio, vt quævis,
„ pro virium ſuarum ratione & nominis digni-
„ tate, ad amplificandam aſſerendamque totius
„ Imperii Majeſtatem plus reliquis conferat: ſic
„ Summus illius Arbiter ad munus ſuum exiſti-
„ mat pertinere, ſingularum Provinciarum eam
„ habere rationem, ut illæ, quæ non ſolum
„ præclara de ipſo benemerendi voluntate ac
„ ſtudio cum aliis contendunt, verùm etiam
„ facultate & amplitudine cæteris præſtare vi-
„ dentur, ſplendidioris tituli & dignitatis orna-
„ mento augeantur. Sanè diverſorum Regno-
„ rum ac Ditionum, quarum curam & regi-
„ men Divini Numinis Providentia nobis jure
„ hæreditario commiſit, ambitum & ſtatum cir-
„ cumſpicientes, animadvertimus Tranſylvaniam,
„ quæ olim Dacia Mediterranea fuit, eo inter
„ Provincias reliquas loco cenſeri, ut quamvis no-
„ biliſſima ſit, ac finium ſuorum amplitudine, re-
„ dituum publicorum copiâ, & aliis commodis,
„ illarum plerasque longè antecellat, iis tamen,
„ ob tituli inferioris conditionem, ordine poſt-
„ ponatur. Splendidiore profectò ſorte, & ſin-
„ gulari quadam Prærogativâ digna nobis viſa eſt
„ Tranſylvaniæ Provincia, veteris Daciæ pars
„ præcipua, quæ ſub Rege ſuo Decebalo, Ro-
„ manorum armis diu fortiterque reſtitit, nec
„ minus hodie celebris eſt, variisque Nationi-
„ bus habitata, & in plures Comitatus, Judi-
„ diciorum Sedes, ac Diſtrictus diviſa, Aëris præ-
„ terea ſalubritate, oppidorum frequentia, om-

„ nis generis Fodinarum lætiſſimo proventu, ſo-
„ lique ubertate maximè commendata. Majo-
„ ris adhuc momenti eſt, illam ſitu eſſe muni-
„ tiſſimam & ampliſſimam, finibus inter Hun-
„ gariæ & Poloniæ Regna, ac magnum Otto-
„ manorum Imperium latiſſimè protenſis, gen-
„ tisque ſuæ robore fretam, vtpote quæ in pro-
„ pulſandis à Patria exterorum hoſtium injuriis,
„ non ſemel præclara virtutis edidit ſpecimina,
„ vt Reipublicæ Chriſtianæ meritò contra Tur-
„ cas propugnaculum appelletur. Fidem non
„ minùs & obſequium, ex quo illis, eorumque
„ aſſeclis ejectis, Divi Leopoldi Imperatoris Au-
„ guſti, Avi noſtri immortalis memoriæ Pater-
„ næ ac validiſſimæ protectioni ultro ſe dedit,
„ inque Inclytæ Domûs noſtræ poteſtatem con-
„ ceſſit, Principibus ſuis illæſam ſervavit, &
„ hæreditariam Auguſtæ Domûs noſtræ ſucceſ-
„ ſionem, ad mentem Sanctionis Pragmaticæ,
„ ſpontè promptèque amplexa eſt.

„ Ad hæc Regionis & Gentis decora accedit,
„ ipſa Provinciæ ſingularis & præcipua conditio,
„ dum nulli alii Regno, vel Dominio, ſive Clien-
„ telæ, ſive alio ſubjectionis vinculo obnoxia,
„ à Nobis pro Summi Imperii jure regitur, tum
„ & ipſa præclaris Privilegiis gaudet, propriis-
„ que Legibus, Magiſtratibus ac Inſtitutis, à
„ noſtro Provinciæ Gubernatore & Conſilio,
„ noſtris auſpiciis adminiſtratur. Quamobrem,
„ & ne illius Principatûs Splendori ac Magnifi-
„ centiæ quidquam deſit, quo aliæ Ditionis no-
„ ſtræ Provinciæ gaudent, ſuperiore anno Ma-
„ jores in dicto Principatu Aulæ Officiales hæ-

„ re-

„ reditarios creavimus & nominavimus, qui in
„ ſollennioribus Principis Inaugurationibus, &
„ quoties pro hujus inſtituti ratione feret occa-
„ ſio, ſuo munere publicè fungantur.

„ His omnibus ita conſideratis, maturoque
„ conſilio perpenſis, Tranſylvaniæ Principatum,
„ pro ſingulari noſtra in ipſum Benignitate, no-
„ vâ honoris acceſſione, & amplioris tituli or-
„ namento proſequi volentes. illum ex certa
„ ſcientia, & motu proprio; eâ, qua Dei im-
„ mortalis beneficio, tanquam univerſæ Monar-
„ chiæ Auſtriacæ, ex tot Regnis & Ditionibus
„ conſtantis Domina, ac Suprema Arbitra, fun-
„ gimur auctoritate, atque de hujus poteſtatis
„ plenitudine, præ aliis Imperii noſtri Provin-
„ ciis duximus extollendum, eumque in Nomine
„ Servatoris noſtri, à quo omnis honor & glo-
„ ria promanat, ad MAGNI PRINCIPATUS
„ Dignitatem ac Titulum, præſentibus cum ef-
„ fectu ampliſſimo evehimus.

„ Decernimus etiam, & hoc noſtro Diplo-
„ mate firmiſſimè ſtatuimus, vt poſt hac futuris
„ temporibus, dictus *Magnus Tranſilvaniæ Prin-*
„ *patus*, vna cum omnibus ſuis Comitatibus,
„ Sedibus & Diſtrictibus, Civitatibus, Oppidis,
„ Arcibus, Terris, Villis & Juribus univerſis
„ & ſingulis ad eum pertinentibus, pro tali ha-
„ beatur ac reputetur, debitisque Honoribus,
„ Prærogativis & Titulis, qui Magnum Princi-
„ patum decent, afficiatur; quemadmodum &
„ illos, qui eundem legitimè repræſentabunt,
„ quibuscunque in Locis, Pompis, Provincia-
„ rum Conventibus, Ceremoniis, Celebritati-

§. ii.

,, bus, aliisque Actibus publicis, debitis Hono-
,, ribus, Titulis & Prærogativis uti, frui, &
,, gaudere volumus. Non obſtantibus aliis Con-
,, ſtitutionibus, Legibus, Juribus vel Conſvetu-
,, dinibus, quæ huic noſtro Exaltationis & Am-
,, plificationis Diplomati videri poſſint contrariæ.

,, Vt vero idem Magnus Tranſilvaniæ Princi-
,, patus congruis novæ ſuæ Dignitati Inſignibus
,, condecoratus appareat, volumus atque conce-
,, dimus, vt Pileus, qui illius ſcuto, vbi Pro-
,, vinciæ conſveta Teſſera, ſive Inſignia pingun-
,, tur, imponi ſolet, hactenus ad formam Pilei
,, Principibus communis effictus, deinceps Co-
,, ronâ aureâ cingatur, radiis partim cuſpidatis,
,, partim in florem deſinentibus, & ſine Dia-
,, demate Regio, globo in cruce mediæ ipſius
,, Pilei ſummitati infixo, eâ formâ, quam præ-
,, ſens typus exhibet, Novo hoc Clypei orna-
,, mento Tranſilvania poſt hac gaudebit, eo-
,, que ſuam dignitatem novâ Prærogativâ auctam
,, omnibus reddet manifeſtum.

,, Jam verò quo magis ſingularis hujus Pro-
,, vinciæ Prærogativæ, quod nempe nulli alii,
,, quàm proprio ſuo Principi, ſive Clientelæ,
,, ſive alterius ſubjectionis titulo, vel nexu ſub-
,, ſit, eo certius & luculentius edatur argumen-
,, tum, concedimus eidem, vt in majoribus So-
,, lemnitatibus, Inaugurationibus, aliisque Pom-
,, pis, ubi Ditiones nulli alii Regno aut Domi-
,, nio obnoxiæ, ſed ſoli Principi ſuo ſubditæ,
,, propriisque Legibus & Inſtitutis gaudentes,
,, per Feciales ſuos ſive Heraldos publicè ſolent
,, repræſentari, ſuum etiam proprium habeat

,, Heral-

„ Heraldum, qui reliquorum more & habitu,
„ Magni Tranſilvaniæ Principatus Inſignibus in
„ veſte ſua expreſſis, ornatus compareat, illum-
„ que publice repræſentet.

„ Porrò, certam fiduciam habemus, hac pro-
„ lixâ & Benigniſſima noſtrâ in eundem Mag-
„ num Tranſilvaniæ Principatum voluntate,
„ quam tam honorificis & publicis ad Poſteros
„ monumentis teſtatam facimus, illius Ordines,
„ Proceres, Cives ac Subditos admoneri, magis
„ que excitari, vt tantæ munificentiæ memores,
„ eandem ſuo erga nos obſequio ſtudeant deme-
„ reri, & quam hactenus nobis, Auguſtæque
„ Domui noſtræ egregiè præſtiterunt, fidelita-
„ tis & in juvandis Patriæ rebus induſtriæ, ma-
„ jora in dies edant ſpecimina, ac avitæ virtutis
„ documenta.

„ Ad hujus rei teſtimonium ac perpetuam
„ memoriam, præſens Diploma dedimus aureâ
„ Bullâ Majeſtatis noſtræ typario inſignitum,
„ propriæque manûs noſtræ ſubſcriptione firma-
„ tum, in Civitate Noſtra Viennæ Auſtriæ, Die
„ ſecunda Menſis Novembris, Anno Domini
„ Milleſimo Septingenteſimo Sexageſimo Quinto,
„ Regnorum Noſtrorum vigeſimo ſexto.

MARIA THERESIA.
m. pr.

W. Princeps Kaunitz
Rittberg. m. pr.

Ad Mandatum Sacræ Cæſareo ac Regiæ Apoſtolicæ Majeſtatis proprium.

Frid. L. B. de Binder. m. pr.

§. 12. 13.

LIBER SECVNDVS
ET
CAPVT II.
DE NOTITIA TRANSSILVANIAE MATHEMATICA.

§. XII.

In *Notitia* Regionis *Mathematica*, ejus FIGVRA, LONGITVDO, LATITVDO ac FINES conſiderantur. *De quibus ſingillatim.*

§. XIII.

I. Transſilvaniæ provinciam, montes undique coronæ in modum cingunt, ac propè in *Figuram cordis* efformant.

Congruè in rem noſtram ait *P. Bonbardus*: „ Si Figuram, *inquit*, ſpectes, *Cor* haud malè „ refert, prout exhibetur in Tabulis omnium „ accuratiſſimis v. cl. *Joannis Morandi Viſconti*, „ paucis abhinc annis V. Colonelli Cæſarei & „ Supremi Transſilvaniæ Architecti. „ Præterea, vt addidit *P. Faſching Nov. Dac. pag.* 42. „ Figura „ provinciæ, belliſſimè Cor exprimit; nam vt „ hoc multis turgeſcit venulis, eſtque fons vitæ „ in

„ in animali: ita Regio ista, nunc montibus, „ saltibus, nunc silvis ac pascuis tumida, modo „ aquarum divortiis intersecta &c.

Tabulæ geographicæ, iis, quas usurpamus, desiderantur adcuratiores, cognoscendæque Figuræ ac intimæ Regionis formæ adæquatiores. *Tabella Kreckwitzii*, Descriptioni Transsilvaniæ præfixa, plurima præpostere exhibet. *Comitatum Dobocensem*, partesque *Comitatûs Claudiopolitani* sive *Kolosensis* trans-Samosianas, longè latèque extensas, coarctat nimium. *Sesarmam* Betlenio vicinam longè inde removet. *Ofen-Bányám* Fel-Vintzio facit proximam. Idem oppidum *Fel-Vintz*, ut & *Kotsárd* ac *Enyed* longè à Marusio abigit; *Regenum* & *S. Emericum* (*Szent Imre*) ad orientalem Marusii oram ponit. *Csombordum* orientali Marusii ripæ, è regione Nagy-Enyedini, ad positum, ad geminatum Kükül'ö locat, & *Zombor* nominat. *Insulam Marusii*, *Hólt Maros* nuncupatam, à Bogát usque Tövissinum fingit quàm maximam. *Rapoltum* & *Thermas Gyogyenses* longè à Marusio in occidentem distrahit. *Sargetiam*, infra *Száfzváros* non procul, Marusio illabentem, infra Devam, & juxta *Portam Ferream* ducit, locoque illius *Bartsam* fluvium adsignat. *Sabesum* proximum nimis Marusio notat. Pagum *Barót* ad Vargyas fluvium ponit. Montem celeberrimum *Hargita*, in orientali limite Sedis Udvarhely, versùs Sedem Csik elevatum, inter *Kászon* & *Kézdi* sedes, maximo errore, constituit. Sed singulos recensere errores, longum sanè esset.

Nec Tabula recentissima *Rev. ac Clarif. Stephani Losontzi*, erudito Opusculo *Hármas Tükör* nomina-

minato ſubnexa, rectè omnia habet. Vt enim, ſilentio reliqua involvam: *Marus-Szent-Király*, ſupra Maruſii & Küküllő amnium confluentem; *Ebesfalva* ad majorem Küküllő, & ad ejusdem ripam orientalem *Udvarhely*, locanda fuiſſent, *Dálnok*, quem Alutæ proximum facit, longè ſatis ab eâ in orientem diſcedit. *Bálványos*, ſedis Kézdi, nec, niſi in ruderibus, ſupereſt, nec inter Maxa, Kováſzna & Papóltz pagos, ſed inter Kézdi & Csik Sedes, ſupra Torjam, occaſum ſuum luget. Ex *Campeſtri plagâ* (*Mezőſég*) à Pago Berkenyes, neſcio quis notabilis adeo rivus, Maruſium ſalutet. Nec *Aluta*, *Samoſiusque* fluvii, rectum curſum, per hanc Tabulam tenent, *cet.*

Mappa Seuteriana, *Sedium Saxonicalium* nomina & poſitus ſilet. *Sedes Siculorum*, nomine Comitatuum exprimit: & quod probè notes, Sedem Sepſienſem, quam Schepſchienſem Comitatum ſcribit, ad Summerpach & pagum Homoród, h. e. inter Sedem Siculicalem Udvarhely, & Rupenſem Saxonicalem pingit. *Comitatum Húnyadenſem*, inter Claudiopolim & Aprag Bányam (h. e. Abrud-Bányam) inſigni errore, exhibet; ac in locum dicti Comitatûs *Valachos Populos* conſignat. In nominibus Locorum, Oppidorum, vicorumque, ſæpe multumque à vero abludit: *Enyed* ipſi dicitur Engedin; *Leſchkirch* nominatur *Leicherek*; *Beretzk* Pretz; *Szakadát* Szakabad; *Szaſzhalom* aut rectius *Százhalom* ei vocatur Zazalhom; Comitatus *Koloſenſis*, Colocenſis *cet.* Et innumera nomina legas Transſilvanis omnibus nunquam audita. Nec mirum eſt, in

hoc

hoc argumento, auctores præſertim extraneos, erraſſe: quum hic abſolutam omnibus numeris operam præſtare, unius alteriusque Scriptoris viribus majus ſit.

Tabula, quam ex Archetypo Mülleriano S. C. M. Capit. & Ingen. *Joh. Bapt. Hornannus* S. C. M. Mathematicus, Transſilvaniam, Hungariam vicinaque Regna exhibentem, adornavit, omnibus vulgaribus præſtat. Mappa ampliſſima, exitu primi quadrantis præſentis Seculi, juſſu Auguſt. quondam Imperatoris D. D. CAROLI VI. compoſita, & magna in vulgus commendatione edita, nullius ferè non ſatisfaceret deſiderio; ſed ea valdè quàm rara eſt. Omnibus, quæ ad hæc usque tempora lucem viderunt, longè procul dubio palmam eriperent Tabulæ recentes, ab a. 1769. ad 1773. à ſedecim Viris Primariis Militaribus, auſpicio Cæſareo, curis Mathematicis, confectæ: ſed eæ ſupra uſum publicum ſunt poſitæ.

Tenendum tamen eſt, Tabulas omnes, in poſitione Albæ-Carolinæ, Devæ, Cibinii, Coronæ, Schæſpurgi, Mediæ, Biſtricii, Claudiopolis, reliquorumque præcipuorum oppidorum, cum veritate convenire; vt proinde nulla earum ſit, quæ Operi huic noſtro collata, uſui congruo eſſe non poſſit. vid. p. 550.

§. XIV.

II. Quod *Longitudinem*; quum Longitudo loci ea ſit à primo Meridiano diſtantia, quæ orientem verſùs protenſa,

in

in gradibus Æquatoris menſuratur: patet Transſilvaniam inter 46 & 49, quodque ultra eſt, Longitudinis gradus ſitam eſſe.

Citius ergo orientalibus Transſilvaniæ incolis, 12 ferè horæ minutis Sol oritur, ſeriùs verò totidem minutis Occidentalibus occidit. Namque 360. gradus Æquatoris, cum 24. diei naturalis horis: 15. gradus longitudinis cum una temporis hora: conſequenter gradus unus cum quatuor horæ minutis, congruunt. Ergo, tres circiter, gradus Longitudinis Transſilvaniæ, plus minus 12. minutarum horæ differentiam pariunt.

§. XV.

III. *Latitudinem* Transſilvaniæ quod attinet; Ea licet, pro longioribus curtioribusque finium propagationibus non parum variet: reſpectu tamen totius Principatûs, dicamus cum Doctiſſ. Geographo *Jo. Szaſzky* inter 45. & 48. Latitudinis gradus ſitam eſſe.

a. Nullo hinc negotio *Poli* in Transſilvania *elevatio* perſpici poteſt; vtpotè quæ cum latitudine loci eadem ſemper eſt.

b. Vides pariter, amplitudinem graduum Longitudinis in Transſilvania decem milliarium & aliquot partium milleſimarum milliaris eſſe. Vnus enim longitudinis gradus ſub Æquatore 15. millia-

3. 15.

liaribus germanicis reſpondet ; ſed pro Globi Terraquei verſus Polos coarctatione fiunt anguſtiores, adeo, vt, ſub Tropico Cancri gradus unus long. 13. milliaribus abſolvatur : conſequenter ſub 46. latitudinis gradu in Transſilvania 10. milliaria & 420. partes milleſimas milliaris, ſub 48. verò lat. gr. 10. milliaria ac 37. partes milleſimas, grad. unus longitudinis continet.

c. Quamvis igitur pro numero graduum longitudinis & latitudinis, quot milliarium longa lataque ſit Transſilvania, pulcrè elici poſſe videatur: quia tamen ejus fines non æqualiter dictis gradibus reſpondeant, variè à Doctis definitur. *Bertalanfi* & *Loſontzi* dicunt & longam & latam 30. milliar. german. *Kreckwitz* non ultra 24. mill. germ. *Novæ Daciæ Auctor*, cum *Bonbardo*: Excurrit, *inquit*, à *Portâ Ferreâ* in *Latitudinem Ghêmes* verſus in Csik triginta; in *Longitudinem* verò à *Rubrâ Turri* usque Caſtrum *Kövár*, Hungariæ conterminum, octo ſupra triginta miliariis germanicis. Sed cum *P. Fridválſzki*, ſciamus Transſilvaniam in Latitudinem 30. in Longitudinem 35. milliariis hungaricis excurrere.

d. Patet, *diem* in Transſilvania *longiſſimum* 16. *breviſſimum* contrà 8. horarum eſſe : unde noctis quoque diverſitas facilè intelligitur.

e. Oppidò etiam perſpicitur Transſilvaniam ſub *octavo* ſitam eſſe *climate*. Quot enim ſunt ſemihoræ, quibus dies longiſſimus, diem æquinoctialem, i. e. 12. horarum ſuperat, tot numerantur Climata ; quumque in Transſilvania 8.

ſemihoris dies 12. horarum ſuperetur, intelligis eam eſſe ſub octavo climate poſitam.

f. Pari facilitate pervidetur, Antipodas Transſilvanis directè obverſos eſſe Americanos illos ſeptemtrionales, qui *Novam Franciam* inſederunt.

§. XVI.

IV. *Limites* Transſilvaniæ ſi quæras: Ea *Boream* verſus Ruſſiæ minoris & Moldaviæ collimito clauditur; ad *Orientem* Moldaviæ et Valachiæ Tranſalpinæ proximat; à *Meridie* itidem Valachiam & Tractum Temeſienſem ſive Banatum adtingit; in *occaſu* trans-Tibiſcanâ Hugariæ regione terminatur. Habet verò & *naturales Limites*, perpetuos iſtos ac arduos montes [1.], variis inſignitos nominibus, quibus undique cingitur, ac excelſorum inſtar murorum validiſſimè munitur, & per quos *Aditus* [2.], nonnulli ex omni parte patent.

1. Montes hi, Carpati propagines, ſunt; quorum ii, qui Poloniam excludunt, *Alpes Máramaroſienſes* ſive *Marmatici* audiunt. Moldaviam ſpectantes, *Biſtricienſes*, *Gyergyoienſes*, *Csikienses*, *Nemere cet* appellantur. Contermini Valachiæ Transalpinæ, *Háromſzékenſium* ſive *Triſedenſium*, *Coronenſium*, *Fagaraſenſium*, *Cibinienſium*, *Hunyadenſium cet* nomine veniunt. Finibus Hungariæ ad-

3.16. ...

adpositi, *Abrudbányenses*, *Zalatnenses*, *Gyaluienses*, *Sebesvárienses* cet. nominantur. Ceterùm, si specialia omnium nomina enumerare conaremur, operam luderemus.

2. In hanc, ex vicinis Regnis, Provinciam, *Aditus*, qui *Passus* vulgò vocantur, 14. numerantur notabiliores, his nominibus venientes. *I. Ex Moldavia*: 1. Borgoiensis, jam Radnensis, versùs Bistricium. 2. Gimesiensis in Sedem Csik. 3. Ojtozensis in Tressedes. *II. Ex Valachia Transalpina*: 4. Bozzensis in Tressedes. 5. Tömösensis ad Coronam. 6. Törcsváriensis, cum duobus superioribus ad Barciæ Districtum. 7. Veres-Tornyensis Cibinium. 8. Vulkánensis & 9. Zajkanensis versùs Hátszeg. *III. Ex Hungaria*: 10. Dobrensis Devam. 11. Zalaknensis Albam-Carolinam. 12. Váradensis, vt &, 13. Somlyoviensis, Tasnadensis ac Zilahensis Claudiopolim. 14. Nagy Bányensis sive Láposensis Dees versùs. Sunt & alii minores, vt *Piritske* in Sedem Gyergyo *cet.* Per omnes hos *Passus*, solutis Tricesimis, merx quælibet invel exfertur. Præterea, plerisque in Passibus, quibus ex Moldaviâ ac Transalpinâ advenientibus iter apertum est, Lazareta sive Stationes Contumaciales, pro avertendâ pestilentiâ, constituta sunt, Directorum ac Chirurgorum curæ commissa, v. l. ad *Vulkány*, *Rubram Turrim* sive Veres-Torony, *Törtsvár*, *Tömös*, *Bozza*, *Ojtoz*, *Gimes*, *Piritske*, *Radna*. Nec priùs Ottomanici Imperii homines illic in Provinciam transmittuntur, quàm moram præstitutam, *quarentenam* vulgò, *Quarentainie* Gallis dictam, quæ

 nunc

nunc quidem, veluti tempore contagionis puro, trium tantum hebdomadarum ſpatio abſolvitur, exantlaverint. His denique *Limitibus* plurimùm licet à naturâ munitis, non deſunt continuæ vigiliæ, quas cumprimis Miles Limitaneus Transſilvanus peragit.

LIBER TERTIVS
ET
CAPVT III.
DE PHYSICA TRANSSILVANIAE NOTITIA.

§. XVII.

Phyſica Transſilvaniæ Notitia. ATMOSPHAERAM ac TELLVREM Regionis aperit.

§. XVIII.

A. *Atmoſphæram* Transſilvanicam commendat *Aër* benignus quem objecti Carpatici ex omni latere montes reddunt temperatum ac ſaluberrimum, plumbei imprimis auſtri noxam avertentes. Hiems interim maſculè ſævit: nec calor æſtivus inmaturè ſe frangit.

§. XIX.

§. XIX.

Subinde tamen vexatos peſtilentiâ Transſilvanos fuiſſe, frequentiùs, quàm optaſſemus, legimus audivimusque [1].: at ex orientalibus regionibus, ottomanicæ præprimis Portæ ſubjectis, Transſilvaniæque ac Hungariæ conterminis propagatam eam fuiſſe, evidentiſſima hiſtoriarum monumenta nos condocent. [2].

1. Præter *Peſtes*, quæ totam ferè inundarunt Europam, hæ præcipuè commemorandæ veniunt: 1.) Sæva illa, quæ A. 1073. per Transſilvaniam & Hungariam cuncta funeribus dirè funeſtavit. 2.) An. 1480. & 1490. ambæ, Diſtrictui cumprimis Barcenſi, funeſtiſſimæ. 3) Iisdem maximè locis, A. 1550. & 1553. gravem iterum intulit plagam. 4.) A. 1603. quanta per Transſilvaniam vis contagionis graſſata fuerit, facile vel ex eo conjici poteſt, quod in ſola Civitate Schæsburgo 2000. Civium, ac plus quàm 700. mendicorum, ſtipi quærendæ eo confluxorum, ſepulti fuerint. Hæc tamen ex ea originem ſumſerat annonæ caritate, quam *Michaëlis Vajvodæ* ac *Baſtæ* (vt infra dicetur) ſævitia, nulli parcens regnicolæ agricolæque induxerat, & abſurda quæque in cibum trahere mortales coëgerat. 5) A. 1678. univerſam propemodùm Transſilvaniam, prout etiam Hungariam, vaſtavit. Nec abſimile malum A. 1709. has terras peragravit. 6) A. 1718. & 1719. omnem, quanta eſt, Transſil-

vaniam, Siculicas tamen terras & Coronam civitatem, præ aliis, adflixit, adeo quidem, vt plus centenis mortalium millibus abſorpſerit. 7.) Horrenda iterum peſte A. 1738. non pauci Transſilvanorum conficiebantur. *Plures faſti commemorant.*

2. Teſtatur hoc Celeberr. D. CHENOT, in Tractatu de *Peſte Tranſilvanica*, dum ſcribit: „ Orientales maris mediterranei oræ, hisque ad- „ jacentes Regiones, ab omni ævo peſtis fre- „ quenriâ infames fuêre, vixque Europa peſte „ unquam adflicta fuit, quæ primitùs inde de- „ rivata non ſit. Lues ibidem non moritur, „ ſed quotannis ferè alicubi viget. Saniſſima- „ que tempora habentur, non quæ nullâ, ſed „ quæ non magnâ hominum ſtrage inſigniun- „ tur. - - Id experiuntur nationes, queis cum „ Imperio Ottomanico intereſt vicinitatis com- „ merciive neceſſitudo, quæ procul dubio, non „ ſecus quàm olim, frequentiùs diræ luis præda „ forent, niſi nunc Regnantium providentia ma- „ lum arceret. *cet.* Idem confirmatur, præter exempla Peſtis Anni 1756, ut & A. 1770. quæ ſtatim referemus, modo diſſeminationis Peſtis Anni 1709. referente enim *Csereio* in M. S. ad A. eundem, lues ex oris Turcicis Bucoreſtum, inde in Moldaviam pervolârat; hincque vaga Zingarorum colluvies in Sedem Gyergyó invexit. Iisdem Zingaris Gyergyó Sz. Miklóſini peſte abſumptis, ex eorum ſtragulo ſerpſit malum in dictam ſedem; inde opinione citiùs, pellio Schæsburgenſis cum ferarum pellibus Schæsburgum ſecum traxit, ſibi ſuisque èxitiale; immò toti Transſilvaniæ, quam atrociter vulneravit.

§. XX.

§. XX.

Quàm verò feliciter, noſtro ævo, exquiſitâ Regnantium providentiâ, ſupremo benedicente Numine, dira lues propulſa fuerit, id binæ peſtes anguſtos intra limites coërcitæ ſatis evincunt. Harum *prior*, quæ ab initio Oct. A. 1755. ad finem Jan. 1757. in Barcenſi, ferè Diſtrictu graſſabatur, ſuppreſſa eſt priùs, quam ultra propagari per Transſilvaniam potuiſſet. 1. *Altera*, quæ A. 1770. in limite Sedis Orbai virus ſuum prodebat, commiſeratione Divinâ, *Conſiliique Rei Sanitatis* ſollicitudine, tumulum in ſuis incunabulis invenit. 2.

1. Hanc peſtem, *Martinus Georgius* Armenus, ex oris Maris Nigri, ubi mercaturam exercebat, in Transſilvaniam invexit. Hic ipſe per nonnulla, quæ, Transſilvaniam verſus tendens, permeaverat loca, peſtem diſſeminavit. Die 30. Sept. 1755. in Lazaretum (§. 16. *n.* 2.) Tömöſenſe appulit, ibidemque d. 9. Oct. fato conceſſit, & peſte fines Diſtrictûs Barciæ infecit. Anno ſubſequente, dum lues magis magisque provinciæ illius ſalubritatem labefactaret; *Conſilii Rei Sanitatis* ordinatione *Exc. Celeb. ac Clariſſ.* D. ADAMVS CHENOT *Philoſ. & Med. Dr.*, *& Rei Sanitatis Transſilvanæ Phyſicus Regius atque Conſiliarius*, 19. Maji, Coronam Civitatem, ubi peſtis radicem jam egerat, ingreſſus eſt; Cui ſub

§.20. [illegible]

initium Augusti, Viennâ, *D. Ant. Bruckman, Med. Dr.* collega supervenit. Virorum Experientiss. ac in demandata sibi provincia Fidelissimorum curis, ope Divinâ, at non sine molestiarum iliade, exantlatis, quo malum compressum sit modo, luculentissimè Orbi Erudito manifestavit prælaudatus Cl. D. CHENOT, in *Tractatu de Peste Transsilvanica* A. 1766. in 8vo Vindobonæ edito. Ex ejus Tabella p. 26. insertâ constat, Coronæ, cum suburbiis, Prasmarini, (Tartlau) Türkösini, Hoszszufalvæ, Csernátfalvæ, Bátsfalvæ, Petrimonti, Zernestini, Zajzonii, Melimonti (Honigberg) in Districtu Barcensi; Pojana Moruluj & Holbachii in Districtu Fagarasensi personas infectas fuisse 6677. ex his 4303 mortuas, 2374. restitutas.

2. Pestis hujus historia talis est: Nonnulli ex Transalpina Valachorum Nobilium, quos *Bojeros* dicimus, ad Passum *Bozza*, Transsilvaniam ingressuri, constiterant; paucisque interpositis diebus, quidam eorum peste secùm advecta correpti, mortem obiêre. Ex defunctorum vestibus sub custodiam positis, Milites Ped. Ord. ex Incl. secunda Legione Siculicâ, quasdam sub noctis silentio sibi rapuerunt; quibus ambo illi pestem domum duxerunt. Serpsit tandem contagium in *Körös*, pago sedis Orbai, qui vt alterius militis præfati patria, ita prima pestis palæstra fuit. Interea cum nonnullis pagi *Kőrös* incolis, legem prophylacticam violantibus, & in proximum pagum *Kovászna* profectis, lues simul ad tres domos transiit. Idem evenit vna in domo *Papolczensi*, in quam ancilla *Kőrösino* invexerat.

rat. Sed confeſtim earundem incolæ domorum, *Kőröſinum*, ubi Noſocomium conſtitutum erat, deducti ſunt; ſicque alia loca miaſma peſtiferum pervolare non poterat. Supprimendo malo, *Incl. Rei Sanitatis Commiſſio*, omnem eminùs intendebat curam, lineamque præcluſoriam, circa Alutam fluvium imprimis, (vt ſuperiori quoque peſte) figebat. Cominùs verò *Ex. ac Celeberr.* D. ANTON. BRVCKMANN *M. Dr.* & *Subdelegatæ in Re Sanitatis Commiſſionis Aſſeſſor*, *vt* & *Quarantenarum Phyſicus*, cui Chyrurgi ſuberant, lue afflictis, magno peritiæ ſuæ & pietatis argumento, opem ferebat. Solus itaque pagus *Kőrös* libitinam ſaginavit in Sede Orbai; at vicus quoque *Tobány* Diſtrictûs Barcenſis, peſtem pariter ex Valachia traductam ſenſit.

Non ſola proinde Transſilvania, ſed contermina etiam Regna, gratias debent inmortales Sereniſſimæ Magnæ Principi, D. D. MARIAE THERESIÆ, charæ quoque SIBI Transſilvaniæ Matri Clementiſſimæ: CVIVS providentiâ, non deſunt Conſilia, nec liberalitate deficiunt Medici Experientes, quorum induſtriâ Divino auxilio ſuffultâ, SVARVM Provinciarum verſus orientem ſeſe exporrigentium, aut cum eodem commercia miſcentium fines multâ vigiliâ circumſepit.

§. XXI.

Inmedicabiliora videntur Atmoſphæræ noſtræ *Meteora*; & ex Aqueis quidem *Grando* 1., ex *Ignitis Fulmina* 2., & ex *Emphaticis* quandoque *Venti* 3., quæ huma-

nam omnem, si spiritualem excipias, medendi rationem transcendentia, haud rarò inmitia experiuntur.

1. Non facilè sanè *Grandinem* excusaverimus, toties Segetibus, Vineis *cet* infensam, vt adeo rectè *P. Fridv. Minerol. p.* 4. innuerit: *Si quæ*, inquit, *regionis pars injuriam Cœli quæritur, non aliam, ac grandinem, quæ cum alias, tum a.* 1765. *magnitudine ovi gallinacei* [& majori non nunquam specie] *decidua, ingentem campis stragem intulit.* Certum est, non minores modo aves, sed & majores, ac porcos *cet* vi grandinum quandoque fuisse interemta.

2. Nullus labitur annus, quo in montosa hac Transsilvania, horrendi fulminis ictu plures non deflagrent ædes: *feriunt* namque *summos fulmina montes.*

3. *Ventus* cumprimis, qui hibernis ab euro venit diebus, ac *Nemere*, a montibus, quos transcendit, vocatur, Trisedi maximè Barcensique Districtui morosissimus est. *Zephyrus*, quo ora fluvii Aranyas nonnunquam infestatur, *Ventus Fissuræ Tordensis*, *Torda Hasadéki Szél*, ab accolis nominatur.

§. XXII.

B. *Tellus* Transsilvanica, quoad ejus TERRAM & AQVAM consideratur, amoenaque offert objecta oculis, iis potissimùm, qui rerum delectantur varietate.

§. XXIII.

§.23.24.25.

§. XXIII.

α. *Terram* Regionis fragoſam gerere ſuperficiem meritò dixerimus ; quum *planis* ea campis ac *montibus* collibusque perpetuùm alternet.

§. XXIV.

Planitudines laude fertilitatis conſpicuæ, juxta amnium decurſus æquè quidem protenduntur in *longum* ; at variæ nimium in *latitudinem*, vix alicubi ultra duo milliaria excurrunt.

Quo major defluit amnis, planitiam ibi eo cernes latiorem ; non tamen conſtantem, ſed nunc anguſtiorem, nunc laxiorem. Inter pleroſque autem amnes, continuæ defluunt ſeries montium colliumque, quorum non pauci juſto unius diei itinere à tergo tibi ſunt relinquendi : vt loca, inter duo *Kükülló* & geminum *Homoród* alioſque plures fluvios, ſita, edocent.

§. XXV.

Montes verò, quos Carpati propagines ſuſpicimus, partim *Limitanei* dicuntur, & *Alpium* nominibus veniunt; qui ex rupibus ac ſaxis præruptis plerumque compoſiti, & vaſtiſſimarum arborum proceritate horridi inhoſpitique, nulli

non

non advenæ metum vel erroris, vel frustrationis, incutiunt: at, ex adverſo, toti Principatui, viarum aſperitatibus & anguſtiis penè inſuperabilibus, ſecuritatem adverſùs hoſtes promittunt haud vanam. Ii namque, poſtquam ſupra Diſtrictum Biſtricienſem, & Sedes Gyergyó ac Csik Siculicales, *Aquilonem* excludunt, longo inde latoque tractu, per utrumque, *Orientis* nempe & *Occidentis* latus procurrunt in *Meridiem*, quam iterum partem alpium molibus, æſtivis quoque non raró diebus nive albeſcentibus, validiſſimè tegunt. Omnes denique illi, quos ſignavimus, montani tractus, metalliferi ſunt; & montium imprimis occidentalium viſceribus inexhauſtus auri theſaurus reconditus eſt. [1]

1. Conferenti ea, quæ *Köleſéri* p. 36. & *P. Fridváldſzky* p. 11. 12. habent, nihil de his dubitabit. Eſto verò hoc ſyſtema montium mineriferorum: Venienti ex Hungaria, à dextris, à *Bánfi-Hunyad* & *Gyalu*, montes illi, qui in meridiem vergentes, per *Albenſis*, *Hunyadenſis* & *Zarandenſis* Comitatuum extrèmitates, ad Maruſium usque decurrunt, *Zalathnamque* inprimis & *Abrud-Bányam*, celebres aurarias, inter loca montana crebris ſaltibus obſepta, complectuntur, tam eâ, quâ Transſilvaniam, quàm quâ Hunga-

gariam reſpiciunt parte, ditiſſimas auri opes in ſeros usque Nepotes duraturas promittunt. Hac parte, præter nonnullorum locorum mineras argenti, divites Ferrariæ Torotzkoenſes celebrantur. Nec trans Maruſium aureæ fibræ, argentumque plumbo maritatum deſiderantur; montes tamen Hunyadenſes uni Marti famulantur. Sed præter Ferrum, Cupro quoque ſe ſe Meridies commendat. Porrò, plaga quoque orientalis, per alpes Fagaraſenſes, Barcenſes & Triſedales, metallifera eſt, & Lunâ potiſſimum gloriatur. Septemtrio denique inter Argenti, Plumbique divitias varius eſt, nec ſuos adhuc locupletavit. Montana ſedium Csik & Gyergyo, Sedemque Bardotz reſpectantia, Ferri mineris exuberant. Radnavienſes accolæ Saturno & Lunâ conquieſcunt; ſed Borace gloriari poſſent.

§. XXVI.

Partim ſunt *Montes Mediterranei*, qui, Limitaneorum quaſi proles, per totam Provinciam, ſupra, numerum, diſperſi, *nunc* in frugiferos vitigenosque colles exeunt; & fertilitate ſua, ſi quædam loca excipias, planiſſimis campis cedunt parùm, opimasque fruges, ſeriùs licet, non minùs percoquunt: mox in alias, excelſiores & depresſiores, formantur propagines, quarum dorſo ſilvarum amœnitas ſuſpenditur.

§. XXVII.

§. 27. 28. ... 3. 3.

§. XXVII.

β. *Aquis*, in Transsilvania, sudant copiosissimis, *Fluvii* majores atque minores, *Fontes* item & *Lacuum* gurgites.

§. XXVIII.

Fluvios Regio numerat quàm creberrimos, quorum nullum exteris ab oris inmittit, sed emittit tres nobiliores navigabilesque, *Marusium* 1. v. l. ac *Samosium* 2. in Hungariam, *Alutam* 3. in Transalpinam; & minores ex omni parte nonnullos 4.: unde in aprico est, Transsilvaniam unius quasi montis sublimis speciem referre, excelsoque positu gaudere.

1. *Marusius*, Herodoto ac Tacito *Marus*, Plinio *Moros*, Straboni *Marisos*, Istvánfio *Marysus*, quibusdam *Meriscus*, Jornandi *Marisia*, Hungaris *Maros*. Germanis Marosch & Marisch; cujus etymon quidam arcessunt à Sclavonico *Moraz*, frigus denotante, quasi diceres, flumen è frigido *Carpati* latere profusum. Primarius hic Transsilvaniæ fluvius, in finibus Sedis Gyergyó Sedem Csik attingentibus, ex occidentali montis *Tarkő* latere profluit, labiturque ab oriente in occidentem, exili primùm alveo, juxta vicum *Vas-Láb*, & rivo *Békény* ex Oppido *Gyergyó-Szent-Miklós* delapso auctus, usque *Tapleczam* de-

decurrit. Tum è dicta Sede, inter montium anfractus, exit in fines Comitatus Tordensis; & postquàm juxta vicos *Dijsznajó*, *Véts*, *Magyar-Regen*, *Szász-Régen* Oppidum, (infra quod rivum *Lutz* recipit:) *Vajda-Szent Iván*, *Sárpatak cet* ripæ occidentali adpositos; vt & *Magyaros*, *Hólt-Marus*, *Radnot-Fája*, (a quo non longè fluvium *Görgény* admittit) *Gernyeszeg*, *Sáromberke*, *Marus-Szent-György*, *cet* ad orientalem ripam accedentes demanasset, & in viscera Transsilvaniæ penetrasset, *Agropoli* in *Sede Marusiensi* suffunditur. Inde *Tordensem*, *Kúkülloensemque Comitatus*, post *Sedem Aranyasensem*, ex qua fluvio cognomine augetur, & Comitatum *Albensem*, cum Oppidis Enyed, Tövis, Albâ-Carolinâ, Al-Vintz, Borberek, & pagis præcipuis, *Hunyadensem* denique Comitatum, adluit; hicque *Strigio* & *Cserna*, vt in Albensi Comitatu, *Kúköllő* & *Apulo* fluviis increscit. Relictâ demùm arce *Devensi* ad lævam, meridiem inter & occidentem exit, ac Hungariam subit; ubi *Lippam* & *Szegedinum* præterlabens, Tibisco miscetur. Quanto verò Marusius ceteris major est fluviis, tanto etiam accolis utilior. Est enim vetus Salis portitor, per quem Sal omnis, è Tordensibus puteis erutus, vehiculoque *Miriszlónem* & *Portum Marusii* usque deportatus, Szegedinum devehitur, qui per Hungariam ac Serviam distrahitur. Ejus præterea decursu, navibus trabicis, (*tutaly* Hungaris) ligna materiaria, asseres, scandulæ, & id genus alia, è Carpaticis jugis, non in magnam tantum Transsilvaniæ partem, sed in ipsam quoque Hungariam demittuntur; lucrum his facientibus Sedis Gyer-

gyó

gyó incolis. Marusii & id laudibus adnumerandum, quod Acipenseris, Muraenae, Gadi, Percae, Cobitis, Siluri, Salmonis, Esocis, Cyprini, aliorumque piscium species benè multas, vt & Astacos copiosos nutriat. Vbi demùm in Stagna excurrit, Cobitis fossilis; ac ex vegetabilibus, Nympheae, Trapae natantis, & similium copiam fert.

2. *Samusius*, Belae Regis Notario *Zomus*, nonnullis *Samus*, Hungaris *Szamos*, geminus est. *Magnus* & *Parvus*. *Magnus* è radicibus alpium super *Radnam* sitarum ac Moldaviam contingentium erumpit; inque ejus margine orienti obverso *Zipmendorff*, *Preszlop*, *Terpény* cet pagi consederunt: in margine verò occiduo soli subjecto, infra rivum ab aurariis Radnensibus decurrentem, vici *Füldre*, *Varojra*, *Naszód*, *Mitite*, *cet* conspiciuntur. Postea recipit, juxta pagum *Szeszárma*, ex orientali margine *Sajonem* fluvium, in Carpato *Districtûs Bistricensis* natum, ac nonnullis rivis auctum, curritque juxta pagum *Betlen*, donec inter vicum Valachicum *Margita* & Oppidum *Dees*, minori Samusio conjungitur. *Parvus* oritur in radice alpis *Kalota* Comitatûs Kolosensis, ad montes *Gyaluenses*, manatque ab occidente ad orientem; ac ad *Claudiopolim* (vbi rivum *Nádas* absorbet) *Szamosfalvam*, *Apahidam*, '*Súk*, *Bontzidam*, *Iklód*, *Szamos - Ujvár*, *Szent-Benedek*, *cet* volvitur, & Samusio majori miscetur. Sic unus ex duobus Samusius, per *Interiorem Szólnok* Comitatum, juxta *Katzkó*, *Galgó*, *Ilonda*, aliosqne vicos fertur ad Districtum *Kővarensem*. Postea Comitatum Szathmariensem adluit,

luit, ibique insulam molitus, coadunata Oppida, *Szathmár*, & *Németi* circumfluit; inde in *Szaboltsensem* Hungariæ Comitatum effusus, in *Tibiscum*, propè vicum *Apáti*, se exonerat. Fluvius hic mediocriter piscosus, olim, temporibus imprimis Principum Bathoriorum, mercaturæ quoque fuit commodissimus, quo Sal præcipuè devehebatur; ast temporum injuriâ, ligno, sabulo, & id genus sordibus repletus erat: denuò, circa A. 1770. jussu Augustissimæ Imperatricis, causâ commercii, repurgatus est.

3. *Aluta*, Hungaris *Olt*, Germanis der Alt-Fluß, non longe à Marusii scaturigine, meridiano è latere montis *Tarkő*, aquarum fœcundissimi, nascitur, rectoque ferè cursu, rigat agrum Csikensem, per spatium, quinque milliarium; tum illabitur, supra pagum *Málnás*, *Trisedi*, quam intersecat, cumque *Fekete-Ügy*, *Videnbach*, *Burtza*, *cet.* auctus, mox à Bartzensi Districtu, versus *Marienburg*, maximè in boream curvatur. Hàc, pagos *Hidvég*, *Liget*, *Bölön*, *Nagy-Ajta*, *Miklósvára* & *Köpetz* in orientali margine; in occidentali verò, *Rothbach*, *Nussbach*, *Gieszt* (Apátza) *Ürmös* & *Ágastonfalva*, salutat. Subinde inter Agastonfalva & Köpetz, relicto ad dextram *Felső-Rákos*, & Sede *Bardotz*, declinat in occidentem; & angusto, sub montibus silvosis ac rupibus, alveo, fertur usque vicum *Alsó-Rákos*, septemtrionali ripæ adpositum. Hunc inter & *Mátefalva*, revertitur in austrum, vt adeo ripa, quæ à *Rothbach* usque *Ágostonfalva* occidentalis erat, jam à *Mátéfalva* & *Dak* usque Oppidum *Fagaras*, immò exitum Alutæ fluvii, orientalis

§.28.

conſpiciatur ; &. inter agros vicorum converſis ripis adpoſitorum, continui ſilvisque horridi montes, ab aquilone in auſtrum protenduntur, Alpibusque Fagaraſenſibus junguntur. Sunt proinde, infra *Mateſalva* vicum, margini orientali Alutæ, aut ſi mavis peninſulæ ab Aluta formatæ extremitati occidentali, adſiti ſequentes pagi: *Dák*, *Bogáth*, *Héviz*, *Hidegkut*, Comitatûs Albenſis ; & *Kutſuláta*, *Komána*, *Venitze*, *Sárkány* Diſtrictûs Fagaraſenſis: poſt, idem Diſtrictus, Alutâ amne ex occidente terminatus, ad Valachiæ Tranſalpinæ confinia decurrit, limpidisque rivis Alutam auget. Ex occidente, infra *Alſó-Rákos*, Alutæ accedunt, è Sede Rupenſi, *Ugra*, *Halmágy*, *Sóna*, & ex Albenſi Comitatu, *Király-halma* ac *Gallatz*. Tum, finibus ſuis, Sedes, Nagy-Sinkenſis, Uj-Egyházienſis (Leſchkirchenſis) & Cibinienſis, fluvium attingunt. Sic, poſtquam Aluta, flumine *Cibin* & *Hartbach*, miſcetur, per Paſſum *Rubra Turris* nuncupatum, in Valachiam permanat, & proximè Nicopolim, Danubium ſubit. Navibus non gravatur, nec piſces omnes, quos Maruſius, alit.

4. Recenſita hactenus tria flumina, reliquos omnes amnes in penitiſſima Transſilvania natos colligunt & ſecum educunt: at ſunt undique fluvii in Transſilvaniæ extremitatibus orti, qui iis haud mixti, ſeorſùm in vicinas delabuntur provincias. Tales ſunt, à *Septemtrione*: Rivus *Beſterce*, diverſus ab eo, qui civitatem Biſtricium ſalutat: is, vt auditione accepi, rivum *Dorna*, Transſilvaniam à Moldavia ſecernentem, admittit, & mox ſemet in Moldaviam præcipitat. *Conſ. Appr.*

Conſt P. 3. *T.* 83. Item *Uzus* fluvius, qui inter Sedes Siculas Csik & Káſzon effuſus, juxta latus occidentale Montis *Nemere* currit in Moldaviam, recipitque fluvium *Tatros*, Paſſum *Gimes* præterlabentem, & Fariones, ne à regalibus menſis aſpernandos, copioſè alentem. Ab *Ortu*: Fluvius *Ojtoz*, ad cognominem Paſſum, ſupra Sedem ſiculam Kézdi, Farione pariter glorians, Moldaviam intrat. *Bozza*, quatuor minoribus, *Bozza* minore, *Strimba*, *Doblen*, & *Kráſzna* actus, è Paſſu itidem *Bozza* ſupra Diſtrictum Barcenſem, in Valachiam egreditur, aurumque Principi regionis vehit. Ex *Meridiè*: *Sil* ex finibus Comitatûs *Húnyad*, pariter Valachiam petit. His, ad *Occidentem*, ſunt celebriores, tres *Chryſii*, Hungaris *Körös* dicti. *Primus*, *Rapidus Chryſius*, *Sebes Körös*, Hung. ultra Sebeſvárum oritur, & inter præaltas aſperaſque alpes, continuatis anfractibus præcipitatus, celeri alveo, per loca campeſtria, Valachis culta, Telegdinum allambens, Magnum Váradinum decurrit; admiſſo poſtea utriusque, *Albi* v. l. & *Nigri Körös* undis, ad Csongradum in Tibiſcum immergitur. *Secundus Niger Chryſius*, Hung. *Fekete Körös*, in Biharinis montibus ortus, præcipiti Hungariam curſu petit. *Tertius* jam, *Albus Chryſius*, H. *Fejér Körös*, inter alpes ingentibus montis *Vulkán* jugis contiguas, & Abrud-Bányám reſpectantes ſcaturit; tum Körös-Bányam, tandemque caſtra *Jenő* & *Gyula* præterfluens, denique ſociis Chryſiis commixtus in Tibiſcum commigrat. Hi aureas arenas vehunt.

§. XXIX.

Nec *Amnes* plurimi *minores*, tribus illis majoribus ſe ſe infundentes ignobiles ſunt, ſed multis digni laudibus; quales ſunt: *Aranyas* [1] ſeu Auratus, *Lapos* [2], *Sajó* [3], *Küküllő* [4] geminus, *Homoród* [5] duplex, *Fekete-Ügy* [6], *Hartbach* [7] cet, qui plurimis ſe inſinuant Circulis. Vt &: *Cserna*, *Strigius*, *Apulus*, *Sebes*, *Nyárád*, *Videnbach*, *Burtza*, *Cibin* & ſexcenti alii, ſingulares rigantes Circulos [8]. Horum enim multi non modo animalia aquatica limpidis undis alunt, ſed etiam granulis puriſſimi auri fœti ſunt. [9]

1. *Aranyas* Hungaris, ab *Arany*, quod Aurum ſignificat; hinc dicitur etiam *Auratus*, aliis *Chryſolor*. Hic ille eſt fluvius, quem Transſilvaniæ Pactolum jure dixerimus: in aprico enim eſt, eum auri arenis nunc etiam turgere, olim ramentis, & id genus auri maſſa abundaſſe. Eſt verò *Aranyas* in ortu ſuo geminus, & utrique, *majori* v. l. & *minori*, natalem ſedem montes *Bihar*, ea parte, quæ Transſilvanorum eſt, dedêre, atque ad pedem alpis Plaj diviſi, ſuper Topánfalvam confluunt, ubi conſtituunt *Aranyaſum*; qui in ortum flexus, ſedem *Aranyas* à fluvio dictam alluit. Poſtea Oppidum *Torda*, & pagos *Kereſztes*, *Polyán* pretergreſſus, Oppida *Egerbegy* & *Gyéres* dirimit, juxtaque *Gyéres Szkiraly*, *Lóna* & *Gerend*, innato ſibi curſu rapidiſſimo volvitur, dum

dum in fine Comitatûs *Tordenſis*, ſupra vicum *Vajdaſzeg*, Maruſio jungitur. Navigabilis quidem eſt; ſed non ſine difficultatibus, ubi imprimis clauſtris molarum junctus eſt, navibus trabicis ligna materiaria demittit. Auro, (quo Maruſii quoque arenas, maximè poſt imbres, longo ſatis tractu, miſcet) quàm piſeibus, opulentior.

2. *Lápos*, ab alveo uliginoſo ſic dictus, quum *Uligo* Hungaris *Láp* nominetur, inter *Máramaruſienſes* & *Radnenſes* alpes ſcaturit, & juxta pagum *Olá-Lápos* labitur. Poſtea fluvium Szöts, à cognominibus vicis *Alſö-* v. l. & *Felſö'ſzö'ts* delapſum, prope pagum *Rogoz* recipit. Hinc amplius in *Comitatu Szólnok Interiori*, cui ortum debet, progreſſus, vicos *Damokos*, *Magyar-Lápos*, & *Matska-Mező* alluit; & ad dextram, minores inter rivos *Lapoſum* petentes, pagos *Kis-* & *Nagy-Debrek*, *Borkút*, *Ünő'-mező*, *Sztójka-falva cet* reliquit. Arci *Kő'vár*, à qua Diſtrictus nomen accepit, poſtea adlapſus, excipiensque rivulos, unum è *Kapnik-Bánya* monteque *Guttone* manantem, alterum *Saſsarum* Felſö-Bánya defluentem, rivo denique *Miſztio* increſcens, *Samuſium* petit.

3. *Sajó*, ſub extremo Transſilvaniæ ſeptemtrione; ſuum ortum nactus, juxta pagos *Nagy-Sajó*, *Bilak*, *Sárvár*, *cet* decurrit, & admittit rivum è tractu pagorum *Oláh-Budak*, *Simontelke cet* Comitatûs *Doboka* demanantem. Porrò, recipit fluvium vulgò *Beſztertze* dictum, qui ex alpibus ſupra *Borgó* ſitis natus, ac ex oriente agrum Biſtricenſem rigans, infra Sófalvam conmiſcetur. Taliter auctus *Sajó*, poſtquam vicos *Sajo-Udvar-*

 hely

9.29.

hely (à quo hinc *Árok-alya*, illinc *Szent-András* Comitatûs Doboka non longè diſcedunt) & *Somkerék*, Comitatûs *Szólnok Interioris* præterlabitur, circa *Köts* & *Szeſzárma*, in Samuſium majorem ſe mergit.

4. *Küküllő* & *Kükölló* Hungaris dictus, P. Timoni *Cicellus*, Comiti Joh. Làzár (in Opere Poëtico) *Cucullus*, Latinè nominatur Valachis *Tyrnává*. Quidam dictum putant *Küküllő*, quaſi *Ki kellő*, i. e. *quàm optabilis*, alii *Ki-kelő*, quod ſæpè *exundet*, nonnulli à Greco ΚΥΚΛΟΣ, quod, præſertim *Minor*, in numeros alveo ſuo ſinus ſive circulos efformet. Duplex eſt, *Magnus* & *Parvus*.

Magnus, in ſilvis Zetalakenſibus verſus *Gyergyó* ſitis, ſed benè à Zetalaka remotis, prorumpit, volviturque juxta Oppidum *Udvarhely*, & hujus nominis ſedem, à ſeptemtrione in meridiem occidentaliorem lapſus, mediam quaſi ſecat, alluens infra Opp. Udvarhely vicos inter ceteros, *Bögöz*, *Agyagfalva*, *Galambfalva*, *Betfalva*, & Oppidum *Kereſztur*. Infra verò *Uj-Székelum*, margine *occidentali* habet vicos Comitatûs Küküllœnſis *Sárd* & *Alſó-Bun*, qui & *Kis-Bun* ac *Czapa-falva* vocatur. Orientalem autem, eodem tractu, ripam, occuparunt: *Héjas-falva* & *Fejér-Egyház* Comitatûs Albenſis. Hos excipit Civitas *Schæsburgum* cum adjacente *Sede*; quam Oppidum *Ebesfalva*, & hoc, Civitas *Media*, cum ſua *Sede*, ſequitur. Poſtea celebres pagi Sedis Cibinienſis, *Nagy-* & *Kis-Ekemező* ad occidentalem ripam acceſſerunt; quos ibidem ſequun-

ſequuntur, *Mikeſzáſza* & *Hoſzſzuaſzo* Comitatûs Küküllenſis; & his in ripa orientali, immò jam meridionali, *Hóldvilág* & *Monora* opponunrur à Comitatu Albenſi. *Baláſfalva* denique, infra quem cum *Parvo Kükülló* miſcetur, occidentalem ripam occupavit, aut rectiùs ſeptemtrionalem, quum ex oriente *Parvo* approximavit.

Parvus Kükülló, ortum ſuum ſumit in monte *Parajdenſi*, quo ſilvæ *Sedis Gyergyó*, & *Parajdenſes*, *Söfalvenſesque* Sedis Udvarhely conterminantur; & poſtquam id præſtitit commodi, quod ex occidente *Sedem Udvarhely*, à *Maruſenſi*, diſterminaverit, Comitatui Kükülló illabitur; quem juxtà pagos *Bonyha*, *Héderfája*, *Szöke-falva*, Oppidum *Küküllóvár*, *B. Sz. Miklós*, *cet* interluit, & infra *Baláſfalvam* Majorem Kükülló intrat. De Pagis utrique Kükülló adpoſitis, vt & rivis, quibus augentur, *Pars* plura referet *poſterior*: nunc verò notandum, coadunatum *Kükülló* fluvium, à meridie *Tür*, à ſeptemtrione *Karátſonfalvam*, *Buzáſ-Botsárdo* adproximantem, ripis ſuis accepiſſe, & mox circa *Oláh-Cseſztve* atque *Mihóltzfalvam* Maruſio ſe miſcuiſſe.

5. *Homoród* duplex, *Magnus* & *Parvus*, ex montibus *Sedem Csik* ab *Udvarhely* ſeparantibus, oritur uterque, & delabuntur ex ſeptemtrione in meridiem, in orientali Sedis Udvarhely parte, quam permeantes, in Sede Rupenſi Saxonum, uniuntur, Alutamque petunt.

6. *Fekete-Ügy*, celebris *Trium Sedium* Siculicalium fluvius, in ſilvis *Lembényiis* ortus, à ſole na-

ſcente properat ad occumbentem, certasque Sedium *Kèzdi*, *Orbai* & *Sepſi* partes rigans, & rivis minoribus augmentum capiens, in inferiori Sedis Sepſi parte, Diſtrictum Barcenſem attingente, infra pagum Kökös, *Alutam* illabitur.

7. Hartbach Germanis, *Hortobâgy* Hungaris, quem P. Timon *Durium* dixit. Producitur in finibus Sedis Schæsburgenſis; rigat Sedes, *Nagy*-Sinkenſem, Leſchkirchenſem, immo & Cibinienſem. Ei, à fonte oſtium verſus deſcendendo, in margine occidentali adjacent: *Hégen*, *Neihus*, *Jakabfalva*, *Præpoſtfalva*, *Roſonda*, Oppidum *Szent-Agota*, *Bendorff*, *Oltzina*, *Leſchkirchen* Opp. & *Kaſtenholtz*. Orientalem verò marginem inſederunt: *Réten* S. Petersdorff, Neuſtadt, *Száſzhalam* vel rectiuſ Százhalam, *Holtzmany*, *Hortobágy-falva*. Fluvius Hartbach, ab Alutâ nunc uno, mox & dimidio milliari, in occidentem abit, & demùm, cum amne *Cibin* Alutam petit.

8. *Generali* hac *parte* notavimus fluvios, qui non unum circulum, ſed plures, vel ſedes, vel Comitatus, rigarunt: at eos, qui ſingulares, hoc eſt unum Comitatum, aut ſolam Sedem, intermeant, *ſpeciali* reſervamus *Parti*. Ibi, præter nominatos, locus erit dicendi, de *Lútz*, *Görgény*, *Békény*, *Székáſzó*, *Kőd-vize*, *Szép-viz*, *Káſzon*, *Fejér-Nyikó*, *Gagy*, *Kaltbach*, *Székás*, *Vargyas*, *Barót*, *cet.*

9. Fluvii ſanè non pauci aurato ſabulo graves decurrunt, adeo, vt *Zamoſius* Poëtas de ſuis Tagis ac Pactolis ſilere juſſerit; & Patres noſtri, poſte-

§. 30. N. 93. 6.

ros ab operofis Cholchidos itineribus foluturi, amnes iftos aureos nominare jufferint. Fluvii fulvam auri arenam vehentes, fequentes à *Köleferio* p. 72. numerantur: *Auratus*, *Apulus*, *Gyógyus*, *Strigius*, *Chryfius albus* & *celer*, *Marufius* ab influento Aurati, *Silus*, *Samofius* major & minor, *Biftricus*, *Dumbravicza* - - *Aluta*, poftquam Transfilvaniam transgreditur.

Zingari in plures divifi Societates, & auriferos amnes circumfedentes, hunc auri proventum intercipiunt ac elutriant: qui propter tutelam & præfidium fibi à Camera Regia præftandum, centum pifeta annua pendunt. Illi fcamnis lotoriis vefte villofâ contectis & ponè fluviolos erectis, cui arenam auriferam cum aquâ affundunt, aurum à fabulo fecernunt: tanto emolumento, ut Zingarus unus operi diligenter inftans, hebdomadæ fpatio tria pifeta lucrifaciat, & pro fingulis trium Rhenenfium pretium accipiat. Feliciùs opus peragitur, dum eluviones aurum è montibus deterunt.

§. XXX.

Fontium quoque variæ ac innumeræ dimanant fcaturigines, quæ non folùm *aquam communem* [1.], eamque optimam, fed etiam *minerales* [2.] varii generis, tam frigidas, quàm tepentes, fundunt.

1. Fluvii quidem omnes, quorum meminimus, ac hel̄oa pocula provinciæ alumnis vicinisque populis propinant: contemtum tamen eorum pariunt

fontes cryſtallini, qui undis limpidiſſimis omnes omnium locorum incolas reficiunt. Exceptâ tamen ea Transſilvaniæ parte, quæ *Campeſtris regio* (*Mezőſég*) audit: ubi nec frequentes adeò, neć tam ſalutiferi ſcaturiunt fontes; ideoque fluviis vix irrigatur, ſed lacubus ac piſcinis ſcatet.

2. Ex Aquis *mineralibus* celebrantur maximè *Acidulæ* variæ quales ſunt: *Radnenſes*, *Bor - Székienſes* in Sede Gyergyó, *Lövétenſes*, *Száldoboſenſes*, *Batzonenſes*, *Hermányenſes*, *Bodokenſes*, *Hatojkenſes*, *Csikenſes*, *Káſzonenſes*, & permultæ aliæ; de quarum indole lectu ſunt digniſſima, quæ legnntur in *Diætetica* Exp. ac Celeb. D. *Steph. Mátyus* M. Dris, & in *Minerologia P. Fridváldſzky p.* 193. *ſeqq.* Sunt & fontes tam *Sale communi fontano* (muriâ fontanâ) quàm *ſale amaro*, vt & *alumine eet* copioſè referti. De quibus infra.

Thermæ celebriores ſunt in Comitatu Húnyad *Gyógyenſes*, quæ tepent, non calent. Nec ultimæ eſſent laudis, *Kálánenſes*, nî neglectæ jacerent. *Huſzti.* Sut & aquæ lapideas cruſtas inducentes benè multæ: ſed celebratiſſimæ omnium ſunt *Aquæ Lapideſcentes Almaſenſes* in territorio Sedis Udvarhely, ubi cavernæ ſubterraneæ in petris mirabiles, per longum & latum, plurimorum inſtar cubiculorum protenſæ, dant aquas ſtillantes, quæ in lapidem (*Stalactiten ſpatoſum*) durantur.

§. XXXI.

Nec *Lacus* 1. Transſilvaniæ prætermittendi ſunt, quorum alii naturæ prorſus

ſus

ſûs ſunt miracula, alii multum mortalibus commodi præbent.

1. Vaſtiſſimus omnium eſt *Lacus Hódos*, ſive ab adjacente *Czege*, pago Comitatûs Doboka, *Lacus Czegenſis* dictus, qui in longitudinem trium fermè milliarium portrahitur, ambitque nonnullos montes, quorum radices ſeptem pagis patent. Sunt & alii, in eodem maximè tractu *Campeſtri*, v. l. *Tóhátenſis* & *Záhenſis*, *Sármáſenſis cet* qui totidem ſunt piſcinæ, non inſipidis varii generis piſcibus, ac ex ignobilioribus copioſo nimiùm *Cyprino lato* ſive *Ballero*, tum avibus etiam aquaticis, & id genus animalibus, refertæ. Commemorandi etiam illi ſunt vel maximè, qui nullum effluvium, at mirandam profunditatem habentes, ſæpè in montium alpiumque editiſſimarum cacuminibus foventur; & ab accolis, ob immenſam profunditatem, cum maximis terræ noſtræ hydrophilaciis, vel cum ipſo mari communicare putantur; ideoque *Maris Oculi* (*Tenger Szemek*) vocantur. (Sicut ſunt Scriptoribus, *Oculi* ſive *Phialæ* Jordanis, Nili, *cet.*) Talis eſt *Lacus S. Annæ*, intra montes *Tuſnad*enſes Sedis Csik ſitus: hic inexhauſtæ hactenùs profunditatis, æſtuat, tumet & decreſcit; ejus verò profundum, colligatis in tercentas orgyas funibus, appenſaque bollide, incaſſum accolæ periclitati ſunt. Quis non miretur ſimiles Lacus verticibus alpium elevatiſſimarum Diſtrictûs Hátſzeg impoſitos, quos inter Alpi Retyezát inſidens eminet; quum hi *Salmones Fariones* (*Piſztrang*) hamo inſidias ſtruentibus præbeant? Supra Paſſum Piritske Sedis Gyer-

§. 32:

Gyergyó, Lacus est avibus inimicissimus: nulla hunc pervolat, omnis trajicere parans, infelix præda mergitur. *P. Fridv. p.* 200. Nec alibi similes desunt undæ, versus Moldaviam.

§. XXXII.

Ex perceptâ hactenus Terræ & Aquæ alternâ varietate, nativa adeò soli contigit felicitas [1]., vt ibi quoque, ubi alias steriles succrescerent segetes, ager sit fœcundus [2]. & opum dives.

1. Rem acu tetigit *P. Fridv. p.* 3. dum scripsit: „ Licet eveniat, vt culmus in desideratam non „ adsurgat altitudinem, aristæ tamen gra- „ nis fœtæ ad maturitatem perveniunt. Quod „ inde fieri autumo, quia rore matutino densis- „ simo copiosissimoque affatim humectantur: „ nec mirum id videri debet; quid enim ab u- „ dosis vallibus, fontibus penè innumeris, peren- " nibus rivis, lacubus non paucis, plurimis flu- „ minibus præstoleris aliud, quam exhalationes „ sitientem agrum recreaturas?

2. Siculorum quidem agri, in Sedibus *Csik* & *Gyergyó*, multa item Sedis *Udvarhely* parte, & paucis aliis locis, sunt steriliores, quàm plerorumque Comitatuum, & Saxonicarum maximè Sedium terrena, grandeque prærupta montium juga agricolis negotium facessant: convenire tamen generaliter in Transsilvaniam videtur encomium, quo eam *Auctor Novæ Daciæ* p.

43.

J. 33. ...

43. ſic celebrat: „Nemo indigenarum incuſare
„ naturam poſſit, quin peculiaria vitæ commo-
„ da in eam contulerit, modo ſuam homines
„ fœcundæ glebæ, tantillùm induſtriam jungant.
„ Et habet hæc ditio, quod pluribus etiam gen-
„ tibus porrigat ac neceſſaria ſubmittat; tanta
„ enim telluris eſt fœcuditas, vt quid quid ex fructi-
„ bus terræ in alimoniam vertitur, non ad uſum
„ tantum, ſed ad luxum etiam ſuppeditet. - -
„ Quid mirum deinde, ſi ad hæc horrea, in
„ quibus menſam ſtravit Deus ad diſcumbendum,
„ tot ex Europa & Aſia confluant Nationes?
Conf. Köleſer p. 8. ſeqq. Huc facit celebris nu-
mus Romanus, cui inſculpta Ceres cornucopiæ
dexterâ geſtat, lævâ tabellam, cum inſcriptione:
ABVNDANTIA DACIAE. quibus verbis indica-
tur ubertas agri Dacici; qui omne id, quod na-
tura hominibus, (ſi ſimplicitati ſtuderent) ad
victum & amictum conceſſit, ex æquo cum Hun-
garia poſſidere videtur; & ea Regni Vegetabilis
Animalisque dona, quibus una regionis pars
deſtituitur, alia illicò ſubminiſtrat, nec è ſinu
ſuo excurrere inopes rerum, ſi artefactas exci-
pias, patiatur.

§. XXXIII.

Immò *Regna Naturæ* in Tranſilva-
nia Claſſes ſuas ordinaſſe, omniaque
vitæ neceſſaria huc contuliſſe videntur:
vt proinde indignum videri poſſit nemi-
ni, ad Syſtematis compendium quædam
conferri, ex TRIBVS illis NATVRAE,

LA-

LAPIDEO v. l. VEGETABILI & ANIMALI, REGNIS.

§. XXXIV.

I. Primo loco, *Regnum Lapideum* [1], ſua obeat Comitia, tribus ſuis, *Petrarum* v. l. *Minerarum* ac *Foſſilium* Claſſibus.

1. Has Claſſes, cum Magno Hiſtoriæ Naturalis Magiſtro, *Car.* LINNÆO, conſtituimus. Quum verò P. FRIDVÁLDSZKY, in *Minerologia Magni Principatûs Transſilvaniæ* A. 1767. Claudiopoli, in 4to edita à prolixiori hujus *Regni* deſcriptione otium nobis fecerit: breviter hoc, & hujus plerumque Auctoris vitulo, exaramus.

§. XXXV.

A. *Claſſis prima*, quinque *Ordinibus* PETRAS enumerat, ſcil. *Humoſas*, *Calcarias*, *Argillaceas*, *Arenatas*, & *Aggregatas*.

§. XXXVI.

1. Petræ *Humoſæ* omnes, veniunt nomine *Schiſti*, cujus de genere *Schiſtus tabularis* atque *communis*, non deſunt.

§. XXXVII.

2. Ex *Calcariis*, *Marmora nobilia*, aliæ quoque, ſed imprimis plaga Toroczkenſis,

ſis, Achatum æmula, copioſè ſuppeditat. *Gypſum uſuale* Transſilvaniæ non ignotum. *Alabaſtri*, quod Gypſi eſt ſpecies, candidi quidem & ſemidiaphani, variegatique ubertas, maxima, in plaga Tordenſi, Koloſenſi, atque aliis, præſtò eſt; nec elegantiſſima, uſui quotidiano accommoda inſtrumenta, ex eo efficta, cernere rarum eſt. *Spatorum* pariter diverſas ſpecies regio numerat.

§. XXXVIII.

3. *Argillacearum* è numero, aliquot *Talci* ſpecies; *Lapis ſerpentinus* quidem ac *Ollaris*, vt & *Rubrica* facilè reperiuntur: *Amianti Asbeſti* copia in vicinis Claudiopoli aggeſtis undique exuberat. Nec quædam *Micæ* ſpecies deſiderantur.

§. XXXIX.

4. Ex *Arenatarum* Ordine: *Cos cotária*, ex qua *Cos gyratilis* efformatur, cum alibi, tum ad fluvium *Ojtoz*, reperitur. Variæ ſimiliter *Quartzi* ſpecies. Silices: *Sardus*, *Opalus*, *Onyx*, *Chalcedonius*, *Carneolus*, *Achates*, *Jaſpis*. vid. *Fridv*. *p*. 7. & 178. *ſeqq*.

§. XL.

§. 40–43.

§. XL.

5. Ex *Aggregatis*, diverſas *Saxorum* ſpecies, ultrà, quàm optaremus, calcamus.

§. XLI.

B. MINERÆ trium ſunt ordinum: primò veniunt *Salia*, deinde *Sulphura*, ultimùm *Metalla*, eaque vel *friabilia*, vel *malleabilia*.

§. XLII.

1. Inter *Salia* *a*) æthereum illud, acre, eſſentiali-acidum, *Nitrum nativum*, quod ubique produci poteſt, copioſum excoquitur.

§. XLIII.

b) *Natrum fontanum*, quod *Sal purgans* & *amarum* vulgò vocatur, abundè largiuntur amari illi fontes, quos tricenis plures, in Campeſtribus vicis: *Nagy-* & *Kis-Czeg*, *Nováj*, *Sármás*, *Bontzida* P. Fridv. reperit. *vid. Minerol. p.* 194. & *Diſſert. de Skumpia p.* 2. Eorum Sales in cryſtallum coactos, nil à Sale amaro *Sedlicenſi* differre, Viri Experientes profitentur. *Natrum murorum* quoque, quod *Aphronitrum* vocari conſvevit, Transſilvania ſuggerit. Pariter *Natrum glaciale* (*Glacies Mariæ* quibusdam) & *Selenitem*.

§. XLIV.

§. XLIV.

c. *Borax nudus* five *Tincal*, è China, Tranquebar, & locis Indiæ Orientalis adferri folitus, ac pro colliquatione & coadunatione metallorum multùm artificibus expetitus, ad Biftricium [1]. reperitur. *Lapidoforum* etiam *Boracum*, vt funt *Gemma nobilis* [2]. & *Granatus* [3]., patria effe Tranffilvania creditur.

1. *Brukman* & *Boerhaave* poft Kreckvicium, *Boracem* Tranffilvaniæ prædicarunt, quibus *P. Fridváldfzky p.* 149. affentitur, & in monte *Gyálu-popi* fupra Radnam Diftrictûs Biftricenfis, ex anfractibus Boracem eruere, majori operæ pretio, quàm colendis fodinis infiftere, poffe afferit.

2. *Borax* lapidofus, prifmaticus, pellucidus, pyramidibus truncatis, *Linnæo* dicitur *Gemma nobilis*; cujus varietates funt: *Topazius*, *Chryfolithus* & *Beryllus*, quos *P. Fridv.* p. 175. enumerat; fed an Transfilvania eorum patria fit, à loco non defignat, nec aliqua mihi relatio fuppetit.

3. *Granatorum*, juglandis etiam magnitudinem æquantium, & colorem diaphano merafinum exhibentium, copia adeft, in lutea gleba, in Cuneo Torotzkenfi, *Ill. D. Lib. Bar. Greg. Torotzkai.* Etiam in Terra Fagaras, Rivus Szombatfalvenfis, qua in Alutam influit, copiofioribus purioribusque Granatulis turget. *Fridv.*

§. XLV.

d. Si qua re aliâ, *Muriâ* certè tam *montanâ* (*Sal gemmæ* & *Sal fossile* vulgò nuncupatur) quàm *fontana*, meritò Transsilvania, præ ceteris Europæ regionibus, gloriatur: quum *fossilis* imprimis tanta sit copia *Salis*, in Fodinis [1] ad *Dees-Akna*, *Szék*, *Kolos*, *Torda*, *Vizakna* & *Parajd* apertis, vt quemadmodùm veteres toti Scythiæ, ita recentiores omnibus Austriacæ Potentiæ subditis Regnis, ad extremum usque intereuntis mundi diem sufficere posse existiment.

1. Innumeræ, præter has, possent aperiri fodinæ; cum tantæ Salis divitiæ passim regioni, & maximè Sedi Udvarhely, sint collatæ, vt plurimorum ædificia vicorum, sali à terræ superficie tantillùm depresso superstructa sint: sed ex his, 1600000. centenariorum sufficit Transsilvania, quorum vnus 50. crucigeros ab Año 1765. indigenis valet. In dubium itaque vocari non potest, prisca illa Regum Hung. consvetudo, qua suis Administris copiosos Sales annuæ solutionis partem numerabant. Ita Vajvoda Transsilvanus numeratos habuit Sales, valore 3000. flor. Palatinus Hung. 2000. Banus Dalmatiæ & Croatiæ 1000, totidem Comes Temesiensis, Magister Curiæ Regiæ 500. similiter Castellanus Budensis. Nec mirum videbitur, publicis Comitiis Año 1614. determinatum fuisse, quatenus Siculi, pro

pro una Salis vehe, quæ ſex centenariis, prout conjicio, conſtabat, non ultra ſex crucigeros ſolvant. In aprico etiam eſt, ſuperiore ætate, Magnatibus, Nobilibus & Parochis Centenarium ſex itidem crucigeris veniſſe. Ex his Salis vilitatem intelligis.

Perplurimi item numerantur pagi, in Sedibus præcipuè Udvarhelyenſi & Rupenſi, qui ne obolum quidem expendunt, ſed *Sale fontano*, pagatim oppeſſulato, utuntur: extraneis vendere capitale crimen eſt.

§. XLVI.

e. *Alumen nativum*, ad Lázárfalvam Sedis Csik, aut ſi mâvis, ſupra Torjam Sedis Kézdi, in ſpecu montis *Büdös-hegy*, vt & in territorio, celebris pagi Dàlnok, *Na'das-gödre* dicto, redundat. In *Kraſznenſi* verò Comitatu, Vicus *Zovány*, non perennes modò fontes alit, *Alumine* fœtos copioſiſſimo, ſed toto quoque latè territorio, qua rivuli diſcurrunt, ſi fodiatur, multo refertas Alumine præbet aquas; quas multi valetudinis cauſa frequentant, & calefactis balnei inſtar utuntur.

1. Poſſet etiam ex argillis multo *Alumine* turgidis, apud Salinas Parajdenſes, atque alibi, educi. Denique Vitriolum fodinarum ſæpè Alumine plu-

§. 47-48. ...

plumoſo mixtum eſt: unde, *Zalathnæ*, illi ipſi pyrites, è quibus vitriolum conficiunt, iterùm aëri exponi poſſent, &, docente *P. Fridv.* Alumine fœcundarentur.

2. *Gemmam pretioſam* nominat Linnæus *Alumen lapidoſum*, pellucidiſſimum, ſolidiſſimum; & de *Adamante*, Gemmæ varietate, *P. Fridv.* hæc habet: „ Ad fines Tranſſilvaniæ, cumprimis in „ *Marmatia* (Máramarus) vulgatiſſimi ſunt *Adamantes*, quorum aliqui *orientalibus* non ſunt „ inferiores, *Bohemicis* verò duriores omninò: „ hos agricolæ, cum ſuos arant agros, aut „ quando à deciduis imbribus evoluti ad ſolis ra- „ dios amœnè ſcintillant, legunt copioſè.

§. XLVII.

f. Vitriolum quoque *cyprio* ſuppar copioſum, *Zalathnæ*, è pyritibus, quorum illic ingens eſt copia, magno ærarii emolumento, ſeu ad aquam fortem, ſeu mercurium ſublimatum conficiendum, educitur. *V. Fridv.*

§. XLVIII.

2. *a.*) *Sulphurum* de genere, *Maltha* forſan [1.], *Lithavtrax* [2.] & *Ampelites*, Bituminis ſpecies, non deſunt.

1. *Malthæ* meminit *Berkenmeyer* in ſuo Antiquario curioſo Año 1712. quum commemorat fontem ad Albam-Carolinam ſitum, è quo axun-

giam

J. 49. .3..5..4

giam ad axes, rotasque curruum ungendas, copiosam hauriri adserit. At hic fons hodie nobis ignotus est. Olim è fontibus in Sedis Csik finibus sitis, hausta axungia (*Maltha*, sive *Bitumen Judaicum*) vasis, curribusque deferebatur venum exponenda; sed nunc ii fontes Principi Moldaviæ parent. *Fridv. p.* 136.

2. *Zaratæ*, loco v. l. *Cibinio* sex horarum intervallo dissito, optimorum *Lithantracum* (*Carbonum fossilium*) copia suppeit: vestigia ligni, è quo percocta sunt, in stratis suis, manifesta præferunt.

§. XLIX.

b.) Nec *Sulphur nativum*, (*Büdös-kö*) quod *Pyritæ nativi* nomine apud *Linnæum* reperies, idque copiosum, in Transsilvania desiderabis.

Benè multos inter montes, coquendo Sulphuri idoneos, illi eminent, qui supra *Torjam*, Csik inter & Kézdi Sedes, adsurgunt. Eorum unum *Bálványos* dicunt; alter propè *Lázárfalvam* ad rivum; *Büdös-patak* nuncupatum, fodinam Sulphuris tricenis minùs annis desertam querulatur. Ad originem rivuli memorati, in contiguo monte *Büdös-hegy* (fœtido monte) petra prominet aditu longo latoque, ordine optimo, ab artifice naturâ excavata: huc omnes illi commigrant, quos dira scabies, capitis oculorumque dolor afficit, sed brevem ibi moram acturi; nisi noctem velint agere perpetuò dormiendam. Su-

§. 50. 51.

perficies montis, qua ſpecus pertuſa eſt, exitialis adeò, vt hanc volatiles pervolare parantes, in puteum præcipites ruant. In Sede verò *Medgyes*, ad pagum Bazzen ſcaturit fons ſale communi affluens, ſed tanto fœtus Sulphure, vt ſi ei facem admoveant, flammam illico eructet; quod tamen inſigne phœnomenon humido aëre, vel procelloſo, nunquam evenit. Annuos è *Sulphure* fructus priore ſeculo redundaſſe, indicat Reſcriptum *Stephani Botskai* Principis, ad Status & Ordines Tranſilvaniæ, Anni 1606. Art. 10.

§. L.

c.) *Arſenicum*, quod nec Salibus, nec Metallis; ſed, quòd ardeat, fumet, odorem ſpargat, metalla mineraliſet cct. à Linnæo Sulphuribus inſertum eſt, non de eſt.

„ *Valerius* in Minerolog. ed. *Berol.* Año 1750.
„ Transſilvaniam ab *Arſenico* celebrat, cumprimis illo, quod *Riſigallum* audit, & arſenicum flavum eſt, vel etiam rubrum vulgò *Realgar*, cujus copiam indico in montibus *Olá-Lápos*, præprimis in fodina Borkútiana exuberat.

§. LI.

3. Ordinem *Metallorum* ducit, *a.*) *Hydrargyrum*, cujus Species, *Mercurius* ac *Cinnabaris nativa*, hujus Regionis reditus augent.

Mi-

Mineræ Transſilvaniæ *Mercurium* (*Argentum vivum*) ſudantes *Cinnabarinæ* ſunt, eæque ſeſe debent montibus *Zalathnenſium* feraciſſimis. Hos inter peculiaris eſt *Dumbrava*, ab Oppido Zalathnâ horæ ſpatio remotus, inque ſeptemtrionem procurrens, qui initio Seculi 17mi fodi cœptus, nimium Cinnabareus eſt. Ductus ibi Cinnabarei fibroſi & glomeraminibus per intervalla diviſi uberè ſuppetunt, venæque omnes à ſeptemtrione in meridiem tendunt. Cinnabaris non inelegans, copiam ſpondet Mercurii; centenarius mineræ 60. libras Mercurii exſudat: paucos ante annos, impendiis omnibus connumeratis, annuos dedêre reditus 5973. Rhenenſes. Nunc ſollicitudini privatorum relicta ſunt omnia, atque ab his libram Mercurii 42. crucigeris redimunt illi, quorum intereſt. Montes *Baboja*, *Maſchucher* & *Badis* dicti, itidem Cinnabarei ſunt: in confeſſo eſt, hos inter plures deliteſcere puteos, è quibus *Virgineum Mercurium*, ſitulis lintribusque Patres noſtri legebant. Etiam in Sede Kézdi ad *Lemhény* & *Eſztelnek* Argentum vivum redundaſſe, nonnulli prædicant. Fabrica *Mercurii Sublimati* ad Albam Carolinam, ponè vicum *Kis-Falud*, paucos ante annos, non ſine magno ærarii emolumento, exſurrexit. De cultura Argenti vivi Vid. *Approb. P. 2. T. 9. A. 2.*

§. LII.

b. c. d.) *Antimonium* 1., *Viſmutum* 2., *Cobaltum* 3., quoque patriam ſibi Daciam adoptarunt.

1. Antimonio (*Stibium striatum* Linn.) pleræque Transsilvaniæ Metallifodinæ scatent; & fodinas illas apud Daços auri feraciores esse, ubi copiosius est Antimonium, *P. Fridv.* testatur, & huc invitat chymicos, qui Sulphur auratum antimonii quæritant, sperans eos votorum damnari.

2. *Visinutum* sive *Bismuthum* in Transsilvania non colitur, è multis autem locis educi posset, si impensis fructus superiores forent.

3. *Cobalti* plurima sunt Radnaviæ vestigia.

Hæc de Metallis Friabilibus, quæ vulgò semi-metalla dicuntur; jam de Malleabilibus, quæ Metalla propriè dicuntur.

§. LIII.

e. f. *Stannum*[1.] ac *Plumbum*[2.] in Transsilvania non dantur tantùm, sed eorum maximè dives est.

1. De *Stanno* (*Jupiter* Chymicis audit) *P. Fridv.* refert: „ Est, quod mirere, *Stannum* in Transsil- „ vania non dari tantùm, sed affluere. Annis „ abhinc circ. 20. è Sedibus Siculis *Zalathnam* „ complures libræ *crystallorum Stanni* (Zinnkrau- „ pen) allatæ sunt, quarum centenarius in Do- „ cymasia 44. libras primo statim experimento „ adpromisit: svasum est Siculis, vt in opus in- „ cumbant, sed illi agriculturæ cupidiores, me- „ tallurgicas operas oderunt.

2. *P. Fridv. Offenbányæ* duraturam in ævum *Plumbi* (*Saturnus* chymicis) fodinam repertam esse notavit, & dicit: Transsilvania profectò Plumbi

dives

dives est; non contemnendas divitias vicus *Kis-Muntsel* ponè Devam trans-Marusium situs præberet, si pluribus operis coleretur. Vicus alter *Purza* dictus, Ilye-Dobræ adsitus, quantus quantus est, Plumbum est, neque plures duabus semiunciis argenti, & triginta denariis auri mineræ istæ plumbeæ reddunt. Celebres à multa retrò ætate Radnæ Plumbi fodinæ coluntur. Jam me tacente quoque patet, *Cerussam*, *Minium* ac *Sacharum Saturni cet*, quæ ex Plumbo resultant, reperiri.

§. LIV.

g.) Divites Fodinæ *Ferri*, (*Mars* Chymicis) una in Comitatu *Húnyad* ad Oppidum cognomine [1], altera *Tordensi*, ad. Opp. *Toroczkó*, & ignobiliores quædam alibi, celebrantur.

1. Ad Fodinam *Hunyadensem*, à pluribus seculis Marti famulatur mons *Kropilele* nuncupatus, qui pago *Gyalár* adsitus in orientem prospectat, distatque à pervetusto Oppido *Vajda-Húnyad* duobus milliariis. Binæ monti huic Fodinæ, *Antiqua* & *Nova*, insunt. Mineræ quarzo, rubricâ & ochrâ luteâ scatent. Præterfluenti Cserna quinque adjacent Officinæ, in quibus ut plurimùm perticæ (*sing-vas*, *pánt-vas*) usibus vulgi necessariæ conflantur. In territorio etiam pagi *Telek* hujus Comitatûs ferri fodina reseratur, ut vertentibus annis usui esse queat. Jurisdictioni Dominii *Vajda-Húnyad* subsunt & illæ, quæ in Sede *Szász-Város*, propè pagum *Sebeshely* aquâ

g. 54.

cognomine propelluntur. Ferrarias Húnyadenſes Hebræam gentem inchoaſſe, plebs latè omnis vulgat. *Collegium Fabrorum* ſub Romanis hac in Dacia floruiſſe extra aleam eſt, Hunyadini ſedem imprimis habuiſſe, vero conſentaneum.

2. *Thoroczkó*, Opp. Comitatûs Tordenſis, Ferrariæque cognomines. Illuſtriſſimæ & pervetuſtæ ſtirpis Baronum *Torotzkai* hæreditas. Montes hic adſurgunt ferro turgidi copioſiſſimo, qui ductibus quoque *plumbeo-argenteis* ſuos nonnunquam recreant colonos; in ferri ſubinde mineram deſinentes. Vſtrinas 19. malleos 23. numerant; plures numerarent, ſi aqua ad impellendos malleos afflueret copioſior: ſed neque ſilvæ iis ſuppetunt, è quibus ligni cædui copia exuberaret; nihilominùs copiam ferri votis ſupparem ſingulis annis eliquant.

3. *Radnæ* celebres olim fuêre ferrariæ, ingensque commercium ferri, Moldaviæ, & conterminis gentibus adminiſtrati, viguit. Circa *Taploczam* ad fines Sedis Gyergyó ferrariæ antiquæ memorantur. In *Sz. Tamás* Sedis Csik Cyclopes deſudabant. Nunc nulla in his Ferri cultura. In eadem Sede Csik, territorio pagi Madaras, Cæſareis olim impendiis cultæ, nunc iterum utcunque renovantur. Pariter etiam ad vicum *Hermány*, Sedis Bardotz, ab Año 1720. neglectæ, A. 1768. reſtauratæ, quandoque Toroczkenſi par dant ferrum; darent, ſi ſimiles mineris adhiberentur operæ. Ad *Bardotz*, juxta rivum *Egrespatak*; vt & pluribus ſilvis, hac Sede, pagorum *Füle* & *Száldobos*, egeſti ſcoriarum tumuli, vt &

loco-

locorum adpellationes: *Vas-áſás, cet.* ferrarias antiquorum teſtantur. Ad *Lövéte* Sedis Udvarhely nunc malleus impellitur.

§. LV.

h.) *Cupri* fodinæ ad *Devam*[1] Oppidum & pagum *Mikanesd* foventur.

1. *P. Fridv.* „ In adſitis Devæ montibus, qui oc„ cidentem reſpiciunt, *cupri* fodina impigrè evi„ ſceratur: periculo in Docymaſia ſuſcepto, „ centenarius mineræ 17. libras cupri pollicetur; „ maſſicum etiam hic foditur cuprum, & copia *Malachitum* adfluit.

§. LVI.

i) *Argenti* quidem fodinas paucas Transſilvania numerat, at ejus mineras habet non paucas.

1. *Radnæ*, Anô 1310. immò jam antea, *Argenti fodinam* floruiſſe, liquet ex Literis, quas *P. Fridv.* p. 107 & 108. recitat: colitur hodiedùm. Ditiſſimi *Nagy-Ág* putei Argentum, cum *Auro*, continent. *Bojtzæ*, Argentum filamentorum criniumque inſtar effoſſum eſt. *Cserteſini*, puteus Triadi SSmæ devotus, *Argento Vitreo* tam exuberat, vt centenarius mineræ facile 70. ſemiuncias egeſſerit.

Mons *Trajka*, horæ intervallo à *Treſztyán* disſitus *Argentum rubrum* ſuppeditat. Aurum è *Ginel* erui ſolitum fere ſeſqui altera ſui parte argento

to

to turget; color politum chalybem æmulatur. Ad *Kis muntſel* etiam reperitur. In alpe Diſtrictûs Fagaras, ſupra vicum *Marſina*, cum ſpe divitis argenti fodinæ, ſuperiori ætate, intermiſſæ, novi cultores ab Año 1773. deſudant.

§. LVII.

k.) *Auri* denique præſtantiſſimi, tam *nativi*, quàm *mineraliſati*, quantum Transſilvania ſit ferax, non montes ſolùm, (§. *XXV. n.* 1.) quorum de verticibus patulis Aurum obryzum fruſtulatim præciditur [1]. & ex viſceribus, extùs tamen verum horizontem [2]., regius theſaurus educitur; ſed & fluvii fulvam auri arenam, (§. XXIX. n. 9.) cinnabarino interdum ſabulo mixtam, vehentes; ac quod demùm mireris, vegetabilia auro adnato fulgentia [3]., loquuntur. [4].

1. Speciales montium divitias recenſet *P. Fridv.* in citata ſæpiùs Minerologia; *Aurum* verò ſpecialiter pertractat, cum erudita antiquitatum Dacicarum mixturâ, *Sam. Köleſéri*, Secretarius Cæſareo Regius Gubernialis Principatûs Transſilvaniæ, in *Auraria Romano-Dacica*, A. 1717. in 8vo Cibinii editâ, ex qua paſſim ſcriptores ſua de Auro Transſilvanico decerpſerunt. Loca montana ab auro celebria ſunt, in Comitatu Hunyadenſi: Ad profluentem Gyógy, *cis* Maruſium, *Nagy-Ág*, ſeu *Szekeremb*; tum inter montium

ſeſe

ſeſe exporrigentium ſeriem, *Csertes*, *Toplitza*, *Füzeſd*, *Ruda*, *Porkura*, *Nagy-Almás*, *Pojána cet*, *trans* Maruſium à virgineo auro commendatur *Oláppján*. In occidentalibus Comitatûs Albenſis finibus, Oppida montana: *Zalatna*, & cumprimis *Abrud-Bánya* cum *Veres-patak*, pagi *Kerpenyes*, *Topánfalva*, *Biſztra*, *Butſum* cet. In Comitatu Zarandenſi: *Boitza*, *Treſztia*, *Hertzegân*, *Gienel* ſive *Kajanel*, *Sztanitza*, *Dupapiátra*, ac ad Chryſium amnem, *Körös-Bánya*. In Comitatu Koloſenſi: *Gyalu* & *Bánfi-Húnyad*. In Diſtrictu Biſtritzenſi *Radna*, argento licet plumboque, quàm auro, ditior. In his ſunt *Montes illi*, *qui avariſſimis etiam Principum votis aurum ſuffecerunt; illi ſunt*, *qui perfoſſi pertuſi*, *hiantes - - - jam tanto humiliores*, *quanto ceteris inmani ſupereminebant altitudine.* Horum cacuminibus & jugis, non multa foſſione, ſed amoto exteriore cæſpite, & cruſtâ metallicam glebam tegente, in granis, immò & fruſtis notabilis aliquando ponderis & ramentis diverſæ figuræ, Aurum liberum, nullâ admixta terreâ vel matallicâ glebâ, ex improviſo invenitur. Hinc, *Nic. Olahus* Archiep. Strigonienſis ſcribit, colonum aliquem circa Abrud-Bányám reperiſſe aurum obryzum magnitudine panis ruſticani, ponderis ſupra 1600. ducatos. *Köleſ.* autem, p. 56. ſeqq. ex Archivis Transſilvanicis ſcribit: A. 1566. cum *Joh. Sigismundus* filius Joh. Zapolya, ex Transſilvania, ad Solymanum Turc. Imperatorem, Belgradi caſtra tenentem proficiſceretur, regiis barbarum demulſit muneribus, inter quæ numeratæ ſunt, patellæ ex puro auro cælatæ, in quarum altera grumi aurei, binarum & ſemis librarum graves inhærebant, in qui-

§. 57. ∴∴

quibus massa quoque aurea fruticantis arbusti nativam speciem effigians, lento liquore mellini fluoris instar in gyrum turbinata erat. Item A. 1591. habenas Transsilvaniæ tenente *Sig. Báthoreo*, inventum est in ipso corde terræ, opus quoddam ex puro putoque auro, naturæ industriâ, ad similitudinem galeæ efformatum & introrsùm concavum ponderis octingentorum aureorum, quod palacris aureis, ex arrugiis eductis impletum, Hetruriæ Duci muneris loco misit; & loco rarissimi inventi, cum quibusdam odoriferis ungventis, stipendiatos histriones, cantatores & saltatores recepit. *Plura reperies exempla l. cit.* Et apud *P. Fridv. p.* 26. *seqq.* Aurum liquidum, molle, in vicinia *Torda-Hasadék*, effossum fuisse, quidam perhibent. Aurarias recensitis locis ætate Romanorum viguisse, varia per omnem Transsilvaniam monumenta & inscriptiones testantur. Et altissimas fagos pinusque his ipsis increvisse foraminibus, quæ à Romanis cavata fuerunt, traditione accepimus.

2. Docet luculentè *P. Fridv.* aurum Transsilvanicum extùs horizontem adinveniri, nec priscorum unquam operosissimas cavationes subtùs verum horizontem descendisse. Docet *Idem*, mineriferarum venarum ductus prorsùs esse instabiles; quorum alii in mediis montibus undantes (schwebend) alii cumulati (Stockwerk) alii in glomeramina, nidos, fibrasque horizontales divisi (Flötzwerk) universim & plerumque sese ita dividunt, vt interdum vix lineæ crassitiem æquent. Profundum, sed non ultra horizontem sensibilem potiùs, quam campum (Feldort) respectant.

ctant. &c. Plurima terræ ſtrata illa ſunt, quæ nec orgiæ magnitudine foſſa, fibras aureas exhibent; & his inſudare conſultiùs eſt, quàm adita montium per inconſtantes venas ſcrutari. (Licet nihil metallurgis antiquiùs ſit, quam ſperare majores tanto fructus operarum, quanto hæ intimiùs terræ viſcera pererraverint.) Hic omnem ferè lapidem, propriam quaſi metallorum matricem fingere, vnde fit, ut aurum nativum in mineris metallicis, mercurialibus, arſenicalibus, antimonialibus, Silice corneo, marmoreo, Spato, Quarzo, ſchiſto, terris bolaribus, perſæpè deprehendas.

3. Auri genus eſt, quod ſubinde in vitibus vel granis uvarum concreſcit, ſæpè guttarum inſtar, ſæpe in modum claviculorum, virgularum, filamentorum, palum, cui vites adligari ſolent, ſcandentium. Non in Transſilvania deſideratur naturæ opus, quale Cimeliarchium Viennenſe, *Virgam* v. l. *auream* è montibus *Tokaj* erutam, oſtendit: in fœneto enim *Orményeſienſi*, ſuperiori ſeculo repertum fuerat filamentum aureum frutici intextum, cujus pars (altera pars tardè animadvertentibus elapſa eſt) mediam ulnam ſuperabat: eam, Illuſtris Heros, *D. Dionyſius Bánfi*, ad fatalem rei domeſticæ per proprios patriotas factam expilationem, poſſedit; tamquam Poſſeſſor memorati territorii. *Köleſérius*, apud Exc. quondàm Transſilvaniæ Gubernatorem, Comitem Georgium Bánfi, A. 1701. contemplatus eſt, tres guttas, docymaſticis ſimiles (quæ juſtæ ſyrupi conſiſtentiæ eſſe ſolent) ſuper extima uvæ cute, in uno botro, è vineto *Viſaienſi*

Ban-

Banfiano, propè ad *Bontzidam*, allato. *Idem*, ceteras inter, vidit uvam, ex vinetis *Gergelyfalvienſibus*, punctis aliquot granulatis aureis ornatam. In vineto Ill. Familiæ Naláczianæ *Bábolnenſi*, vinaceum per carnem & cutem uvæ translucens decerptum fuit. Lecta ſunt Año 1765. etiam in vineto *Mikefalvenſi*, grana aurea uvæ adnata, vt refert *P. Fridv. p.* 3 & 28. Et plures annuatim paſſim inveniri, notum omnibus. Aurata ergo nobis vina.

4. De operis fodinalibus; de Molis tuſoriis, quibus glebæ lapidesque comminuuntur & elutriantur; de Campſione auri; de Legibus, quibus cultura fodinarum ſtabilitur, *cet*, infra dicemus.

Sed hic forſan nonnemo dicet: Qui, amabò, fieri poteſt, tanto auro, argento, *cet*, Transſilvaniam ex metallis quaſi compoſitam abundare, fodinarumque culturam omnibus, etiam exteris, licitam eſſe; numorum tamen divitem nequaquam eſſe? Hoc certum eſt, vt adeo Auguſtiſſima Imperatrix D.D. MAR. THERESIA, *Puncto III. Regulam-militaris Anni* 1759. Clementiſſimè animadverterit, inquiens: „ Principatus noſter, cum aliunde, per Divinam benedictionem, Naturalibus ſatiùs proviſus ſit; „ è converſo autem *pecuniam paratam difficiliùs* „ procurare poſſit *cet*. Sed hujus ratio *una* eſt, quod *montes* mineriferi potiſſimùm accolis *Valachis*, *fluvii* verò aurati *Zingaris* relicti ſint; & ex primariis legeque pragmatica unitis Nationibus, qui mediterranea Transſilvaniæ incolentes, opimâ agriculturâ & pecuariâ contenti ab extremis his Provinciæ montanis abhorrent, pauciores repe-

J. 58.

reperias, qui Proſerpinam è Plutonis regno eripere conentur; præſertim, quod fortuna ludens crumenam metallurgorum interdùm attenuarit. Rationem *alteram*, reddit *P. Fridv.* dum ſcribit:
„ Putares, propior factus montibus, (*Abrud-Bányenſibus*) exercitum ſatyrorum ad demoliendos montes confluxiſſe, ita parte omni, Valacha gens montes iſtos circumſidens, quatit, impugnat, perforat, neque contenta ferreis inſtrumentis glebas & ſaxa eviſcerare, majori auſu, tanto pulverum pyriorum apparatu montes labefactat, vt minutum horarium nullum interceſſiſſe teſtis fuerim, quo ſæpè non exauditus fuiſſet ſonitus fragorque, vi pulverum, infernè, ſuperiùs, omni ex latere, excitatus - - quas hodie colunt fodinas, cras deſerunt, lege nullâ, tantum libidine acti, ubi ſpes lucri major affulget, eo convolant, advertêre fortè vicino pecori grandius uber eſſe, cuneum vel puteum admovent, vt tametſi puteum alienum ingredi vetitum ſit, ex venæ tamen ductu participent; & hæc una eſt ratio, cur auri feraces cæterà montes cultores ſuos minùs ditent.

§. LVIII.

C. *Regni Lapidei* Claſſis tertia, FOSSILIA intuenda, tribus *Ordinibus* offert; quorum primus *Petrificata*, ſecundus *Concreta*, tertius *Terras*, complectitur.

Bayerische Staatsbibliothek München

§. 59. 32. t.

§. LIX.

1. E *Petrificatis*, *Zoolithum* 1., *Ichthyolithum* 2., *Helmintholithum* 3., & *Phytolithum* 4., (vix *Ornitholithum* 5.,) Transsilvania sinu suo fovet. 6.

1. E *Zoolithis*, *Ebur fossile* (Ossa & cornua fossilia) paucis abhinc annis, in alpibus Districtûs Barcensis, copiosum repertum, mihique visum, est.

2. Ex *Ichthyolithis*, fuerunt capita *Sturionis* & *Stellionis* petrefacta, & A. 1766. è fluvio *Cserna* extracta. *Fridv. p.* 184.

3. Ex *Helmintholithis*, Conchiliorum Speciem quandam, in monte *Pisztrangos-homloka* pagi *Közép-Ajta*, ad scaturiginem fonti Blandusiæ nihil cedentem, nec non in terræ stratis montis *Retkes*, quo ex *Ára-pataka*, via *Al-Dobolyum* ducit, & alibi passim reperies. *Concham lapideam gibbosam* cum Boccone nominavi: colorem habet cretaceum. Audiamus etiam *P. Fridv.* dicentem: „ *Zoolitha*, „ *Ostreocodermata*, *Cochlites*, diversissima copiosissi„ maque in *Kalotaszeg*, *Valkó*, *Kis-Kapus*, passim „ eruuntur. Ea parte, qua montes *Kis-Kapus* „ Familiæ *Kornis* parent, naturæ phœnomenorum „ avidis arriderent maximè, præter enim me„ talla, quæ sinu suo complectuntur, & innu„ meras Conchyliorum species, illa etiam Con„ chylia ostentant, quæ totam equi ungulam „ tam scitè effigiant, vt nec ulla posset ars me„ lius efformare.

4. Nec

§. 59.

4. Nec deſunt *Phytolithi* & *Xylolithi.* Xylolithus, ſive lignum petrefactum, fodinæ Zalathnenſis, vtpotè nimium friabilis, polituram non patitur. Integra Abies petrificata, è Latumiis Coronenſibus eruta eſt, cujus fruſtum caudicis, apud Spect. D. *Steph. Cloſium* M. Drēm & L. Rq; Civitatis Coronenſis Senatorem aſſervatum, cum aliis naturæ monumentis, non ſemel vidimus. Lentes, piſaque petrefacta videre, vulgare eſt. *Fridv.* Huc referenda ſunt *Ejus* verba, de *caudice & pappo Cardui*: Non eſt, *inquit*, infrequens videre puriſſimi ſalis cryſtallini fruſta, quibus guttas aqueas natura multò arctioribus, ac ſint Hermetis repagula, nexibus concluſit; - - - Eſt mihi etiam Cryſtallus (ſcil. *ex ſale*) quæ pelluciditate ſua ſpectatores mire delectat, ſinu ſuo arctiſſimè concluſos exhibens *caudices & pappum Cardui herbæ*, guttam etiam mobilem fovens, quæ colore aurum imitatur quidem, ſed aquam eſſe cenſerem. *Sic ille.*

5. *Ornitholithi*, vel non, vel rariſſimi ſunt. Fabulis etiam accenſendam puto, & ex figuræ alicujus ſimulatione natam conjicio, *Gallinam* illam, quam *cum pullis* in ſalem converſam, & e vetere puteo Koloſenſi (alii Tordenſem prædicant) erutam eſſe, vicinia latè omnis perhibet.

6. Huc etiam referendi ſunt *Lapides numales* Tranſſilvaniæ, iique copioſi, de quibus A. 1727. peculiari Diſſertatione egit *Fr. Ern. Bruckmann*, *M. Dr. Acad. Cæſ. Nat. Cur. Colleg.* Prout fama loquitur, cum Sanct. *Ladislaus* Hung. Rex, barbaros hoſtes inſecutus, videret eos abjectis numis aureis, Hungaros ſuos retardare, precibus ſup-

plicibus à Deo contendit, vt aurum in lapides converteret. Facto hoc, Lapidum nummalium origo data est, vt quidem nonnulli putant.

§. LX.

2. *Concreta* quoque, tam Naturalia, *Calculus* 1. v. l. & *Tartarus* 2., quàm Elementaria, quæ *Pumex* 3., *Stalactites* 4. & *Tophus* 5. sunt, Transsilvaniâ non exulant.

1. *Calculus salivalis* (vulgò *Tartarus dentium*) è vini junioris Transsilvanici potu, plurimis subinde nascitur. De quo notavit Linnæus: „ Quodcunque solvit calculum urinarium, solvat & „ Tartarum dentium, & vice versa: quicunque „ igitur jactat lithontripticum, primum experimentum instituat in calculum salivalem. Mihi solùm sufficit fragorum copiosior esus; an „ sufficiat in calculo urinario? „ *Calculus cancri* (oculus cangri) in Astacis quidem Transsilvanicis generatur; sed ex Valachia adfertur copiosior.

2. *Tartarum* Vini Transsilvaniei, minus dare *Cremoris*, quam Austriaci & aliorum, à Pharmacopoeis Coronensibus didici. An ita est?

3. *Pumicem* Vulcani, mons *Bálványos* in Háromszék omni exceptione meliorem suppeditat. Vulcani ergo ibi sedes est.

4. *Stalactitem* subministrat provinciola *Talmáts* Valachiæ contermina; qua semita ad vicum *Portsed* tendit, specus est, qui post angustum sui aditum,

§. 61. 62. 40.

tum, ubi in prolixius usque spatium extenditur, undique *Stalactite* consitus est: hoc incolæ ad multiplicandum lac utuntur. Mulieres aquam per fistulosum Stalactitem sorbillant; sed animantibus feminis aquæ mixtam præbent, nec unquam desiderato effectu frustrantur. Istam natura medelam docuit incolas: hic enim Stalactites friabilis uberum instar concrescit. *Stalactites* è specu montis *Stracha*, qui ad Passum *Vulkán* in ingentem hiatum discedit, ab accolis eundem ob finem legitur. Hæc *Fridv.* Nos verò referemus *Stalactitem spatosum* specuum Homoród-Almásensium *Parte II.*

5. *Tophus fistulosus* (Darás-Kő) in montibus Districtûs Barcensis, in Comitatu Húnyad, & passim alibi reperitur.

§. LXI.

3. *Terrarum* genera, *Ochra* & *Arena*, varias, per Transsilvaniæ oras, diffuderunt species. Non absimiliter *Argilla*, è cujus speciebus nobilioribus, *Tripolitana* [1]. *Marga* [2]., copiosè reperiuntur.

1. *Terra Tripolitana* ad arcem Déva & colles Claudiopolitanos exuberat.
2. *Marga* agris fertilissima, *vid. Linn.* & vasis pseudo-porcellanis apta, ad *Thorotzkó*, & alibi.

§. LXII.

Creta demùm, atque *Gur* [1]., *Calcis* species, vt & *Turfa* [2]., *Humusque tinctoria* [3].,

ceteras inter Humi ſpecies, quibus Transſilvani haud carent, agmen hujus Claſſis claudant.

1. *Creta* paſſim invenitur. *Gur* verò, ſive *Lac Lunæ* (cujus jam uſus pharmaceuticus exoletus eſt) in ſpecore Alpis Coronenſis (Schulgebürge) mirâ copiâ adfluit, *vid. infr.*

2. Regio Campeſtris *Turfa* abundare videtur; quum & Aô. 1717. maxima ſiccitate, ignem quædam loca ex ſe conceperint. *P. Fridv. in Diſſ. de Skumpia* refert: *Torffas* etiam, ubi annoſi lacus ſtagnant, plurimis in locis effodi, & earum ſpecies complures iis, ad quos adtinuit, exhibui; quædam Hollandicis erant ſuppares, ſingulæ alendo foco perutiles.

3. *Humus tinctoria*, ruſticulis pro veſtimentis laneis atro colore imbuendis, ad *Homorod-Szent-Pál*, aliisque locis obſervata.

§. LXIII.

II. Secundum occupet locum REGNVM VEGETABILE, quod alit Transſilvania populoſiſſimum, nec tamen adhuc Botanicorum legibus ſubjectum. [1]

1. Daciam hanc ſelectiſſimis ſuperbire herbis, ideoque non indignè totam regionem, imprimis verò montes, *Billak* ad Albam Carolinam, *Vulkán* ad Abrud-Bányám, *Hargita* in Sede Udvarhely, laudibus ſæpius ornari, vel ex conſtitutione ejus conjicere licet: doleas tamen, &

§. 64. 65.

impensè quidem doleas, quod dignitatem *Regni* hujus *vegetabilis*, Orbi erudito in hunc usque diem manifestaverit nemo.

§. LXIV.

Nos quoque, nunc quidem, à Botanicorum deviantes methodo [1], duas tantum constituemus Vegetabilium *Classes*; quarum *prima Arbores & Frutices*, tam Domesticas, quàm Silvestres; *secunda* verò *Herbas*, Cultas æquè ac spontaneas, in mentionem aliquantùm vocat.

1. *Floræ* nostræ *Transsilvano-Siculæ*, Superis faventibus, botanicâ dispositione, posthàc in publicum prodituræ, cetera reservamus.

§. LXV.

A. *a*) *Arbores & Frutices*, humanâ industriâ cultæ sive *Domesticæ* sunt; *Vulgares*: Malus [1], Pyrus, Prunus domestica [2] & Cerasus [3], Armeniacaque, Cydonia, Persica [4], Juglans, Vitis [5], Ribes rubrum & album, Grossularia. [6] *Selectiores*; *aut potiùs infrequentiores*: Morus alba & nigra, Castanea, Hippocastanum, Elæagnus latifolia, Sabina, Pseudoacacia, Rhus coriaria; *& in Hortis Caldariisque Magnatum*: Citrus medica, ac

Aurantium, Punica granatum *Linn.* Carica, Laurus nobilis, Paſſiflora cærulea, Pſeudocapſicum, *cet. In vinetis, ſed rarius*, Amygdalus amara, Sorbus domeſtica. *In Hortis frequens*, *Syringa vulgaris* flore cæruleo & albo, Buxus ſemper virens, atque Roſa; & *paſſim*, Lonicera caprifolium.

1. Arbores ſativæ *Mali*, *Pyrique* variarum ſpecierum, præter Sedes Csik & Gyergyó, Regionemque Campeſtrem, omnibus fermè Transſilvaniæ Tractibus ſunt frequentes: excellere tamen videntur Sedes, Medienſis, Schæsburgenſis & Maroſienſis; imprimis vero Udvarhelyenſis, cujus pagos plerosque, totidem pomaria, Malis, Pyris, Prunis, Juglandibus, (caballinæ rariores ſunt) Ceraſis dulcibus & acidis, *cet.* conſita crederes; indeque modium *mali pariſini* & ſimilium 4. aut 5. xferis ſæpiculè emeres, immò quandoque viliùs.

2. Prunorum plurimæ Transſilvanis, felici proventu, numerantur varietates; maximè verò *Damaſcenorum* tanta eſt vilitas, vt fertili quoque anno, præter deſtillatum ex iis ſpiritum, ſive Crematum, quod nec erudita palata faſtidiunt, copioſiſſimum, ſiccata ubertim reponantur, & 20. plus minus xferis cum modio venum eant.

3. *Ceraſorum* quoque aliquot poſſidemus varietates, quarum nonnullæ ſilvis etiam ſunt cognitæ: Coronenſia atque Heltenſia ſive Nagy-Diſznódienſia primatum tenere volunt.

§.66. No. 3.

4. *Armeniaca*, *Cydonia* & *Perſica*, vineta incolunt: *Perſica* dant ſpiritum, ei, quem ex pruno ſuperiùs guſtavimus, propè accedentem.

5. Montes Siculorum, exceptis Sedibus *Aranyas* & *Maros* cum meridionali Udvarhelyenſis extremitate, pampineas delicias nullis in locis oſtentant, multisque Siculis noſtris viſa eſt nunquam vitis: at in Comitatibus Hungarorum et plerisque Saxonum territoriis Bachi cum Cerere certamen eſt. Vina Transſilvanica, pro variis plagis, non parùm inter ſe differunt; ſunt tamen pluribus in locis generoſa, & cumprimis ea, quæ à *Tordâ* uſque *Devam* ex utroque Maruſii margine, ad *Krakkó*, *Czelna*, *Boros-Botſárd*, *Igen*, *Sárd*, *Bábolna*, *Nagy-Oklos*, *Déva*, *cet.* proveniunt, & quæ ex montibus pagorum *Csombord*, *M-Lapád*, *Betze*, *Sülye*, *M-Herepe*, *B. Sz. Miklós*, *Hoſzſzuaſzó*, *cet.* funduntur, non multum illi ſunt diſparia, quod in nobilibus Hungariæ montibus gignitur: & *vineta quædam copioſas adeo paſſas uvas ferunt, ut eductum inde vinum ſecundas Magnatum menſas effusè recreet.*

Comitatûs quoquè Küküllő, & Sedis Marus non pauca terrena, vina dant merobibis apta, ſæpiùsque matura: aliter licet *Novæ Dac. Auctor* guſtaverit. Nec fama Vini Saxonici, præcipuè circa *Birthalbinum* nati, ſeneſcit: licet rectè *P. Timon* dixerit, perparum de vino Ungarico delibaſſe Hortylium & Tröſterum, qui terræ ejus merum Tocaino æquaverunt. Vina quoque Valachica, in Triſedem maximè & Barciam, transvehuntur non pauca. Palmites denique Vitis Transſilvanicæ in circulum flexi palis ſolent alli-

gari: hibernant terrâ tecti, ne sæviente hieme corripiantur; remissiore interdum brumâ orbi manent palmites humati, uberrimos neglecti fructus ferunt.

§. LXVI.

b. Silvestrium Arborum tanta est copia[r], vt ex iis horrida coaluerint Pineta, Querceta, Silvæ Fageæ, Betuleta, Alneta, Saliceta; immò & Coryleta, Corneta, Carpineta, Populeta, *cet.* quibus miscentur variæ *arbores*, vt sunt: Fraxinus, Ulmus campestris, Pseudoplatanus, Acer campestre, Staphylæa, Taxus baccata, Sorbus aucuparia, Mali & Pyri silvestres, Juniperus communis, Cratægus torminalis, Oxyacantha, Padus, Cornus mascula & sangvinea, Tilia, Opulus Lantana, Frangula, Xylosteum, Spiræa hypericifolia, Berberis, Sambucus nigra, Prunus spinosa sive silvestris, Euonymus europæus, Tamarix germanica, Ligustrum vulgare, Rhamnus catharticus, Rosa canina; *rariùs*: Mespilus & Cotinus vt & Pinus Carpatica. *Silvarum denique ac nemorum umbris operiuntur passim*: Grossularia, Daphne mezereum, Myrtillus, Vitis Idæa, Dictamus albus, Vinca pervinca, Nerium antidysentericum,

Cy-

S. 65.

Cytisus hirsutus, austriacus, & Laburnum, Vitalba, Pyrola rotundifolia, secunda, umbellata & uniflora, Rubus Idæus & cæsius. *In montium verticibus*: Andromeda mariana, Chamæcerasus, Hedera helix, Dulcamara, Chrysanthemum corymbosum, Phyteuma spicata &c.

1. Montes Transsilvaniæ limitanei, alpium nominibus ab accolis insigniti, quibus velut catenis aut muris nativis Provincia cingitur, Pinetis plerumque amiciuntur; mediterranei verò montes, qui totidem sunt brachia alpina, quernis, fageis, *cet.* silvis, consiti sunt. Celebratæ præ reliquis sunt silvæ: *Meszes*, *Rika*; *Sárkány* vulgò, sive *Nemus Zeidense*, quo Zeidino Fagarasum versùs itur, *Silva Mikoiana*, *Pisztrangos* & *Vadas* Közep-Ajtám inter & Körös-patakum, *cet.* Querci, Fagique multas porcorum greges saginant; & oleum ex glande fagea exprimitur non contemnendum. Partes Comitatuum *Torda*, *Kolos*, & finitimorum extremitates, silvis destitutæ, (incolarum tamen industriâ, variis arborum seminibus facilè conserendæ) uno nomine vocantur *Mezőség*, i.e, *Regio Campestris*. Desunt & aliis quibusdam territoriis silvæ cæduæ; unde tres sunt constitutæ Classes, secundùm quas administratum Stativis Militibus lignum, à plebe contribuente, in defalcationem tributi acceptatur. *Primæ Classi*, ob defectum lignorum & remotam nimis distantiam, unde advehuntur, pro singula Orgya Rh. fl. 1.

xr.

xf. 5. *Secundæ* Rh. flor. 1. xf. 45. *Tertiæ*, ob lignorum focalium ſufficientiam, Rh. flor. 1. xf. 20. bonificandi veniunt. *Vid. Regulam. Militar. A.* 1759. *Puncto II.*

§. LXVII.

B. *Herbæ a.*) *Cultæ*, ſunt Hortenſes & Campeſtres. 1. *Hortenſes* apud Transſilvanos *Eſculentæ*, reperiuntur: Braſſica capitata alba, *rariùs* rubra, Braſſica viridis, Caulorapa, Cauliflora, Brocoli *Italorum*, Napus, Rapæ ſpecies, Beta, Raphanus, Carota, Apium, Petroſelinum, Paſtinaca, Fœniculum, Aniſum (*raró*,) Melo [1]., Cucumis, Cucurbita, Allium ſativum, & aſcalonicum, Cepa, Schœnopraſum, Porrum, Papaver, Dracunculus hortenſis, Spinachia, Atriplex, Valeriana feſtuca, Lactucæ ſpecies variæ, Endivia, Cerefolium, Acetoſa, Scorzonera, Cochlearia officinalis, Capſicum annuum, Naſturtium hortenſe, Scolymus & Carduncułus, Satureja, Anethum, Helianthus tuberoſus, Solanum tuberoſum [2], Nicotiana ruſtica & Tabacum; [3]. *cet.* [4]. *Medicatæ*: Borrago, Nigella, Coriandrum, Calendula, Carduus Benedictus, Card. marianus, Fœnum Græcum, Leviſticum, Salvia, Ruta, Hiſſopus,

ſopus, Meliſſa, Moldavica, Matricaria, Sclarea, Ricinus communis, Lathyris, vt & Glycyrrhiza *offic.* Rubia tinctorum; 5. *cet. Odoriferæ* 6. *& Coronariæ*: Roſmarinus, Lavendula, Geniſta, Jaſminum, Cheiranthus, Dianthus, Majorana, Balſamita, Abrotanum, Baſilicum, Aquilegia, Cyanus moſchatus, Lupinus, Ranunculus hortenſis, Bellis minor, Perſicaria orientalis, Tulipa, Narciſſus, Lilium, Hyacinthus, Tuberoſa, Iris, Pæonia, Tagetes, Lathyrus, Agroſtema coronaria, Alcea roſea, Lychnis chalcedonica, Botrys, Anemone, Aſter novi Belgii, Chryſanthemum coronarium, Xeranthemum annuum, Helianthus annuus, Viola nigra, tricolorque, Balſamina, Mirabilis, Lotus tetragonolobus, Convolvulus purpureus, Tropæolum, Amaranthus, Auricula urſi, Carchichec. *Apud Curioſos*: 7. Phytolacca, Lycoperſicum, Aſclepias Syriaca, Canna Indica, Aloë, Jucca glorioſa, Opuntia, Coix, Corona Imperialis(*Fritillaria* Linn.) Scorpiurus vermiculata, Dolichos lablab, Staphis agria, Portulaca oleracea, Lathyrus ſativus, Iberis umbellata, Cicer *offic.* Carthamus tinctorius, Pſyllium.

§. 63.

1. *Melones* ſapidiſſimi non paucis in locis feliciter maturеſcunt, immò etiam *Citrulli*, illa imprimis regione, quam *Aranyas* (§. 29. *n.* 1.) rigat: *Egerbegy*, *Gyéres*, *Gerend*, *cet.* ab his celebrantur. *Pepones* verò, Cucurbitæ ſpecies, Hung. *Tők* vel *Diſznó dinnye*, quos, per omnem fermè provinciam, agricola quisque *frumento indico* (Mayz *Linnæo*) interſerere ſolet, profusè adeo proveniunt, ut innumeri ubique iis porci pabulentur. *Melones* denique ac *Citrullos* delicatis etiam palatis reſpondentes, Barcenſi cumprimis Diſtrictui & vicinæ Siculiæ, Valachia ſubminiſtrat.

2. *Solanum tuberoſum*, Hung. *Pityóka*, *Krumper*, Germ. Tartuffel, Grundbirn, non in hortis ſolum, ſed quibusdam in locis etiam in campis colitur; deque ejus cultura ac uſibus, juſſu Auguſtiſſimæ Imperatricis, Tractatus typis impreſſus publici juris factus eſt.

3. *Nicotiana ruſtica*, Hung. *Török dohány* infrequentior eſt, *Tabacum* autem, Hung. *Tubák*, *Dohány*, colitur paſſim, & maximè in Sede Maros, ibique M-Váſárhelyini, quàm diligentiſſimè: lætus ejus proventus probari poteſt ex pretio; una ſiquidem libra 4. & 5. xferis veniat. Planta hæc ex America oriunda, nec paucorum ſcriptis celebrata, ſeculo ſuperiore Transſilvaniam ſalutavit, ſed in exilium protinùs projecta; dum publico Comitiorum decreto ſtatutum fuit, vt quisquis demùm Tabacum in provinciam inferret, (nondum enim his in oris colebatur, ſed, cum pecuniæ publicæ diminutione, exteris è regionibus advehebatur) omnia habita ſecum bona amitteret; & ab ejus

uſu

uſu Magnates ac Nobiles immunes, ſub pœna flor. hung. 50. Nobiles unius ſeſſionis flor. 12. Ruſtici flor. 6. abſtinerent: incendia namque à fumigantibus fuerant concitata. Sic habet Artic. XIII. Anni 1670. Albæ-Juliæ conditus. Nunc verò, non uſus modò ejus adeo eſt vulgaris, vt vel mulieres Zingaræ (Hungaræ enim aliæque honeſtæ maribus ſolis, nec iis omnibus permiſére) infundibulis multùm abs Hollandicis diverſis, ligneo ſcil. tubo inſtructis, vacunæ litent: ſed, vt hoc etiam modo, plebs contribuens, in ferendo Contributionis eidem obvenientis onere, aliquod capere ſublevamen poſſit, publico quoque ſcripto, hujus *panaceæ* (ſic quibusdam cluit) cultura docta eſt.

4. *Siſarum*, expetitâ adeo radice Germanis notum, Transſilvanis vix non ignotum. Nec *Crocus auſtriacus*, à noſtro licet cœlo minimè abhorrens, colitur; ſi Curioſorum hortos exceperis. Nunquid ſocordiæ tribuendum?

5. *Rubia* nobis notiſſima, & jam ſibi in hortis relicta, quaſi ſpontanea. Hanc forſan intelligit *Frölichius*, *Viatorii p.* 307. ſcribens: „ *Oberlandii* (in Transſilvania) ingens lucrum quærunt ex herba tinctoria, in hortis undique plantata, quâ fila rubea colorantur. Ex hâc enim unicus paterfamilias annuatim 300. vel 400. florenos colligere ſolet; quantam ſummam æris, vix vicinus accola ex vineis, quibus ipſi quidem deſtituuntur, corradere valet. Aſſentitur ei „ *Kreckwitz in Trans. Deſcr.* p. 43. ſed pag. 304. ruſticum unum alterumque, 40. florenos ex ea adquirere poſſe adſerit. Nunc hic quæſtus, quantum

§. 67. 68.

tum ſcio, prorsùs ignotus: nec fors olim tàm opimus.

6. Herbis odoriferis & floribus, Saxones, præ reliquis gentibus, delectantur adeo, vt, quod Cl. D. CHENOT (§. 20. *n.* 1.) de Coronenſibus ſcripſit, toti Nationi almæ congruere videtur. „ Mos, *inquit*, apud eos obtinet, ut ne pau-„ perrimis quidem exceptis, ex harum (*odorif.*) „ plantarum foliis & floribus contexta ſerta die-„ bus feſtis manu gerant - - - atque hac ratio-„ ne in jugi odorum effluvio verſantur, *cet.*

7. Curioſarum plantarum ſemina non pauca, & radices quasdam, Clariſſ. Vir D. *Sam. Benkő*, nunc V. D. M. Alſó-Rákoſenſis, ex Hollandica redux peregrinatione ſecum tulerat: his ſi veſtigiis plures patriam repeterent, non exiguum res botanica, in Transſilvania, caperet incrementum.

§. LXVIII.

2. *Campeſtres* ſunt, *Cereales*: 1. Triticum hibernum, æſtivum, turgidum, Spelta, Triticum monococcum, Secale cereale, Hordeum vulgare & hexaſtichon, Zea mays, Fagopyrum, Avena alba & nigra, Milium, Panicum germanicum & italicum, Holcus. *Leguminoſæ*: 2. Phaſeolus, Piſum, Lens, Faba, Vicia. *Lintearia*: 3. Linum & Cannabis.

1. *Triticum hibernum* omnium eſt frequentiſſimum, ſat frequens & *æſtivum*; *turgidum* rariùs; *trit.* *mono-*

monococcum, ſive Zea briza, (*Fejér Alakor*) & *Spelta* ſive Zea dicoccos, (*Piros Alakor*) paſſim ſeruntur, ſed raro in Siculia. *Secale cereale*, vulgò Siliginem nominant, omnium frequentiſſimè educatur inter Siculos; magis pro Spiritu ſive Cremato, quo vini levatur inopia, quàm pane. *Mayz*, vulgò Frumentum Indicum ſive Turcicum (*Török Buza*) paucis hâc Provincia locis Seculo 17^mo nota, jam omnia ferè terrena amnenſia occupavit, panemque triticeum prope è manibus Valachæ gentis excuſſit: ceteri quoque provinciæ alumni plurium locorum, ſibi, & maximè ſaginandis pro culina animalibus adhibent. *Fagopyrum*, vulgò apud noſtros Frumentum Saracenicum & Zea dictum, Hung. *Haritska*, alibi quidem rariùs, ſed in Sedibus Siculicalibus: Sepſi, Kézdi, Orbai, ut & Miklósvár, Udvarhely cum Filiabus, & Diſtrictu Barcenſi, adeo ſeritur copioſiſſimè, vt tempore floreſcentiæ campos putares dealbatos. His locis, *pulmentum fagop. Haritska puliſzka*, facile ſextam victûs partem, Cerealium de genere, conſtituit *Avena*, præter vulgares uſus, dat *Gelatinam* (*Kiſzily*) Sedis Udvarhely incolis, nonullisque aliis, lacte ac jure prunorum unctam, arridentem. Ex avena Maltum (*Szalad*) quoque paratur vel ſimplex, vel cum hordeo aut tritico mixtum, apud pleroſque Siculos Cereviſiæ deſtinatum, quum iis vineta deſint. Extra verò Siculiam vix Cereviſiam bibes, niſi in Civitatibus & Oppidis celebrioribus. Milium (Panicum miliaceum *Linn.*) nusquam tàm feliciter, nec tam copiosè, quàm in Barcia, & vicina dein Siculia, colitur: *Milium mundatum* Barcenſe, ſub nomine *Braſſai Káſa*, diverſis per Transſilvaniam

§. 68. 202.

nundinis venundatur. Pulte ex milio Opiliones Valachi famem ſatiant. *Panicum* rariùs, *Holcus* verò ſive *Sorghum* (*Tatárka*) in occidentali & auſtrali Transſilvania, non in Siculia, ſeritur.

2. *Phaſeolorum* multæ admodùm (apud me ultra 20.) varietates, non in hortis modo, ſed etiam campis cultæ, nullis non Transſilvanis, imprimis verò Valachis, & iis maximè jejunii tempore, in alimonium cedunt. *Piſa* pluribus paſſim locis agricolarum votis reſpondent; qua nec ager Barcenſis laude privandus: ſed maximè omnium, arva *Tractûs Kalataſzegenſis*, in Comitatu Koloſenſi, auctum multoties ſemen aratoribus reſtituunt. *Lens*, *Fabaque* vulgaria ſunt. *Vicia nigra* conſvetum equorum pabulum, *alba* quoque quibusdam locis non ignota.

3. *Linum*, paſſim quidem, ſed in Barcia quàm feliciſſimè creſcit: oleum ejus non citò ranceſcens, multijuge Valachorum (aliorumque) jejunium ſolatur. *Cannabis*, nusquam non ſeritur, valdiùs tamen apud Siculos, quorum mulieres (mares enim lilia putes, ſi paucos excipias) noctes dieſque nent, & texendis linteis cannabinis, dum rure non avocantur, incumbunt. *Semina cannabina*, fere licet narcotica aliis habita, quotidiano ferè plebis uſu, contuſa, pultibus de fagopyro adſperguntur, pulti de milio incoquuntur. Miraris? deſine. His enim oris nec papaver valdè eſt narcoticum: vix in vicis Siculicis & Barcenſibus unum invenies hominem, cujus non ſæpe dentes ſeminibus papaveris, pultibus, placentis ductilibus (*téſzta-tſik*, *mák-tſik*) ſimilibusque adſperſis nigricent.

4. Pro

4. Pro *Oeconomicis* plantis *Campestribus*, rura tria communia, ordinariè quidem, ad omes Civitates, Oppida & Pagos, destinata sunt. *Primum* pro hibernis sive autumnalibus Cerealibus, quod Hungaris *Ösz-batár* dicitur; *aliud* pro æstivis sive vernis & *Tavasz-batár* Hung. nominatur; *tertium* Vervactum est. Rura hæc *Communia* dixi: omnes enim omnium incolarum agri dispersim commixti sunt, ideoque pascua communia. Quot proinde dives æque ac misellus alere pecora voluerit, suo pendet ab arbitrio: pastores quoque gregum sunt communes; Magnates suis è subditis habent peculiares.

§. LXIX.

b. Herbas *Spontaneas*, pro loci natalis ratione, in *Silvestres*, *Montanas*, *Pratenses*, *Arvenses* & *Palustres* nunc dividimus.

§. LXX.

1. *Silvestres*, h. e. quæ in silvis, nemoribus, fruticetis & umbrosis crescunt, sunt: Imperatoria, Pulmonaria *off.* Hepatica, Ficaria [1], Anemone nemorosa, Veronica *off.* Mercurialis perennis [2], Asarum, Noli tangere [3], Circæa lutetiana, Melittis [4], Scolopendrium, Polypodium vulgare, Alkekengi, Geum montanum & Urbanum [5], Lunaria rediviva, Osmunda lunaria, Soldanella, Sanicula, Astran-

§. 70. ...

tia major, Orobus vernus & niger, Digitalis lutea, Fragaria 6., Plantago bulbosa, Napellus, Thalictrum aquilegifolium flavum & angustifolium, Stachys silvatica, Salvia glutinosa, Origanum vulgare 7., Sphondylium 8., Ægopodium 9., Angelica silvestris, Fumaria bulbosa, Helleborus niger, Paris, Melampyrum cristatum, nemorosum & silvaticum, Prenanthes muralis 10., Chrysosplenium, Allium ursinum 11., Asperula odorata & tinctoria, Acetosella, (*Oxal. spec.*) Convallaria polygonatum, bifolia, verticillata & majalis, Cypripedium calceolus, Serapias Helleborine, Orchis bifolia & maculata, Aconitum lycoctonum, Caucalis echinophora, Filix mas & femina, Actæa spicata, Belladonna 12., Scrophularia nodosa, Cerastium gramineum, Ornithogalum luteum, Genista tinctoria, Tanacetum vulgare, Polytrichum commune, Virga aurea, Galium silvaticum, Geranium columbinum, Lycopodium clavatum & Selago 13., Anthemis montana, Doronicum pardalianthes, Selinum silvestre & carvifolium, *cet.*

1. *Ranunculus ficaria*, Hung. *Aranyal-verſengő*, lactucæ inſtar, primo vere paſſim præparatur & manducatur.

2. *Mercurialis perennis*, homini & ovibus fortè noxia, in quibusdam Officinis Pharmaceuticis *Annuæ* ſubſtituitur: Cibinienſes Viennâ comparant legitimam, quæ nondum in Transſilvania reperta eſt.

3. *Impatientis*, Noli tangere dictæ, folia rufticis vulneraria vulgaria ſunt: Vulgò *Üvegſzáru fü* adpéllatur.

4. *Melittis*, Hung. *Dobronika*, balneis emmenagogis adhibetur frequentiſſimè.

5. *Gei urbani*, Hung. *Gyömbér-gyökér*, Germ. Benedictwurz, radices Martio collectæ, Hydromeli Coronenſi copiosè adduntur, & Caryophylli odorem conciliant.

6. *Fragaria veſca* feliciſſimè ubique in ſolo Transſilvanico educatur.

7. *Origanum vulgare*, præter tinctorium uſum, Cereviſiæ ſæpè additur.

8. *Heracleum ſphondylium*, in Officinis noſtris, nomine Brancæ urſinæ, à qua nomine & virtute plurimum differt, receptum eſt.

9. *Ægopodium*, non hominibus pro olere, ſed pro ſuibus copiosè colligitur, furfureque adſperſum pro pabulo adhibetur.

10. *Prenanthis muralis* folia, mulierculis, inter plantas vulnerarias primaria creduntur, nec ſcopo fruſtrantur.

11. *Allium urſinum*, Allio hortenſi, à militibus Limitaneis Siculis ſubſtituitur, dum in Limitaneis (§. 16. n. 2.) vigilias agunt.

12. & 13. Ex radicæ *Belladonnæ*, & herba *Selaginis*, ſeorſim, decoctum paratur, & propter ſingularem, immo violentam purgandi virtutem, refractario quoque morbo colluctantibus, ab inficetâ audaceque nimium plebe, cumprimis Valacha, propinatur. At ſæpe ingenti periculo. Ex adverſo, *plurima paſſim medicamenta domeſtica, aliis etiam terris ignota, apud ruſticos noſtrates uſurpantur, & tanquam ſpecifica, pretioſiſſimisque pharmacis prælata celebrantur.* Herbas ab aliis neglectas, ad varios debellandos morbos, felici efficaciâ, Valachæ præcipuè mulieres, adplicant: unde Valachica Herbarum nomina, non iratis forſan Botanicis, Flora mea colliget.

§. LXXI.

2. *Montanas*, vt nominavimus, *Herbas*, alpes, montes, rupes, locaque elatiora aprica, in Civitatis Vegetabilis incrementum nutriunt; tales ſunt hac Provinciâ facile reperibiles: Gentiana lutea, Carlina, Lithoſpermum officinale & purpureo-cæruleum, Lycopſis, Ruta muraria, Adianthum nigrum, Sempervivum tectorum, Sedum telephium & acre, Anemone alpina, Clinopodium vulgare, Vincetoxicum, Aira alpina, Thymus alpinus, Serpillum, Gnaphalium montanum, Teucrium montanum, pumillum & Chamædrys, Cervaria, Iris verna, Allium flavum,

vum, Rumex alpinus, Arnica montana (ſive *Schröderi*,) Artemiſia campeſtris, Arum ſagittæfolium, Geranium macrorrhizum, Anthora (*non ubique*,) Ophioglosſum (*rariùs*,) Pimpinella ſaxifraga, Ciſtus helianthemum, Pulſatilla, Aſter alpinus, Anthericum ramoſum, Umbilicus veneris, Lychnis viſcaria, Tormentilla, Pentaphyllum, Abſinthium ponticum (*non ubivis obvium*,) Echium, Theſium linophyllum, Euphorbia eſula, Anthyllis vulneraria, Trifolium montanum, Acroſtichum crinitum, Dentaria pentaphyllos, Lathræa ſquamaria.

§. LXXII.

3. Herbas *Pratenſes* [1.], i.e. quas Prata depresſa editioraque, paſcua & convalles, educant, tales nunc obſervandas volumus: Trifolium pratenſe, repens, reflexum, arvenſe, agrarium, Melilotus *offic.* Lotus corniculatus, Medicago lupulina & falcata, Aſtragalus cicer, Glycyphyllos, & Onobrychis, Alchemilla, Bugula, Prunella, Trollius europæus, Ulmaria, Filipendula, Agrimonia, Eupatorium cannabinum, Polemonium cæruleum, Carum (*uberrimè*,)

Clematis erecta, Criſta galli, Ptarmica, Cerinthe minor, Nepeta pannonica, Marrubium vulgare, Bupleurum longifolium, Bugloſſum, Conyza aſteroides, Succiſa, Aſparagus [3], Plantagines, Scutellaria galericulata & lateriflora, Althæa, Gladiolus communis, Humulus [2], Sanguiſorba *Offic.* Valeriana *Offic.* Eryngium campeſtre, Cucubalus bacciferus, Rumex criſpus, acetoſa & acetoſella, Veratrum album, Colchicum autumnale [4], Taraxacum, Oenothera biennis, Geranium cicutarium, ſilvaticum, pratenſe & diſſectum, Biſtorta, Gentiana aſclepiadea, pneumonanthe, ciliata, Cruciata, Centaurium minus, Betonica *Offic.* (*& flore albo paſſim,*) Fumaria *Offic.* Millefolium (*flore purpuraſcente rariùs,*) Tragopogon pratenſe (*porrifolium in hortis*) Alliaria, Parietaria, Euphraſia (*etiam flore cæruleo-purpuraſcente,*) Odontites, Salvia ſclarea & verticillata, Myagrum perenne, Barbarea, Scabioſa *Off.* Anſerina, Silene armeria, Cucubalus behen, Saponaria *Off.* Glechoma hederacea, Campanulæ, Heſperis triſtis, Cheiranthus eryſimoides, Myoſotis ſcorpioides, Verbaſcum *Offic.* Thapſi, nigrum & blattaria,

Po-

Polygala vulgaris flore purpureo, cæruleo & albo, Lysimachia vulgaris, thyrsiflora & quadrifolia, Nummularia, Primula veris, Leucojum vernum & æstivum, Erythronium, Viola nigra, Fritillaria meleagris, Narcissus poëticus, Hyacinthus comosus, Flos cuculi, Veronica longifolia & arvensis, Inula salicina & Helenium [5], Hieracia, Anthoxanthum odoratum, Lolium perenne, Phleum pratense, Poa pratensis, Aira cespitosa. Variæ graminum species. Echinops sphærocephalus, Linum catharcticum, Ranunculus acris, Parnassia, Aristolochia longa & rotunda.

1. Trifoliorum ac graminum speciebus sponte densèque provenientibus, ridentia adeo & lætissima redduntur prata, vt ab operosâ pascuorum culturâ incolæ omnes, præter exstirpationem hic ibique fruticetorum, absoluti sint.

2. *Humulus lupulus*, in dumetis, & ad sepes perfrequens, nec cultura indiget.

3. *Asparagi* in pratis spontanei in hortis Magnatum edomantur.

4. *Colchicum* aut & *Veratrum alb.* pascua non pauca vitiant.

5. *Helenium* omnibus fermè pratis crescit quàm pinguissimè.

§. LXXIII.

4. Per *Arvenſes*, non eas modo intelligimus *Herbas*, quæ in arvis & agris, eorumque marginibus, ſed etiam in fimetis, ruderatis & hortis, inviſæ agricolis & hortulanis, inter plantas cultas luxuriant; vt ſunt: Ebulus, Dipſacus fullonum (*laciniatus rarior,*) Chelidonium majus, Verbena *Off.* Nepeta cattaria, Lamium, Urtica dioica & urens, Arctium lappa, Xanthium, Melampyrum arvenſe, Myagrum ſativum, Anthemis tinctoria, Æthuſa, Bidens tripartita, Serratula arvenſis, Carduus lanceolatus & criſpus, Cirſium, Agroſtemma githago, Avena fatua, Ervum hirſutum & tetraſpermum, Lathyrus tuberoſus (*perfrequens,*) Aphaca, Niſſolia, Lathyrus pratenſis, Sonchus oleraceus, Armoracia (*hortis ob nimiam copiam moleſta,*) Cicuta *offic.* Anagallis, Panicum filiforme & Crus corvi, Stramonium, Hyoſciamus *off.* Cotula fœtida, Hypericum perforatum & pulcrum, Cyanus, Lithoſpermum arvenſe, Aparine, Mentha arvenſis, Bryonia alba, Eryſimum *offic.* Sinapis nigra, Hibiſcus trionum, Bonus Henricus, Braſſica campeſtris, Cuſcuta euro-

europæa, Solanum nigrum, Thlaſpi arvenſe, campeſtre, & Burſa paſtoris, Farfara, Senecio vulgaris, Perfoliata, Delphinium conſolida, Chærophyllum bulboſum, Symphytum *Offic.* Adonis autumnalis, Lampſana communis, Scleranthus annuus, Amaranthi, Vulvaria, Convolvulus ſepium, Polygonum convolvulus, Polyg. aviculare, Cynogloſſum *Offic.* Sium falcaria, Cardiaca, Abſinthium vulgare, Artemiſia vulgaris, Galeopſis tetrahit, Cichorium intybus, Ononis mitis, Ranunculus echinatus, Triticum repens, Ballota, Lappula, Onopordum acanthium, Siſymbrium ſophiæ, Stellera Paſſerina, Stachis annua, Eryſimum cheiranthoides, Potentilla recta &c. In ſalſis: Salſola Soda.

§. LXXIV.

5. *Paluſtrium* nomine hìc veniunt Herbæ in paludibus, ſtagnis, lacubus, fluviis, ripis & locis inundatis creſcentes. Indigenæ hujus Claſſis in Transſilvania ſunt: Nymphæa lutea & alba, Statiotes aloides, Potamogeton natans, compreſſum & graminifolium, Trapa natans, Morſus ranæ, Lemnæ ſpecies,

Acorus calamus, Pſeudacorus, Butomus umbellatus, Salicaria, Phellandrium aquaticum, Sagittaria ſagittifolia, Caltha paluſtris, Menyanthes trifoliata, Dulcamara, Ranunculus ſceleratus, Perſicaria, Beccabunga, Lycopus europæus, Scordium, Petaſites, Pedicularis paluſtris, Gnaphalium uliginoſum, Plantago aquatica, Gypſophila proſtrata, Naſturtium aquaticum, Cardamine pratenſis, Eriophorum polyſtachium, Scirpus paluſtris & ſupinus, Juncus articulatus, Chara vulgaris, Typha latifolia, Scrophularia aquatica, Sparganium erectum, Epilobium, Triglochin paluſtre, Hiſſopifolia, Ranunculus aquatilis.

Hæc, pro brevi ſpecimine, *Linnæanis* ut plurimùm nominibus adduxiſſe ſufficiat, ita quidem propemodùm diſpersè, acſi in campis ipſas plantas absque ordine decerperes: vel ex his verò, oculeus quisque conjiciat oportet, præcipuos in Transſilvania Regni Vegetabilis theſauros eſſe reconditos. Reconditos dico, quod à paucis inveſtigentur. Cl. ac Exp. D. CHENOT (§. 20. n. 1.) vt eſt Hiſtoriæ Naturalis Scrutator ſollertiſſimus, ſuccisivum negotiorum ſuorum otium decem circiter ab hinc annis Rei Herbariæ conſecrârat, collegeratque plantas rariores in hac Dacia patriam habentes, vt ſunt: *Salvia nutans*, *Crambe orientalis*, *Statice ſpecioſa*, *Plantago maritima*,

ma, cet. at *aliis curis distentus*, (vt suis utar verbis) *à proposito defecit.* R. P. FRIDWALDSZKY, promovendorum naturæ arcanorum perquàm sollicitus, per plurimos Transsilvaniæ montes, alpes, saltus *cet.* emensus, plantas varias curiosis inspexit oculis, Mineralogiæ licet fuerit intentior; magnum autem patriæ commodum adtulit, ac imprimis Cerdones æternis sibi meritis devinxit, inventâ *Rhoë Cotino* (planta scilicet coriaria) in montibus Hátszegensibus supra Vajda-Hunyad, editaque Dissertatione de eadem Anno 1773. ac ejus curâ, plantatione *cet.* Antea, (& nunc, donec exuberabit) ex Valachia Transalpina multo ære comparabatur. Cl. D. SAM. PATAKI Med. Doct. & Philos. & Math. Prof. Claudiopolitanus plurimas etiam adprehendit plantas selectissimas. Vtinam Experientissimi DD. Medici recentiores, Rei Botanicæ scientiâ imbuti, collatis studiis, vegetabilem Transsilvaniæ Civitatem illustrarent! Hanc, spero, Provinciam, paucis adhuc naturæ peritis indagatoribus calcatam, amplissimo plantarum proventu experirentur uberem. Ego quidem, (curâ commissæ mihi Gregis aliis intereà commendatâ) nonnulla nostra loca, non absque delassatione perreptavi, perlustravi: sed exantlatorum itinerum molestias ipsæmet plantæ lethæâ quasi oblivione sepeliêre; quantæ enim earum species! quanta varietas neminem non delectans! Videorque mihi unam saltim & alteram speciem, nondum apud Botanicos mihi lectos observatam, invenisse, qualem puto, *Epilobium* (*Benköanum* ab amicis meis nominatum) *caule tereti, hirsuto, fol. subsessilibus, villosioribus, lanceolatis serratis, imis*

tam-

tantùm oppoſitis, floribus ex albo purpuraſcentibus. Fungorum denique, ſi non ſpecies incognitæ, varietates ſanè, pro ſoli Transſilvanici diverſitate infinitæ. Omnibus fermè locis ſunt vulgatiſſimi: Agaricus cantharellus, campeſtris, violaceus, piperatus; equeſtris & quinquepartitus non ita vulgares, *cet.* Boletus bovinus, Hydnum imbricatum, Phallus eſculentus (*Süveg-gomba*) Peziza lentifera, Clavaria piſtillaris, Boviſta; Phallus impudicus rarior, Lycoperdon cervinum, in montibus Sedis Csik non infrequens. Sed quo abripior?

§. LXXV.

III. REGNVM ANIMALE, Vegetabilis ac Lapidei beneficio enutritum ac ſtatutum conſiderandum poſtremò venit.

Regnum Animale Transſilvanicum nulla unquam ſcriptione celebratum eſt.

§. LXXVI.

Per ſex proinde *Claſſes* Animalium breviter procedemus, pauca adducentes, ex 1. *Mammalium*, 2. *Avium*, 3. *Amphibiorum*, 4. *Piſcium*, 5. *Inſectorum*, & 6. *Vermium*, Claſſibus.

§. LXXVII.

Animalium *Primas*, Homo *Sapiens*, in Transſilvania eſt plerumque *corpore*

firmo,

firmo, ac robusto; *temperie* sanguineâ magis, quám aliâ. *Ferus* quoque homo [1] antehac forsan his oris visus est.

1. In *Compendio Hungariæ Geographico Beliano*, hæc in rem nostram leguntur: „Accidit hic „(*in Comitatu Szólnok Mediocri*) Anno 1722. vt „venantibus aliquibus, *femina Silvestris*, eaque „nuda occurrerit, tantæ deformitatis, vt vena- „torum alter, sub illius conspectum, de men- „te dejiceretur. Persequebantur fugientem fe- „minam venatores reliqui, circulo quasi cin- „ctam: nihil tamen præter lenissima fugientis „vestigia, reperierant.

§. LXXVIII.

A. *Mammalium* Classi *Cicura* & *Fera* Animalia inferemus. *Cicura* seu Domestica Transsilvanis hæc aluntur: *Bos* [1] & *Bubalis* [2], *Equus* [3], *Asinus* [4], *Ovis* [5], *Capra* [6], *Sus* [7].

1. Transsilvania multa *Boum* millia alit, adeò, vt non Indigenis modò suppetant, sed etiam in Austriam & exteras alias regiones *hungaricorum boum* nomine vendantur. *Decreti Tripartiti Parte* I. *Tit.* CXXXIII. *Unus bos non claudus, vel aliter non destructus æstimatus est ad Marcam unam*, h. e. quatuor flor. Hungaricos. *Duæ vaccæ sine vitulis ad Marc. unam. Una vacca cum vitulo ad M.* 1. Nemo ergo facilè mirabitur, Anno 1670. 1. Dec. in

in Generalibus Tranſſilvaniæ Comitiis Albæ-Juliæ celebratis ſtatutum fuiſſe, carnis bovinæ libram, pretio non majori, quàm dimidio crucifero vendendam, ut habetur Art. II. Anno tandem 1679. 27. Maji in Comitiis ibidem habitis, Art. IV. in reprehenſionem venerunt Laniones integro crucifero carnem vendentes, tumque ſtatutum eſt, quamlibet libram ſesqui denario, i.e. $\frac{3}{4}$ xr. emendam eſſe. Mox, elapſis 20. & amplius annis, mutata eſt hæc pecorum carnisque vilitas, vt mactandus bos unus, bonus is, æſtimatus ſit ad Flor. Hung. 15. una carnis libra ad $2\frac{1}{2}$ xferos. Hæc abinde caritas decrevit adeo, vt, uno ſæpe aut $1\frac{1}{2}$ xfero libra quævis venderetur: at nobis iterum, ab aliquot annis, libra carnis bovinæ $2\frac{1}{2}$ xf. ovinæ xf. 2. veniat; unus namque bos pingvis 30, 40. immò & 50. Florenos hungaricales valet.

2. *Bubalis* ſive *Bubalus* (aliis *Buffelus*, Hung. *Bial*) ex Aſia non in Italiam tantùm, ſed & in Tranſſilvaniam devenit, & à Valachis Tranſalpinis ſæpius noſtris venditur. Plerisque Magnatum villis alitur copiosè: ruſtici contra rariſſimè curant. Albi quoque non deſunt in villis quorundam Magnatum.

3. Equus tranſſilvanicus ſatis eſt generoſus, ſcandendis montibus, eorumque anfractibus emetiendis & ferendis oneribus aptus. *Vid. P. Fridw. Minerol. p. 6.* Saxonica Natio, præ reliquis, numeroſos equorum greges educat, iisque, rarius bobus, omnem agriculturam ac vecturam peragit.

4. *Asinus* rariùs; *Mulus* (ab equâ & asino) ac *Hinnus* (ab asinâ & equo) rarissimè apud nos nutritur.

5. *Oves* (cornibus compressis, lunatis) multis ubique turmis coluntur, & non pauca earum millia in Valachia ac Moldavia hibernant, iterum ad pascua reducenda. Oves Districtûs Fagaras, lanâ densâ & crispâ ceteris præstant, indeque arietes, pro futurâ propagine, in alias patriæ regiones, expetuntur. An ideo fœtus crispos eniuntur lanigeræ Fagarasenses, quod ante partûs tempora, mensis intervallo, ramorum salignorum corticibus pascantur? *Vid. Fridw. p. 6.* Ovis *Strepsiceros* dicta, (cornibus erectis, spiralibus) quæ in Hungaria colitur, in Transsilvania rariùs alitur. Ovis una, juxta *Decr. Trip.* ad Flor. hung. 1. æstimata, nunc duobus, & cum agno, tribus Flor. venit.

6. *Caprarum* quoque multa millia, à Valachis maximè & iis imprimis locis, quæ silvis abundant, aluntur: arborum enim frondibus ac muscis, absque fœno, tota hieme victitant. Carne caprinâ multi, præcipuè Hungari, abstinent, alii ex adverso eâ delectantur. Armenis verò Transsilvanis cibus est gratissimus: ii namque carnem eam exsiccant & *Buzenyitzam* vocant; quâ domi æque ac in itineribus vescuntur.

7. Sues aluntur copiosi, ac etiam ex Valachia non pauci quotannis subministrantur. Greges porcini in *Silvania* & Districtu *Kövár*, omnium sunt frequentissimi, Valachicisque haud inferiores. *Porci* proinde *Silvani* benè saginati, sæpe

§. 79. .:. .

20. ac etiam 25. florenis hung. venum eunt, quum vulgares 10. aut 12. valent. Antiquiore ætate, ſinguli ſingulos florenos valere jubebantur, vi Legum patriarum, vt docetur *Decret. Trip. P. I. Tit. CXXXIII.* Suis monunguli varietatem aliquoties obſervavimus.

§. LXXIX.

Fera Animalia [1], hæc Transſilvanis cumprimis innotuerunt: *Cervus*, *Capreolus*, *Urus* [2] (rariſſimè,) *Rupicapra*, *Aper*, *Urſus* (Arctos *Linn.*) *Lupus* [3], *Vulpes*, & *Alopex* ſeu Vulpes campeſtris, *Lynx* raró, *Lepus* (*Cuniculus* nonniſi domeſticus,) *Meles* ſeu Taxus, *Lutra*, *Martes*, *Putorius*, *Muſtela* vulgaris, *Ermineum* ſeu Muſtela alpina candida, vulgò *Hermelus* (Hung. *Hölgy*,) *Sciurus* vulgaris & Glis, *Talpa* europæa, prata nimiùm evertens, *Sorex* araneus, *Erinaceus* europæus, *Marmota*, *Rattus*, *cet.*

1. Fera hæc animalia, (vt & aquatica) quorum carnes veſcæ ſunt, priſtinis temporibus multò fuerunt numeroſiora, tam propter numerum incolarum longè minorem, ſilvarum verò majorem; quàm Legem, qua venatio ruſticis fuit interdicta. Nam Anno 1668. 10. Jan. in Comitiis Biſtricenſibus, Articulus XXXVItus his verbis fuit conceptus: „*A' paraſzt ember törrel és*

„ *cſövel*

§. 80. ·M..

„ *cſövel* (az az Puskával) *ſub pœna Flor.* 12.
„ *meg-tiltatik a' vadáſzattól: ha kinél közűlök Agár*
„ *találtatik, ſzabadoſon el-vétethetik tölök, hogyha*
„ *Földes Uráé nem léſzen, melyet Ura czédulájá-*
„ *val bizonyithat meg.*

2. Uri, (ſpecies ſilveſtrium boum) ante an-
„ num Sæculi noſtri quadrageſimum, ad lacum
„ ponè acidulas in Gyergyó ſitas, vt ſe ab ar-
„ dore æſtivo tutentur, ventitare ſolebant, ſtata
„ venatione cædebantur; ſed hanc eripuere præ-
„ dam graſſantes venti, qui ſilvas Gyergyoënſes
„ multùm demoliti, Uros tutiora quærere coë-
„ gerunt. *Fridw. Miner. p.* 7. Viſus tamen hoc
(1775. M. Mart.) etiam anno in Silva *Bo-
roſzlános*, pagi *Füle.*

3. Lupi quandoque gregatim incedunt, & ſin-
gulis ferè noctibus autumnalibus pecora dilaniant:
unde mirum non eſt, totos ſæpe pagos ad de-
pulſandos lupos concitari. Et ſunt ruſtici, qui
captorum luporum pellibus omnem vicinitatem
circumeunt, & tamquam victoriæ ſignis paga-
tim frumenta colligunt.

§. LXXX.

B. *Aves domeſticas* in Transſilvania ſe-
quentes obſervabis: Anſerem, Anatem,
Gallopavonem, Gallinam, Columbam;
& apud Magnates: Pavonem criſtatum,
Meleagridem Numidam, Turturem in-
dicum ſive Columbam riſoriam.

§. LXXXI.

Avium quoque *ferarum* permultæ ſpecies habitant, vt ſunt: Urogalus, Perdix, Bonaſia ſeu Gallina corylorum, vulgò Attagen, Coturnix ſive Tetrao Iſraëlitarum, in cujus venationem Falconaria exercetur, Ruſticula, Gallinula, Otis ſive Tarda avis, Fulica atra, Querquedula, Anas Crecca, Anas Circia, Anas fera torquata minor, Anſer ferus, Merganſer, Grus, Ciconia, Ardea cinerea, Galbula, Picus martius, Picus viridis, Picus minor, Torquilla ſeu Jynx (Junx *Linnæi*,) Palumbus torquatus, Turtur, Turdus viſcivorus, Turdus torquatus ſive Merula torquata, Merula, Emberiza citrinella, Emberiza Cia, Sturnus vulgaris, Cinclus ſeu Turdus aquaticus, Merula aquatica, Alauda arvenſis, pratenſis, arborea & criſtata, Aquila, Milvus, Falco gentilis [1], Niſus, Buteo, Falco palumbarius, Corax, Cornix, Monedula, Caryocatactes, Pica, Graculus, Cuculus canorus, Bubo, Otus, Scops, Aluco, Ulula, Collurio, Vanellus, Coccothrauſtes, Fringilla lapponica, Carduelis, Fringilla canaria

§. 81. 82.

ria rariſſimè in caveis apud Magnates, Fringilla domeſtica [2], Fring. montana ſive Paſſer montanus, Luſcinia, Motacilla modularis, Motac. alba, Motac. troglodytes, Parus polonicus ſive Pendulinus in confiniis verſùs Poloniam, Hirundo ruſtica ſeu domeſtica, Hirundo Urbica, Hir. riparia & Apus, Ampelis Garrulus in ſubalpeſtribus frequens, *cet.* Rallus Crex in pratis.

1. *Falconem gentilem* (Hung. *Sólyom*) tributi loco olim Transſilvani Turcarum Imperatori mittere ſolebant, fueruntque homines tributarii è plebe, Falconarii (H. *Sólymáſz*) dicti, quod ſola hac ave tributum ſolverint. vid. p. 550.

2. *Fringillarum* domeſticarum ſive *Paſſerum domeſticorum*, tantæ tamque moleſtæ turmæ, & inviſi greges, vt regionum incolæ lege obſtricti, licet certam fringillarum ſummam capere, earumque capita Magiſtratui referre quotannis conſpiciantur: nihilo tamen minus ingens paſſim damnum agris & frumentis inferunt. Ea lege, Cornicum quoque greges aucupantur.

§. LXXXII.

C. Ex *Amphibiis* facile inveniuntur: Teſtudo terreſtris ſeu græca, Bufo, Rubeta, Rana temporaria, Rana eſculenta ſive Viridis aquatica, Rana arborea,

Lacerta vulgaris & agilis, Salamandra terreſtris; Serpentum ſpecies paucæ; Huſo ſeu Antacæus atque Sturio, Acipenſeris ſcilicet ſpecies vix aliquando ex Danubio ad inferiora Maruſii excurrunt.

§. LXXXIII.

D. *Piſcium* amnes penè omnes ſunt fertiliſſimi, quos inter capiuntur: Angvilla, ſed non frequenter, Muſtel a fluviatilis, Silurus Glanis, Lucius, Gobio, Perca fluviatilis, Cobitis barbatula, Cobitis Tænia, Cobitis foſſilis; *Salmonis ſpecies*: Trutta, Fario, Hucho, Salvelinus, Thymallus, Albula, *cet.* *Cyprini ſpecies*: Barbus, Carpio, Caraſſius, Cephalus, Alburnus, Ballerus, *cet.* Aſtacus ubique eſt ſat frequens.

§. LXXXIV.

E. Ex *Inſectis* ea tantùm referemus, quæ, præ aliis, ingenti copia in Transſilvania viſuntur, e. g. ex Ordine *Coleopterorum*: Scarabæus ſubterraneus, fimetarius, conſpurcatus, farinoſus, Melolontha, Scarabæus auratus, nobilis; Lucanus cervus; Dermeſtes lardarius, unda-

datus, Piniperda, pulicarius; Ptinus pertinax & fur; Gyrinus Natator; Caſſida viridis & nebuloſa, Coccinellæ plurimæ ſpecies; (omnium copioſiſſima 7-punctata) Chryſomela betulæ, armoraciæ, nymphææ, Curculio frumentarius, fagi, rumicis; Attelabus coryli; Leptura aquatica; Carabus nitens; Tenebrio molitor; Staphylinus riparius & cantharellus.

§. LXXXV.

Ex *Hemipteris*: Gryllus domeſticus, viridiſſimus, nonnunquam etiam migratorius, ſtridulus; Cicada ſpumaria; Cimex lectularius, baccarum, & oleraceus. Aphidis, Chermis & Cocci ſpecies plurimæ.

§. LXXXVI.

Ex *Lepidopteris* innumeræ Papilionum ſpecies; utinam ignota nobis *Braſſicæ* manſiſſet! Phalænæ perplurimæ. Hoſpitatur apud paucos Phalæna mori ſeu Bombyx. Omiſſis *Neuropterorum* gregibus, & ex *Hymenopterorum* Ordine, Cynipis, Tenthredinis, Ich neumonis, *cet.*

§. 86.

ſpeciebus plurimis, nobiliſſimi illius inſe-ᴄti, *Apis* ſcilicet *mellificæ* [1], laudes com-memoremus: cerea certè regna Apum, uti ſunt frequentiſſima, ita non ultimam proventuum partem his oris conſtitu-unt. [2].

1. Apis Transſilvanica duplex eſt, non ſpecie quidem, ſed habitatione, *ſilveſtris* v. l. & *dome-ſtica.* *Silveſtris* habitat in arboribus cavis, non tanta tamen copia, vt putavit *Novæ Daciæ* Au-ctor p. 47. *Domeſtica* verò frequentius culta ho-ſpitatur paſſim in alvearibus ſalignis & ſimilibus; & apes ſilveſtres plerumque non aliæ ſunt, quàm apiarii deſertrices. Sicut autem Transſilvania herbarum ſalutiferarum, florumque plurimorum copiâ exuberat: ita mellis præſtantia judicari po-teſt. Multis in locis, non aliter, quàm in Po-loniâ, melliferis tiliæ floribus apes paſcuntur. In potiori verò Siculia, Fagopyri floribus non minus quàm in Scania, mellificium peragunt: & mel è fagopyro (*haritska*) collectum ſingula-ri à reliquis odore diſtingvitur; ſicut & mel è Tabaci floribus congeſtum. Hinc, ubi fagopy-rum ſeritur copioſius, melle apiaria adfluunt co-pioſiore.

2. Sunt ſanè multi Patrumfamilias, qui ex ſola apum cultura, non victum modò & amictum, ſed & divitias quærunt: unum ſiquidem alvear melle ditatum, in Siculia fagopyro abundante 4. aut 5. Flor. Rhenenſes valeat. *Mel* variis uſi bus inſervit, & imprimis Melicratum ſive Hy-

dro-

dromel (Hung. *Mèh-Ser*, Germ. Meth) ex eo coquitur delicatum: hydromel Coronense vetus, quo nec Polonia præstantius coquit, reliquis præfertur. *Ceræ* pars maxima exteris venditur. Año 1675 Árticulo Diætali VI^to fuit prohibitum, ne Græci, Armeni, Turcæ, *cet.* extranei, Mel, Ceram, Butyrum, Caseum, pecoraque vicatim emtitarent, sed Coronæ, Cibinii, Szászvárosini, Claudiopoli ac Bánfi-Húnyadini subsisterent, iisque locis finitimis ab indigenis coëmerent.

Apis centuncularis non intra terram solùm, sed in ipsis quoque arborum ramis nidos cylindricos format. De reliquis Apis speciebus, earumque hostibus, vt sunt: *Cereana*, *Mellonella*, *cet.* nunc nihil addimus.

§. LXXXVII.

Dipterorum numerus fermè innumerus, hominibus ac brutis molestus adeò, vt vix aliqua regione [1] similis; tales sunt: Oestrus bovis, Musca domestica [2], canicularis, & complures ejus species, Tabanus bovinus, Culex pipiens & equinus, Conops calcitrans & irritans, Hippoboscæ, *cet.*

1. Ingentem profectò horum multitudinem non inmeritò miramur, & mirarentur sanè Hollandi, aliique, quos vix octava eorum pars infestat: at miremur potiùs *Oeconomiam Naturæ* sapientissimam, vt docemur in *Amænitatibus Academicis Linnæi.*

§. 88. 89.

2. *Muscarum* greges confertissimi, tamquam apum examina, plerasque domos ac culinas, volatu, bombo implent, fastidiumque delicatis causantur. *Confer, quae Hungarus Tymbaules p. 92. habet.*

§. LXXXVIII.

Ex *Apteris*, Oniscus aquaticus & Asellus, Scolopendra forficata, Julus terrestris, Acari species, & inter eas Ricinus, *cet.* ordinem suum augent; Termes pulsatorium tam frequens, vt horologio carere vix quispiam videatur.

§. LXXXIX.

Ex *Vermibus Intestinis* satis noscuntur: Ascaris vermicularis & lumbricoides, Lumbricus terrestris, Fasciola hepatica, Hirudo, *cet.* Ex *Molluscis*: Limax ater & hyalinus. Ex *Testaceis*: Mytilus anatinus, Helix Lapicida, Albella, Pomatia [1], Helix limosa, *cet.*

1. *Pomatia*, seu Cochlea aut Limax terrestris, Hung. *Ételi - Tsiga*, Germ. gemeine Schnecke, cibus plebi contemptissimus, in radicibus montium, praecipuè Comitatûs Húnyad, colligitur, & Magnatum mensis frequenter adponitur.

§. 90.

§. XC.

Recenſita trium Naturæ Regnorum producta ſatis Transſilvaniam commendare [1], & omnibus ejus alumnis neceſſaria [2] quæque ſubminiſtrare videntur: eſt tamen etiam quarundam inopia rerum, cumprimis artefactarum, vt & Aromatum, Serici, Goſſypii, ſimiliumque; cui ex Germania & Turcia, per negotiationem [3] conſulitur.

1. Conceptis verbis Transſilvaniæ laudem *Köleſéri p. 6.* expreſſit: „Si extremum, *inquit*, hunc Eu„ropæ angulum (*Transſilvaniam*) ſitu, fertilita„te, commoditate, ac omnium naturæ theſau„rorum concentratione fœcundiſſimum, nulli„que Europæ parti primas cedentem dixero; „ubi evictum ſequentibus animadverterit, ne„gabit nemo, invidebit nemo. *Et p.* 8. Quid „ullibi natura parens impertita eſt, quod huic „denegaſſet? quid muneris loco largita eſt, „quod huic ſurripuiſſet? *reliqua. Conf.* §. 32. „*n.* 2.

2. Licet (quum non omnis ferat omnia tellus) non cujuslibet regionis incolis proveniant neceſſaria omnia: omnis tamen defectus lóci unius, ex divitiis alterius, ejusdem communis patriæ, nundinarum celebratione ſublevatur; nunc enim frumenta & fructus varii, nunc vinum, ſal, & ſimilia, è loco in locum, ſpe lucri, transferuntur.

3. Ne-

§. 90.

3. Negotiatio *Nundinis anniverſariis & hebdomariis* peragitur; quæ non in Civitatibus modò & Oppidis celebrioribus, ſed etiam vicis compluribus celebrantur. Et, quod probè notes, omnes Nundinæ Transſilvanæ, unico abſolvuntur die, licet poſtero quoque merces reperias vendibiles. Semper verò *Forum boarium* diem Nundinarum præcedit. Ætate ſuperiore, omnes omnium merces, juxta Supremi Magiſtratûs *Limitationem* venum ibant, teſtantibus Comitiorum Articulis. Sicut denique merces exoticæ venum nobis exponuntur, ita nundinis omnibus, opes Transſilvanicæ, vt ſunt: Boves, Lintea cannabina, cera *cet.* ad exteras divenduntur regiones. Mercatores ſunt potiſſimùm Armeni, Græci, Judæi; immò & Saxones ac pauci Hungari, poſtquam ſuis conſulere didicerunt commodis: hi enim olim mercaturam negligebant, & peregrinis Armenis, Græcis, Judæis aliisque permittebant. Diverſoria, pro mercatorum commodis, non ubique poſita ſunt, & quæ ſunt, non meliora, quàm polonica, in *Icone Animorum* Barclaji *Cap.* 8. depicta: hic quamvis defectus, pluribus in locis, præcipuâ Hungarorum & Siculorum hoſpitalitate compenſetur.

8.91. 92.

LIBER QVARTVS
DE
POLITICA TRANSSILVANIÆ COGNITIONE.

§. XCI.

Politicus Status intelligenter exponetur, ſi I. De Transſilvaniæ IMPERANTIBUS. II. SUBDITIS. III. ADMINISTRATIONE ſermo inſtituetur.

SEGMENTVM I.
DE IMPERANTIBVS TRANSSILVANIÆ.

§. XCII.

Vt tradenda tractentur ordinatè, duobus Capitibus hoc *Segmentum* exponemus; quorum *unum* Perſonam Imperantis, *alterum* Ejusdem Succeſſionem, Jura, Proventus & Expenſas conſiderat.

§. 93. 94. ...

CAPVT IV.

DE PERSONIS IMPERANTIVM.

§. XCIII.

Qui, hac ætate, Transſilvanis imperat, MAGNVS PRINCEPS (§. XI.) inſignitur: at à primo Hungarorum in has terras ingreſſu, temporibus diverſis, diverſi titulo ac poteſtate Imperantes clavum Reipublicæ Transſilvanæ tenuerunt. Ordinis proinde exigit ratio, vt dicamus: A. De Primis Transſilvaniæ DVCIBVS. B. De REGIBVS Hungariæ, qui Transſilvaniam poſſederunt. C. De DVCIBVS Transſilvaniæ; & WAJVODIS, qui nomine Regum provinciæ præfuerunt. D. De Patriis PRINCIPIBVS. E. De Principibus AVSTRIACIS.

A. *De Primis Transſilvaniæ DVCIBVS.*

§. XCIV.

Poſt tertium Hungarorum è Scythia in Pannoniam & Daciam adventum [1], *Duces* Hungara de gente nati, poteſtate abſolutâ, Transſilvanis, ab Aô 1002. uſque dominabantur: eorum, uti *primus*, ſimi-

§.94.

ſimiliter & *noviſſimus*, GYULA [2]. vocabatur.

1. Scilicet, poſtquam, vergente ad finem Seculo IX. Hungari ſub 7. ſuis Ducibus primariis, quorum nomina ſunt: *Árpád*, *Gyula*, *Kund*, *Szabólts*, *Urs*, *Leel* & *Verboltz*, Daciâ, & mox Pannoniâ potiti fuiſſent; Duces memorati, gentem Hungaricam terramque occupatam, inter ſe partiti ſunt. Tunc noſtra Transſilvania *Gyulæ* obtigit; qui exſtructâ Alba-Juliâ, ibidem ſedem fixit; eandemque Transſilvaniam ab Hungaria minimè dependentem Succeſſoribus reliquit.

2. Omnium primum Transſilvaniæ Ducem *Gyulam* fuiſſe, extra dubitationis aleam poſitum eſt; ſed quem ille immediatum habuerit ſucceſſorem, nondum didici: poſtmodùm verò *Gyulam* itidem (prioris forte nepotem) Ducatum obtinuiſſe, negabit nemo. Hic ille eſt, qui licet Divi Stephani Primi Hungarorum Regis, avunculus exſtiterit: odio tamen Chriſtianæ Religionis commotus, Regi Stephano, in convertendis ad Fidem chriſtianam gentilibus Hungaris, pio zelo ardenti, impium bellum indixit. Contra hunc igitur Año 1002. Rex Stephanus venit, eum in Transſilvania vicit, captumque, cum conjuge & duobus filiis, Buâ & Bucnà in Hungariam (in quam hoſtiles antea incurſiones fecerat) duxit, ſed baptizatum vinculo ſolvit, & vitâ honeſtâ in Hungaria agendâ, non verò Transſilvaniæ Vajvodatu, vt quidam volunt, donavit; Transſilvaniam denique Gyulæ ademtam & Hungariæ adnexam, *Zoltano* juniori, cum titulo Du-

cis,

cis, regendam dedit: poſtquam non longè ultrà Seculum, DVCES in Transſilvania rerum potititi fuiſſent.

B. *De REGIBVS Hungariæ, qui Transſilvaniam poſſederunt.*

§. XCV.

Transſilvania à S. Stephano Rege, Anô 1002. Hungariæ adjecta, uſque ad annum 1540. h.e. 538. annorum intervallo, 37. Regibus Apoſtolicis [1]., continuo ſibi nexu ſuccedentibus paruit.

1. De Regibus Transſilvaniâ potitis conſulendum Opuſculum defecatiſſimum *P. Jo. Szegedi S. J.* Claudiopoli Añо 1743. in 8vo editum, ac denuo ibidem recuſum, cui titulus eſt: *Decreta & Vitæ Regum Ungariæ, qui Transſilvaniam poſſederunt, cet.* Vt & das königliche Siebenbürgen, Opus limatiſſimum Reverendiſſ. ac Clariſſ. D. *Ge. Jerem.* HANER Superintend. in Transſilvania Evangelici, *Erlangæ* Año 1763. in 4. edit. Aliique AA. Regum Vitas tradentes; quos inter Rev. ac Clar. *Steph.* LOSONTZI in Opuſculo vernaculo paucis multa complexo, *Magyar Orſzág Kis Tüköre* dicto, haud negligendus. Pariter: Politiſch-Geographiſch- und Hiſtoriſche Beſchreibung des Königreichs Hungarn. Preßburg 1772. 8.

§. XCVI.

§. XCVI.

Series Regum Hungariæ 1., quibus Transſilvania ſubdita fuit, hæc eſt:

1. *S. Stephanus I.* 2. coronatus Anno 1000. 15. Aug. mortuus Anno 1038. 15. Aug.
2. *Petrus* natione Germanus, coron. Aô. 1039. pulſus a ſuis Año 1041.
3. *Aba*, alias *Samuel* 3. coron. Aô. 1041. occiſus Año 1043.
 Petrus Aô. 1043. reſtitutus, Aô. 1046. interemtus.
4. *Andreas I.* 4 Ladislai Calvi filius cor. Año 1047. in prælio occubit Año 1059.
5. *Bela I.* 5. Andreæ frater, coron. Año 1060. Solii lapſu obrutus Año 1063. Temeſii.
6. *Salomon* 6., Andr. I. filius, coron. Aô. 1063. fugatus eſt Año 1074.
7. *Geyſa I.* Belæ I. fil. natu maj. coron. Año 1075. mortem obiit Año 1077.
8. *S. Ladislaus I.* Geiſæ I. frater, coron. Año 1077. mort. & Váradini ſep. 1095.
9. *Colomannus* Geiſæ I. fil. natu maj. cor. 1095. Rex crudelis mort. 1115.
10. *Stephanus II.* Colomanni fil. cor. Año 1115. dyſenteria correptus Año 1131.
11. *Bela II. cœcus*, Almi Ducis fil. cor. 1131. mort. hydrope Año 1141.
12. *Geyſa II.* Belæ cœci fil. cor. Año 1141. obiit Año 1160.
13. *Steph. III.* Geiſæ II. fil. cor. Año 1161. regno pulſus Año 1162.
14. *Ladislaus II.* Belæ cœci fil. cor. Año 1162. mortuus Año 1162.

§.96.

15. *Stephanus IV.* Belæ cæci fil. Anno 1163. mort. Año 1163.

Stephanus III. restitutus Aô. 1163. mortuus Anno 1173.

16. *Bela III.* Geisæ II. fil. coron. Anno 1174. mortuus Año 1196.

17. *Emericus*, Belæ III. fil. cor. Anno 1196. mort. Año 1204.

18. *Ladislaus III.* Emer. fil. cor. Anno 1204. mortuus Año 1204.

19. *Andreas II.*[7]. Belæ III. fil. cor. Anno 1205. mort. Año 1235.

20. *Bela IV.*[8]. Andr. II. fil. coron. Anno 1235. mort. Anno 1270.

21. *Stephanus V.* Belæ IV. fil. succes. Anno 1270. mortuus Año 1272.

22. *Ladislaus IV.* Steph. V. fil. Anno 1272. trucidatus Año 1290.

23. *Andreas III.* Andr. II. nepos Anno 1290. M. 7br. mort. Anno 1301. 14. Jan.

24. *Wenceslaus* coronatus Anno 1301. detrusus 1304. mort. A. 1306.

25. *Otto* Bavarus[9], coronatus Anno 1304. Regno pulsus Anno 1308.

26. *Carolus Robertus*[10]. sivè I. cor. Anno 1310. mort. 16. Jul. Anno 1342.

27. *Ludovicus I.* Caroli fil. coron. Anno 1342. mort. 11. Sept. Anno 1382.

28. *Maria* Lud. filia, coron. Anno 1382. corona privata 1384. mort. 1392.

29. *Carolus II. Parvus*, coron. Anno 1384. interfectus 1386.

30. *Sigismundus*[11], Mariæ maritus cor. 1387. Cæsar mort. 1437. 9. Dec.

31.

§. 96.

31. *Albertus*, Sigism. Imp. & Regis fil. cor. 1438. dysent. mort. 1439. 28. Octob.
32. *Vladislaus V.* Polonus, cor. Anno 1440 interiit ad Varnam 1444.
33. *Ladislaus VI.* Alberti fil. cor. Anno 1445. mort M. Nov. 1457.
34. *Matthias Corvinus*[12], creatus Anno 1458. mort. 5. Apr. 1490.
35. *Vladislaus VII.*[13] elect. 1490. coron. Anno 1491. 21. Sept; mort. 1516.
36. *Ludovicus II.*[14]. A. 1506. natus, cor. 1507. 4. Jan; mort. 1526.
37. *Joannes Szapolya*[15] cor. 11. Nov. Anno 1526. mort. 21. Jul. 1540.

1. Quum instituti nostri rationi adversetur, prolixiùs de Regibus Hung. eorumque gestis agere; ea tantùm, quæ propiùs Transsilvaniam respiciunt, strictim referemus. Sunt verò Auctores, Orbi erudito noti, pro plenâ cognitione consulendi, qui Hungarorum, ac Regum H. tradidere Historiam; præter citt. §. 95. *n.* 1. *Joh. Turotzi*, *Ant. Bonfinius*, *Petr. de Réva*, *Joh. Nadányi*, *Nic. Istvánfi*, *Mart. Sz. Iváni*, *Sam. Timon*, *Scriptores Rerum Hungaricarum* apud Schwandtnerum, *Ortelius*, *Parschitius*, *Jac. à Mellen*, *Mich. Sigler*, *Mart. Zeiler*, aliique complures, quos inter *Matthias* & *Andr. Belii*, lectu dignissimi. In Hung. verò Lingva: *Petö*, *Kováts*, *Tsatári*. Vid. de his aliisque Scriptoribus Rerum Hung. & Transsilvanicarum, *Mart. Schmeitzelii Catalogus* edit. Año 1744. & conf. quæ habentur in præmiss. ad Königlich. Siebenbürg. (§. 95. *n.* 1.)

§. 96

ac (si possideas) *Mart. Felmeri* Past. Cibiniensis *Prim. Lin. Hist. Transsilvanicæ*, §. V. seqq. *M.S.*

2. *Stephanum I.* Patre Duce Geyza, matre Sarolta Año 969. Strigonii natum, *primum* fuisse *Regem* Hungar. testatur (contrariantibus licet *fastis vulgaribus*, Geyzam pro primo Rege exhibentibus) Privilegium Abbatiæ Montis Pannonii, apud Stiltingum. Hic Hungaros ad fidem Christi convertit, ideoque *Regis Apostolici* nomen sibi Successoribusque suis obtinuit, ac Sanctorum catalogo, simul filio Emerico, Año 1083. insertus est. Coronâ, quæ sacra Angelicaque nominatur, à Sylvestro II. Pont. M. missâ † redimitus est. Initio Sec. XI. ductâ in uxorem *Giselâ*, *S. Emericum* (aut originaliter *Henricum*) circa A. 1007. genuit. Is, filius Patris unicus, ductâ A. 1027. uxore, Año 1031. fato functus est. Sic *S. Steph.* prole orbatus, non multo post etiam conjuge privatus, ac dein terris ereptus, conjugem secundam, itidem *Giselam* sive *Gisylam* Burgundam (negat quidem *Stiltingus* alteram habuisse uxorem; sed adfirmant, *Thurotzius*, *Pistorius*, *Haner*) post se reliquit, cujus artibus successio Petri, à plerisquè, tribuitur. Dum A. 1004. *Bulgari*, Duce *Kean*, ferociùs per Transsilvaniam grassarentur, armis S. Regis obtriti sunt. Ex hoc tempore tranquillâ pace Transsilvani fruiti sunt ad An. usque 1021. quo *Bessi* sive *Bisseni*, Ruthenorum populi §. 152. *n.* 1 *e.* trans Carpatum incolentes Transsilvaniam irruperunt: sed Transsilvani imminentis periculi à S. Stephano præmoniti, gladiis Bessorum se subtraxerunt; vt post *Bonfinium*, *Inchofferi* Annales, *Ziglerique* & *Bomelii* Chronica

† ut censent Scriptores a majori.

ea teſtantur. *Stephani* Vitam deſcripsêre *Chartvitius* & *Stiltingius*, & paſſim AA. in Hiſtoriis ſuis.

3. *Aba* ſive *Oba* (quibusdam *Ovo*, & aliis, ſed perperàm *Albonius*) nomine proprio dictus fuit *Samuel*, teſtante ejus Numiſmate argenteo, rariſſimo, cujus ab una leguntur: SAMVHEL REX, averſa verò parte: PANONEIA. Dictus verò fuit *Oba* ſive *Aba*, id eſt *Pater* (nunc quoque Hungaris *Apa*) *pro ſua pietate*, vt docet Anonymus Belæ Regis Secretarius de primis ſeptem Ducibus Hung. Cap. 32. Is enim, licet ob crudelitatem regno pulſus fuiſſe vulgò exiſtimetur: *probabiliùs tamen eſt, proceribus ſe ſe per defenſionem pauperum ſubditorum contra tyrannicos eorundem inſultus inviſum reddidiſſe*, vt habet *Mart. Felmer M. S.* §. 131. De *Samuele* Hung. Rege vid. *Diſſert. Godofr. Schwartzii*, 1761. edit.

4. *Andr I.* fratrem *Belam*, Ducem Hungariæ (quam in tres partes diviſerat) conſtituit, eique, ſub hoc titulo, *Transſilvaniam* & partes Hungariæ contiguas tradidit Año 1049. Hæc diviſio, teſtibus *Turotzio* & *Bonfinio*, prima Hungariæ fuit; quæ etiam multarum ſæpè ſimultatum fomes exſtitit.

5. *Bela I.* (i. e. *Adalbertus*) Tributa Vectigaliaque minuit, Menſuram & Libram, vt & pretium mercium conſtituit, ac (præter magnas argenteas) monetas, quarum 40. uni floreno æquivalerent, cudi fecit, & multa alia laudabilia egit: ei ergo & *Fora hebdomadaria* & *rerum*

§. 96.

æstimationes, vulgò *Limitationes* §. 90. n. 3. adscribi debent. *Fora* ipsa diebus Sabbati exercenda decrevit, vt sic (forte) Judæis tunc in Hungaria numerosissimis, fœnoreque Hungaros gravantibus obicem poneret. Id demùm observandum, ante hunc quoque, Reges solitos fuisse monetas cudi jubere, vt patet ex numo *Abæ n.* 3. immò & monetis *Stephani* ac *Andreæ*, quas eruditi apud Reverendiss. HANERVM §. 49. observabunt.

6. *Salomon*, infelix quidem ille, sed tamen Cumanos, qui Transsilvaniam populabantur, bello fregisse fertur. Hic Polæ in Istria mortuus.

7. *Andr. II.* expeditionem in Terram Sanctam susceperat, qui, cum Babyloniorum Sultanum ibidem superasset, Hierosolymitani cognomen adeptus est. Comitati eum ad hoc bellum fuerant Hungarorum, imprimis Nobilitate gaudentium millia multa; & pariter Saxonum Transsilvanicorum, quos, maxima ex parte, Geyza II. Rex è Saxonia huc evocaverat, insignis copia. Rex, Año 1222. ex oriente redux, Hungaricam & Transsilvanicam Nobilitatem, sublata ejus conditionaria servitute, maximis Privilegiis stabilivit, super quæ (exclusa Articuli 31. ejusdem Decreti Clausula, sic incipiente: *Quodsi verò nos*, cet. usque ad verba: *in perpetuum facultatem*) universi Reges tempore Coronationis jurare consueverunt. Sicut autem Nobilitas Hungara, fidelissimè castra sequuta, tantâ ab ipso Rege Clementiâ exculta fuit: non dissimiliter Saxones virtute bellicâ & fidelitate illustres magnis inmunitatibus donavit. Anno enim 1223.

Pri-

§. 96.

Privilegium *Villæ Hermanni* (Herrmannsdorff, quæ nunc Herrmannstadt ſive *Cibinium* eſt) conceſſit; & ſtatim Año 1224. totius *Nationis Saxonicæ* Immunitates, quibus, maxima ex parte, exciderat, valido *Privilegio*, quod *Nationale* vocatur & in Scrinio Cibinienſi publico adſervatur, reſtauravit: hoc ſanè Privilegium, quod §. 152. recitabimus, meritò pro fundamento libertatis Saxonum habendum eſt. vid 551.

8. *Bela IV.* regnante, Tatari (non *Tartaros*, ſed *Tataros*, ex Linguæ Hungaricæ indole, & *Leonclavii* rationibus, appello) Hungariam & Transſilvaniam ferè everterunt. Licet enim ſub *Andr. II.* 1233 adhuc anno, iidem Hungariam vaſtaverint, vt habent *Annales Templi Coronenſis*, indeque *Sigler* & *Timon*; ſed non prorſus evaſtaverant. Año 1236. autem Tatari, ſub Duce ſuo *Kádán*, Radnam verſus ingreſſi Transſilvaniam, ſeptennium hic morati ſunt. Anno poſt 1241- (aliis 1242.) Tatarorum 500000. duce *Bath* Hungariam invaſerunt, & facto, juxta fluvium *Sajó* in Comitatu Borſodenſi, prælio, (licet 35000. Tatarorum ceciderint) Belam vicerunt, univerſam propè Hungariæ militiam, (contra hanc, Cumanis quoque in Hungariam antea receptis, Tatarorum vim adjuvantibus) exſtinxerunt, & Regem, cum Prælatis, Baronibus, reliquoque Hungarorum flore, uſque Spalatum, Dalmatiæ Civitatem mari Adriatico adſitam, fugarunt: unde poſt triennium, per *milites Rhodios* & Dominos *Frangepanes* multis agminibus adjutus, in Hungariam Rex, cum ſuis, rediit, Regnique Clenodia reduxit. Poſtquàm enim Tatari tribus annis in Hungaria manſiſſent,

& vaſtitatem univerſo Regno intuliſſent, agrosque cultoribus orbaſſent, nec jam victum ac audaciam amplius haberent; ad ſuas, unde venerant, Año 1243. receſſerunt oras. Actutùm Bela, Rex ſtrenuiſſimus, omnem intendebat operam, vt vaſtatum regnum reſtauraret: ſed quia turbatis annis, maximèque 1244. Hungarorum ac Transſilvanorum agri ſementem facere non poterant, eam ob cauſam, tam dira fames has ditiones Aô. 1245. inceſſit, vt plures multò fame, quàm ferro ac vinculis Tatarorum, interierint. Nec Transſilvaniæ, Rex pius, quem merito *alterum Regni fundatorem* diximus, oblitus eſt; ſed ei, in publica adhuc clade merenti, Vajvodam *Laurentium* præfecit; vt teſtantur propria Regis verba: „ Cum, *inquit*, fidelem noſtrum, „ Laurentium Woyvodam, poſt conflictum Tartarorum, ad partes Transſilvanas miſiſſemus, „ vt populos noſtros recolligeret, & ea, quæ „ ſibi viderentur in terra illa Nobis & regno „ noſtro utilia, vice noſtra & authoritate or- „ dinaret, *cet.* Quem ad plangendam dulcis Patriæ, fœda Tatarorum immanitate concuſſæ, ruinam urget pietas; ejus ille notitiam, acresque plangendi ſtimulos, ubertim hauriet, ex *Carmine Miſerabili Rogerii* & *Hiſtoriâ Thomæ Archidiaconi Spalatenſis*; quibus conferet *Synopſin Vitæ Belæ IV.* in Decr. & Vitis Regum Hung. *Szegedii.*

9. *Ottonem*, invito P. Max. ad Hung. ſolium evectum; dum is in Transſilvania, Sacrâ Coronâ ſecum portatâ, imprudenter A. 1307. erraret; Provinciæ Vajvoda Ladislaus, crudeliſſimo fortunæ luſu, in vincula conjecit, nec priùs dimi-

ſit,

§. 96.

ſit, quam Hungariæ Regno & Corona ſe abdicaret, (non quod Vajvodæ filiam Agnetem duceret, vt quidam perperàm tradidêre) juramentoque caveret, ſe nunquam in Hungariam reverſurum: is proinde, Aô. 1308. confeſtim, per Poloniam, patriam ſuam Bavariam petiit.

10. *Carolum*, Thomas Farkas Vajvoda Transſilvaniæ, contra *Bazaradum*, Valach. Vajvodam, injuſtè concitavit, eoque conſilio vix non perdidit: Carol. enim coacto in Transſilvania exercitu, in Valachiam A. 1330. caſtra movit, ibique citiùs opinione, toto fere cum exercitu Thomas cæditur, magna Nobilitatis Transſilvanæ pars deletur, Nicolaus Epiſcopus Albenſis, innumerique Proceres, defixis in capite clavis, immaniter laniantur, & Rex, mutatâ veſte, fugâ elapſus, vix vitam ſervavit. Hic Rex, proficua Regno Hung. egit non pauca, quorum Transſilvania quoque noſtra fuit particeps: is namque *Judicium ferri candentis*, *Probationem aquæ ferventis*, *Sacramentum juris jurandi ſuper ſepulcrum S. Regis Ladislai*, conſilio integerrimo ſuſtulit. Vid. Petri de Réva Centur. IV. & Belii Notitia Hung. Novæ p. 570.

11. *Sigiſm.* Transſilvanis, & cumprimis Barcenſibus, cum in eorum Diſtrictu & Civitate Corona, certo temporis ſpatio habitaverit, fuit notiſſimus ac cariſſimus: ex bello enim cum Turcis in Servia geſto, A. 1428. fugerat in Transſilvaniam; & Aô. 1430, cum Transſilvanis in Tranſalpinam, mortuo Dan Vajvoda, ingreſſus fuerat, pugnaturus cum hoſtibus. Tamen Anno 1437. (vt tumultuationem anni 1397. taceam) quo

§. 96.

Ladislaus Csáki Vajvoda Transſilvaniam gubernabat, ruſtici obedientiam Regi ſubtrahentes, anteſignano *Antonio Biró* (aliis *Kis Antal.*) ingentem excitarunt tumultum, & latrocinium exercuerunt horribile; ipſa quoque Templa, Reli-
„ gionis monumenta, & obſiſtentem ſibi Nobi-
„ litatem, ferro & igne excindebant: id ipſum
„ *Martinus* vir agreſtis auſus, ſub novo liberta-
„ tis prætextu, quadrato ruſticorum agmine,
„ longè lateque ad Samosközium graſſatus, fu-
„ neſtam oppidis, vicis & Nobilitati calamita-
„ tem intulit; ſed ſinguli, ſingulis præliis à Pro-
„ vinciæ Præfecto Ladislao profligati; cæſisque
„ ſeditionis authoribus, ex agreſti multitudine,
„ alii oculis, pars magna naribus, auriculis,
„ alii labiis, nonnulli præciſis manibus mulcta-
„ ti pœnas luerunt, ut nempe, ſceleris ſui ci-
„ catricem poſteris ad exemplum circumferrent.
Nov. Dac. p. 131, 132. Sigismundi noſtri Decretum fuit (Art. 7.) Añо 1405, vt quilibet Florenus Hungaricalis conſtaret ex 100. Denariis, (quos hodie *Pénz*, ex voce latina *penſa*, dicimus, ſed quaſi antonomaſticè; quum *pecunia* quoque quælibet pariter *pénz* nominetur) qui 50. cruciferis Germ. æquiparantur: talis hodieque eſt Flor. noſter, vi confirmationis Wladislai Regis Añо 1495. facta *Decr. II. Art.* 41. Sed Denariis illis fuerant etiam cuſi minores longè numi, quorum 200, immò & 400. eundem florenum facerent, vt patet ex Decr. Anni 1458. Art. 12.

12. *Matth. Corv.* ſive I. Hungarorum gloria, Joannis Hunyadi Transſilvaniæ Vajvodæ, ex Eliſabethâ, Michaëlis Szilágyii Hungariæ & Transſil-

vaniæ

§. 96.

vaniæ Gubernatoris Sorore, filius, Año 1443. 14. Febr. Claudiopoli natus, fama nominis sui orbem replevit, summaque æquitate rempublicam rexit: Transsilvana tamen plebs Tributo se pressam querebatur; ideoque coriphæo *Benedicto Veres*, seditionem excitavit, Vajvodamque Provinciæ *Joannem è Comitibus S. Georgii*, vel invitum Regem salutavit. Regi in Transsilvaniam profecto, Vajvoda supplex occurrit, veniamque exorat; rebelles verò, indicto Tordam Conventu, perpetuo mulctat exilio: Sed cum Rex Cibinium venisset, sibi continuò nunciatum est, ibi nonnullos ex iis necdum in exilium abiisse; eos igitur, in foro Urbis securi obtruncari jussit, Benedicto Veres in Poloniam se surripiente. Evenit hoc Año 1466. *Nov. Dac. p.* 149.

13. *Vladislao* regnante, Motus inter Siculos Transsilvanos, a quibusdam inquietis suscitatus fuit: Siculi enim, pecuariâ excellentes, legibus antiquis, sextum quemque bovem dare debebant, quoties Regina masculam prolem eniteretur. Anno itaque 1506. „ cum *Anna* Regina, puerum Ludovicum Vladislao peperisset, Publicani à Rege constituti, recepto usu, *Boves exigunt, sed Siculi negabant se daturos*, quod nullus ipsorum quicquam tale factum meminisset; contra Regii dicere: Sigismundo, Ladislao utrique ac Matthiæ nullos fuisse filios; nunc Dei benignitate Vladislaum masculo hærede auctum, nolle veteri usui derogatum. Siculis in eadem obstinatione, quasi immunitates suas tuerentur, persistentibus: Regii vim intentare, pecora ex agris & stabulis abripere;

„ deni-

§. 96.

„ denique ad arma ventum, & Publicani, qui
„ exactionem pecoris vi exigebant, partim cru-
„ deliter cæſi, partim Provinciâ exacti, ad Re-
„ gem auxilia imploraturi confugêre. Rex igi-
„ tur *Paulo Tomorio*, qui Equitum Præfectus tunc
„ Budæ erat, in mandatis dat, ut cum pedeſtri-
„ bus copiis, & 500. Equitum Prætorianorum
„ alâ, in Transſilvaniam celerrimè juſtis itineri-
„ bus proficiſcatur; ſed Siculi adventanti To-
„ morio inſtructâ acie, animis verbisque fero-
„ ces, prope Oppidum, quod *Siculum Forum*
„ vocant, occurrunt, Tomorium profligatis
„ copiis, decem vulneribus ſaucium fugant, ac
„ tam proſpero ſucceſſu elati, in ſuas ſedes co-
„ meſſaturi victores repedant. Interea juſſu Re-
„ gis reparatus exercitus, Siculis magna clade
„ illatâ, Rex victos ac domitos imperata facere
„ coegit. *Nov. Dac. p.* 164. *Iſtvanfi Lib. IV.*
Conf. §. 150. *n.* 9. His ita peractis, Siculi Regibus ſuis fideliſſimi, nonnullorum tamen turbulenti ingenii hominum conſiliis ad ſeditionem nunc excitati, *Conventum Nationalem*, in Primatu Andreæ Lázár Gyergyaienſis, in Villa *Agya falva* Sedis Udvarhely Anno 1506. celebrarunt, Conſtitutionesque (quas ex Tabulario memoratæ Sedis poſſidemus) exararunt lectu digniſſimas; quarum præcipua eſt, vt Natio Sicula, priſcam perfectamque fidelitatem Scythicam, proditionis ac ſeditionis expertem, inviolatam erga Regem, ejusque Præfectum Vajvodam Transſilvaniæ ac Siculorum Comitem, ſemper foveat. Si forte Regis Officiales jura eorum violarent; tunc non rebellione, ſed recurſu ad Regem, medeantur. Siculi ſecus facturi perpetuo mulctentur

exi-

§. 96.

exilio, niſi Princeps ipſe, conſenſu totius Nationis Siculicæ, ſententiam mitigaverit: Bona tamen avitica *immobilia* eorum hæredibus cedant, *mobilibus* direptioni commiſſis. *Vid.* §. 11. *n.* 1.

14. *Ludovico* clavum imperii Hung. tenente, *Solimanus* Turc. Imperator Anno 1526. exercitu ducentorum millium (*Broderithus*, quem *Podluſani* perperàm *Rodericum* vocat, 300000. refert) Hungariam inundavit, quæ ob diſſidium Magnatum & Regis Ludov. juventutem, in prædam paratam eidem ceſſit. Ludovicus enim auxiliis ab Imperatore Rom. nondum obtentis, exercitu 40000. militum, quos *Joannes Szapolya Transſilvaniæ Vajvoda*, & 15000, quos *Chriſtoph. Frangepan.* ex Croatia, adducebant, non exſpectatis, ex conſilio imprimis *Pauli Thomoræi* Archiepiſc. Colocenſis, ſolis 26. millibus ſtipatus Hungarorum, cum tanto exercitu manum conſerere non dubitavit; atque adeo 29. Aug. in Campo *Mohátſenſi* Hungariæ, ad internecionem devictus eſt, & in fuga, quâ non ultra 4000. Hungarorum ſibi conſulere poterant, inter *Mohátsum* & vicum *Cſele*, in rivo Caraſſo, ab equo ſuo oppreſſus obiit, & in eodem rivo cœnoſo poſt duos demùm menſes inventus, Albæ Regali ſepultus eſt. Sic, cum Solimanus Hungariam integram ac Transſilvaniam facillimè ſub jugum rapere potuiſſet, evaſtatione Hungariæ contentus, à Budâ, quam, Reginâ & potioribus Civibus Poſonium fugientibus, vacuam invenit, incendique curavit, reverſus, ſpoliis onuſtus Adrianopolim contendit; poſteaquam hac occaſione in Hungaria, tam cæſorum, quàm captivorum ul-

tra

tra ducenta millia periissent. Funestam hanc cladem, fataque Hungariæ, quæ hinc profluxêre, descripserunt, præter alios, *Steph. Broderit* Episcopus Vaciensis, *Istvánfi* Lib. VI. *Wolfg. Bethlen* Hist. Transsilv. Lib. I. *Alii.*

15. *a. Joh. Szapolya* sive *Scepusiensis* (Germ. Graf von Zips) aut *Cepusiensis*, de quo §. 99. *n.* 18. quædam referemus, postquam fama cladis Mohácsensis percrebuisset, cum Transsilvanis suis ad Szegedinum substitit, speculaturus, quid Solimanus porrò agere constituisset: comperto igitur ejus regressu, Budam, indeque Albam Regalem ad Comitia est profectus, in quibus à Asseclis suis in Regem Hung. electus ac brevi post 11. Novemb. coronatus fuit; reclamantibus Proceribus plurimis ac cumprimis *Stephano Bátori* Palatino, qui *Ferdinandum* Archid. Austriæ, ob matrimonium cum *Anna* Ludovici Sorore initum, aliasque rationes, regem legitimum expetebant. Proinde, *Maria* Ludovici vidua, Comitia Posonium indixit, & in iis *Ferdin.* in Hungar. Regem electus fuit, Joannis electione irritâ declaratâ: Anno 1527. 5. Novemb. idem *Ferdinandus*, Albæ Regali, solleimniter inauguratus est; ex quo bellum, inter duo capita coronata exarsit, Hungariæ funestum; quod prolixè legi potest, in *Hist. Rer. gestar. inter Ferdin. & Joannem, Reges Hung. Jo. Zermegy* apud Cl. Schwandtnerum. Item, apud *Velium, de Bello Pannonico*, quem *Ill.* D. AD. FR. KOLLAR, Bibliothecæ Palatinæ Vindobonensis primus Custos, eruditissima Præfatione & Auctario utilissimo expolitum, Anno 1762. Vindobonæ edidit. Nec non apud *Istvan-*

§. 96.

vanſium Lib. IX. ſeq. *W. Bethlenium*, Lib. I. *Revaium*, aliosque complures. Anno 1527. exercitu *Szapolyano*, juxta Tocajum, á *Ferdinandianis* fuſo fugatoque, *Joannes Rex* ad Poloniæ Regem, affinem ſuum, ſe recepit, indeque *Hieron. Laſcum* (*Laſzky*) Palatinum Siradienſem Legatum ad Turc. Imperatorem expedivit: is Menſe *Dec.* Conſtantinopolim pervenit, *Ludovicum Gritti* ibidem degentem muneribus devinxit, amboque *Ibraimo* Purpuratorum Principi, Joannis cauſam enixè commendantes, auxiliares copias impetravit. Poſtquam adeoque, *Solimanus*, contra omnes hoſtes, *Joanni* in perſona, & cum omnibus viribus ſuis adeſſe promiſiſſet, perque Prophetas, per Mahometem, per Sablyam ſuam, *cet.* juraſſet, Anno 1528. 3. Febr. Laczkyum dimiſit. Venit proinde *Solimanus* ingenti exercitu ad campum *Mohácſenſem*, ubi occurrentem ſibi ſupplicem Joannem, una cum Laſco, benevolè excepit, moxque (Año 1529.) captâ Budâ, Regem eum reſtituit, ac ibidem *Grittium*, cum 3000. Turcarum præſidio, adjunxit. Poſt tentatam demùm fruſtra Viennæ obſidionem, *Solim.* ipſe Budam divertit, Coronamque ac reliqua regia inſignia, quæ à *Petro Perenio* acceperat, Joanni tradidit; & 10000. hominum, ab ejus exercitu in ſervitutem abductis, Conſtantinopolim revertit. Año 1530. irrito conatu *Rogendorffius*, Belli Dux Ferdinandi Budam obſedit, à Purpurato Belgradenſi inde pulſus Anno 1532, *Solimanus*, politicis ex rationibus, *Ludov. Gritti* Budam, ad Joannem miſit, qui invitis pluribus Magnatibus, (*Emerico* imprimis *Cibak*, Epiſcopo Váradenſi) Hun-

gariæ

S. 96 ...

gariæ Gubernator creatus eſt. Anno 1538. in Feſto D. Matthiæ pax inter *Joannem* & *Ferdinandum* Váradini (non Vaciæ) coaluit, his potiſſimum punctis: 1. *Joannes*, donec viveret, ea Regni parte, quam ad præſens obtineret, cum regio titulo & poteſtate potiretur. 2. Poſt *Joannis* obitum, etiamſi filiam relinqueret, univerſum Hung. Regnum, cum omnibus provinciis ei ſubjectis, ad *Ferdinandum* devolvatur. (*ergo etiam Transſilvania*) 3. Totum Patrimonium (quod erat ampliſſimum; caſtra circ. 40. numerabantur, ex quibus *Dunavécs* & *Keſmárk* Laſcio donata â Joanne fuerant) hoc eſt univerſa caſtra, *cet.* Joanni reſtituatur, eoque mortuo, tam paterna & hæreditaria, quam adquiſita Bona, ejus filio cedant. *Non ergo his Bonis Transſilvania, & quidem cum titulo Pcincipatûs, & quod plus eſt, cum aliquot Comitatibus Hungariæ, immò Opoliâ & Ratiboriâ Sileſiæ, juncta fuit, vt multi putarunt.* Subſcriptâ ab utroque Rege hac Transactione, fuêre deinceps res in Hungaria aliquamdiu tranquilliores.

b. Interea res in Transſilvania maximæ vertebantur. Anno 1528. Ferdinandus *Petrum Perenium* & *Valentinum Török*, Joanne in Polonia agente, cum copiis in Transſilvaniam miſit, in qua jam multi Provincialium, & literis Procerum Hungariæ ad eos exaratis, & operâ *Georgii à Reichersdorff*, Secretarii Ferdinandi, origine Saxonis Transſilvani Száſz-Régenienſis, ad partes neo electi Regis fuerant traducti. Cum igitur Duces memorati, in eo occupati eſſent, vt reliquos quoque Provincialium, à partibus Joannis, etiam vi adhibi-

§. 96.

hibita, retraherent, jamque in *Barciam* perveniſſent: tunc *Petrus Moldaviæ Vajvoda*, in Tranſſilvaniam irrumpens, ſubitò in eos impetum fecit, copiasque illorum in fugam egit; quo facto Tranſſilvaniam porro populando peragravit, tandemque *Biſtricio* expilato, in Poloniam, ſpolia ibi amiſſurus, ivit. Sub initium Anni 1529. *Petrus Moldavus* denuò in Tranſſilvaniam irrupit, & Sedibus Siculicalibus expilatis, prope Biſtricium, ad ſua remeavit. Idem, cum, ineunte vere, Solimanum Hungariam petere intellexiſſet, novam faciens irruptionem, Barciam devaſtavit, devictisque ad Marienburgum (Földvár) Tranſſilvanis, qui cum Ducibus *Nicolao Gerendi* Epiſcopo Albenſi, *Stephano Mayláth* Conſiliario, & *Marco Pemphlinger* Judice Regio Cibinienſi, aggreſſi fuerant, magna iterum præda onuſtus in Moldaviam rediit. Idem *Petrus*, quartam in Tranſſilvaniam irruptionem tentavit, & die 1. Novembr. arcem *Coronenſem* expugnavit; cujus præſidiarios, Senatus Urbis grandi ære redimere neceſſe habuit: quo obtento, prædator ad ſua iterum conceſſit. Anno 1530. Tranſſilvania iterum malè fuit mulctata; *Moyſes* enim Valachiæ Vajvoda, quem à Dragano ejectum Stephanus Majlatus Dux Ferdinandi reſtituerat, brevi poſt *Türtzburgum*, immò *Coronam* ipſam numeroſo exercitu obſedit, Bartziâque devaſtatâ, multos Tranſſilvanos in captivitatem abduxit. Ex altera etiam parte, *Petrus* Moldavus quintum in Tranſſilvaniam veniens, Biſtritzium 13.Novemb. obſidione clauſit: cum verò, propter anni tempeſtatem, efficere nihil potuiſſet, multis ſuorum amiſſis, regredi eſt coactus.

c. Anno 1539. dum jam *Joannes* Sigismundi Regis Poloniæ filiam duxisset, cui nomen *Isabella* erat, & uxori vacaret, *Steph. Maylatum* ac *Emericum Balassam*, Vajvodas Transsilvaniæ, ad Ferdinandum defectionem moliri intellexit: summâ igitur celeritate, relictâ Budæ nova nupta, quæ uterum gerebat, in Transsilvaniam, cum aulæ comitatu, iter instituit. Progressus in Provinciam, accitis in castra Siculis & Saxonibus, arcem Emerici Balassa, inter Albam Juliam & Enyedinum sitam, quæ *Diód* adpellatur, & juxta rivum, quem *Remete* & *Fel-Gyógy* ex montibus demittunt, ac infra *Diodum*, Oppidum *Tövis* in Marusium transmittit, consedit; acri obsidione cinxit, deditamque protinùs solo æquavit; quæ ad nostram ætatem diruta conspicitur. Altera etiam arx ejus *Almás*, Mediam inter & Ebesfalvam posita, funditùs eversa est. Territus his Emericus, obsoletâ indutus veste, supplex Joanni, qui naturâ ad misericordiam, quàm iram pronior erat, occurrit, & conceptis verbis veniam exorat. Post aliquot dies, adversus Maylatum castra promovit, qui ita arcem suam *Fagaras*, milite idoneo, commeatu & reliquis tolerandæ obsidioni necessariis rebus instruxerat, vt diuturnior futura obsidio nemini non videretur. Antequam verò ad Fagaras perventum esset, Joannes in castris graviter ægrotare, capitis dolore, cœpit, Medicorumque svasu in Civitate *Sabeso* substitit, ac curandæ valetudini operam dedit: negotium interim Valentino dedit, ut obsidione dies noctesque continuatâ, aut *Fagaras* caperetur, aut Majlatus ad deditionis conditiones compelleretur. Interea advolat Budâ

lætif-

lætiſſimus nuncius, Iſabellam felici partu elegantem maſculum 3. Jul. 1540. enixam eſſe referens: quo ſolatio effusè lætus, adhibitis convivio proceribus, liberalius vino indulſit; & morbum laceſſiviſſe viſus eſt. Die poſtero, 21. Jul. A. 1540. quum annum ætatis 53^{mum} abſolviſſet, ſupremum obiit diem. Notatus eo, quod licet *integer vitæ ſceleriſque purus* fuerit: ſed *rempublicam Chriſtianam barbaris prodiderit*, *Ottomanicæque Portæ Hungariam occupandi occaſionem ſuppeditaverit*. Cadaver ejus, Idibus Septembris currui impoſitum, ex *Sabeſo* Budam, & deinde *Albam Regalem* delatum, exquiſitis honoribus humatum eſt. Teſtamentum moriens condiderat, in quo Iſabellæ & pupillo Tutores eſſe jubebat *Georgium Martinuſium*, Epiſcopum Váradienſem, (quem Iſtvanfius *Monachum* appellitat, ipſe verò ſemet *Fratrem Georgium* ſcribit) & *Petrum Petrovitſium* (qui malè *Petrus Vicſius* ſcribitur) ſibi propinquitate junctum: ita, vt hic Temeſvárii Præfecturam adminiſtraret; Martinuſius autem, ærarium curaret, ac juri dicundo præeſſet, populisque omnibus, donec pupillus adoleſceret, ſummæ poteſtatis auctoritate imperitaret. *Vid. Iſtvánfi Lib.* XIII.

C. De DVCIBVS *Tranſilvaniæ*; & WAJVODIS, *qui nomine Regum Provinciæ præfuerunt*.

§. XCVII.

Ex eo tempore, quo S. Stephanus Transſilvaniam Hungariæ Regno per-

petuo vinculo junxit; eam, per Locumtenentes suos, Reges gubernarunt. Ii, dum Consanguinitate Reges Hungariæ attigerunt, eoque magis si Regum fuêre filii, DVCES [1]. Transsilvaniæ appellabantur; dum verò ex Belli ducibus creabantur, Transsilvaniæ VAJVODAE [2]. audiebant; eorumque *vices* gerentes, VICE-VAJVODAE nominabantur. *De his singillatim.*

1. *Duces* Transsilvaniæ, qui dignitate Vajvodis erant eminentiores, *alii* nomine & ad nutum Regum Hung. provinciam moderabantur; *alii* divisum cum Regibus imperium gesserunt, vt habemus exemplum in *Bela I.* §. 96. n.4. & *Stephano* (Rege tandem hujus nominis V.) Belæ IV. filio, qui jam Año 1260. coronatus fuit, seque *minorem*, ac 1262. *juniorem Regem* scripsit: *Nos Stephanus Dei gratia junior Rex Hungarorum, Dux Transsilvanus, & Dominus Cumanorum.*

2. *Wajvodatus Transsilvaniæ* erat olim *quartus* Regni Hung. Baronatus. *Wajvoda*, *Vojavoda*, Velio *Wajda*, quibusdam *Wayda*, Hungaris *Vajda*, vox origine Sclavica, *Ducem* (magis quidem *Belli*, quàm *Provinciæ*) denotat. *Wajvodæ* olim nuncupabantur, qui summum Magistratum, subdita tamen Regibus Hungariæ potestate, in Transsilvania gerebant. Hi Censum Provinciæ Regibus administrabant, Exercitum Transsilvanicum ad regium nutum dirigebant, *cet.*

Hi

S. 98.

Hi ad id, inter cetera Sacramenti juris jurandi capita, obligabantur, vt quàmprimùm Rex. juſſerit, promptè Vajvodatui renunciabunt. Vide hanc in rem, *Joh. PELTZ Hung. ſub Vajvodis & Ducibus, Sempronii A.* 1755. *edit. in* 8. Item, quæ habentur in *Synopſi vitæ Belæ IV. n. h. §.* 9. *apud Szegedium.* Nec non *Wolf. Bethlen p.* 289- - - - 292.

§. XCVIII.

I. DVCES Transſilvaniæ, ſub Hungariæ Regibus, hi ſaltèm fuêre: 1. *Zóltan* junior. 2. *Bela I.* 3. *Gejza.* 4. *Ladislaus.* 5. *Almus.* 6. *Bela II.* 7. *Ladislaus.* 8. *Stephanus.* 9. *Bela III.* 10. *Andreas.* 11. *Colomanus.* 12. *Stephanus* Belæ IV. filius.

1. Sub moderamine *Soltani* Ducis, quem tam *Vajvodam*, quàm *S. Stephani Proavum*, erranter *Novæ Daciæ Auctor* nominat, quemque Stephanus Rex devicto *Gyulæ* juniori (§. 94. n. 2.) Zomboris filio A. 1002. ſubſtituit, Chriſtiana Sacra ab univerſis Transſilvanis aſſumta eſſe creduntur.

2. Andreas I. Ladislai Calvi filius in Regem Hung. coronatus, fratrem *Belam I.* Ducem Transſilvaniæ conſtituit, eique Provinciam noſtram, ac contiguas Hungariæ partes regendas (§. 96. *n.* 4.) commiſit: hic, ob coronationem Salomonis graviter offenſus, bellum adversùs Andream

gessit, quo ad Tibiscum devicto misereque interemto, Rex Hungariæ coronatus est.

3. 4. *Gejzam* & *Ladislaum* fratres, Bela I. pater, Duces *Hungariæ* (aut, si mavis, *Transsilvaniæ*) A. 1060. creavit. Evecto verò ad Hungariæ solium *Gejzâ I.* solus *Ladislaus*, partis Hungariæ, & Transsilvaniæ administrationem obtinuit; qui, inter alia præclarè facta, *Chunos* Duce *Kopulch* in Transsilvania grassantes, circa fluvium *Temes*, Aô. 1087. ad internecionem usque devicit, & *Almum* Gejzæ filium, Colomannique (Hung. *Kálmán*) fratrem Ducem Regni constituit. Hic ille *Ladislaus* est, qui Rex ex Duce, Regum omnes implevit titulos, Divorumque, post mortem, fastis adscriptus est.

5. *Almum Ducem*, S. Ladislaus, A. 1091. Croatarum Regem nuncupavit, immò & Successorem suum in Regno Hung. declaravit: non tamen unquam *Rex Hungariæ inauguratus* est, vt vellet *Nov. Dac. Auctor. p.* 111. unde insigni errore *Minsicht p. 6.* inter actuales Hungariæ Reges eum numerat. *Almus* enim, filio Gejzæ primo genito, fratri *Colomano*, homini deformi, sed ordini Sacerdotali à patre destinato, & primis fortè ritibus initiato, vix verò Episcopo Váradiensi, aut Agriensi, quod fertur, successione cessit. *Colomanus* ille multa crudeliter egit. In his, *Almum* fratrem, interventu Henrici V. Imperatoris sibi antea conciliatum, Aô. 1109. excæcari jussit, ejusque filio Belæ, post erutos pariter oculos, quum adhuc infans esset, testes exeri mandat; ne qua hinc propago proveniret. At

ille,

ille, cui patrandum facinus delegatum erat, divinam iram reformidans, exertos catuli testes, pro his qui forent infantis, ad Colomanum tulit, pioque commento Regis sævitiam elusit. *Nov. Dac. p.* 112.

6. Fugerat, seque in Græciam receperat infelix Almus, quo demortuo Aô. 1125. Ducatus Transsilvaniæ jure devolutus est ad filium illius *Belam*, qui in serie Regum Hung. *secundus*, cognomento *cæcus* dicitur.

7. 8. Bela ille throno Hungariæ potitus, filiis suis ex *Helena* Uronis Macedoniæ Principis filiâ natis, præcipuos impertivit honores. *Ladislaum* namque & *Stephanum* Duces Regni creavit, *Gejzam* verò natu maximum successorem sibi destinavit.

9. *Bela III.* Año. 1172. Transsilvaniæ præfectus est, qui A. 1174. Hungariæ Coronam, eâ dignus, adeptus est.

10. *Belam* patrem excepit *Andreas*, hoc nomine *secundus* in ordine Regum, qui dum multorum suffragiis Rex postularetur, adversùs *Emericum* natu majorem, Hung. Regem, bellum suscepit.
„ Sed Emericus, ne cognati sanguinis proditor
„ esset, quum utrinque ad funestum prælium,
„ fratrum instructæ acies constitissent, positis
„ armis, stipatorum manu, Sacram Coronam,
„ Sceptrumque gestans, medias inter pugnatu-
„ ras acies digressus, armatæ litis inermis arbi-
„ ter, Majestate & apposita oratione unus To-

§. 99:

„ gatus, integrum implevit exercitum, & con-
„ tinuo bellum dissolvit, data omnibus ac Fratri
„ veniâ, quem A. 1205. universa Hungaria, emor-
„ tuo Ladislao III. Emerici filio, Regem coro-
„ navit. *Nov. Dac.*

11. *Colomanus*, Andreæ filius, & frater Belæ IV. patri successit, qui Aô. 1207. ductâ Solomeâ, Lesci Albi sorore, dotis nomine, à Cracoviensi Antistite in Regem Haliciæ ungitur, atque, vt credibile est, relictâ Transsilvaniâ, Sclavorum genti imperare præelegit, & demùm in Sclavonia piè mundo excessit. *l. c.*

12. *Stephanum* (§. 97. *n.* 1.) pater Bela IV. concussæ à fœda Tatarorum immanitate (§. 96. *n.* 8.) Transsilvaniæ Ducem A. 1260. præfecit, relicto ibidem *Ladislao* quodam in Vajvodatu: dum proinde uno eodemque tempore, & *Dux* & *Vajvoda* Transsilvaniæ præfuerit; patet, nomen *Ducis* majus quid, quàm *Vajvodæ*, complexum fuisse. Et quidni? dum *Vajvodæ* soli Transsilvaniæ, *Duces* autem simul & parti Hungariæ dominati fuerint; unde nunc *Transsilvaniæ*, nunc *Hungariæ* Duces, æqualis significationis vocabulo, adpellati fuêre. Ceterùm, in hoc Stephano, Ducatus Transsilvaniæ defecit.

§. XCIX.

II. WAJVODAE, Patriæ nostræ, Partium Transsilvanarum nomine (§. V. *n.* 1.) Hungariæ Regno adnexæ, atque

à

§. 99.

à Regibus possessæ, (§. XCV. *n.* 1.) quorum nomina nobis innotuêre, fuerunt: 1. *Lenstathius*[1.], inter A. 1173 & 1180. 2. *Michaël*[2.], A. 1209. 3. *Bertholdus*[3.], 1214. 4. *Ropoinus*, 1219. 5. *Benedictus*, 1225. 6. *Gyúla*, Lenstathii Wajvodæ filius, 1235. 7. *Laurentius*, 1243. 8. *Urbanus Geréb* de Vizakna, Wajvoda Transsilvaniæ circa A. 1248. 9. *Frank*, Urbani Successor, & gener ex filia Sophia, circa A. 1251. Duos hos Transsilvaniæ Præfectos didicimus ex quodam instrumento fideli, complectente Historiam privilegiatæ in Oppido Vizakna Domûs Gerébianæ (*Geréb Ház*) dictæ, quam ab Andrea II. Hung. Rege, Aô 1222. Emerico Gerèb, genitori Urbani, collatam, possedit inclyta *Familia Geréb* de Vizakna; Ea exstinctâ, I. Prosapia *Haller* de Hallerstein; donec à Paulo & Joanne Halleriis, Sp. quondàm *Franc. Szent-Páli* de Homoród-Szent-Pál (*infr.* §. 280.) lege commutationis emtam, Nobiliss. Hæredibus, apud quos memoratum Instrumentum reperimus, cum Officio Regii Judicatûs Vizaknensis, transmisit. 10. *Chak*[4.], 1252. 11. *Ladislaus*, Transsilvaniæ Wajvoda & Comes de

S. 99.

Zonuk, 1263. 12. *Matthæus*, 1272. 13. *Nicolaus*, 1273. 1274. 14. *Pousa*, 1281. 15. *Rorandus*, aliis *Rolandus*, 1288. 1296. 16. *Georgius* de genere *Bors*, 1299. 17. *Ladislaus*[5], 1307. 1313. 18. *Nicolaus* 1315. 19. *Gyula*, 1319. 20. *Thomas*, 1320. 21. *Thomas*[6]. 1325. 1342. 22. *Záz*, ante A. 1373. 23. *Nicolaus*, filius Laurentii *Konth* (non Bebeci, vt vult Toppeltinus) A. 1344. 1351. 24. *Steph. Laczk*[7]. siue *Laczksi*, filius Ladislai, 1345. 1347. 25. *Andreas*[8], filius Ladislai *Laczk*, Wajvoda Transsilvaniæ & Siculorum Comes A. 1352. 1357. 26. *Ladislaus*, filius *Alexandri* (*nb.* is ergo in hunc Catalogum referendus) Wajvodæ, 1359. 27. *Dionysius*, fil. Stephani Transsilvaniæ Wajvodæ, 1360. 1366. 28. *Nicolaus*, 1368. 29. *Emericus Bubek*, 1371, 1374. 30. *Balk*, fil. Wajvodæ Záz, 1373. 31. *Steph. Csáki*, 1376. 32. *Ladislaus*, 1377. 1384. 33. *Stephanus Laczsi*, 1383. 34. *Drag*, filius Záz, 1387. 35. *Franc. Bubek*, Wajv. circiter Aô 1391. vid. *R. P. Abbas Kertselich Notit. Prælimin. de Regnis Dalm. Croat. Sclav. p.* 225. 36. *Franconus*, fil. *Konyæ*, 1395. 37. *Stiborius*[9], 1398. 38. *Nicol. de Marczal*, 1403. 1404.

39. *Georg. Bikaſ* de Krakkó: hujus litteras, ſuper locis Barciæ, *Ujfalu* & *Komlós* nuncupatis, Aô 1403. emanatas, commemorat *CHRISTIANUS POMARIUS* in *congeſtione litterarum Civitatis Coronenſis Privileg. M S*; *Andr.* verò *Huſzti* in *Ô és Uj Dacia M S.* ad annum 1450. (niſi errore Librarii pro 1405. ſcriptus ſit) ejus ætatem refert. 40. *Dionyſius Marczali.* 41. *Jacobus Laczk*, 1405. 1408. 42. *Joannes Henrici*, filius *Thamáſi NB.* Wajvodæ, A. 1405. 1408. 43. *Steph. de Loſſontz* [10], 1415. 44. *Nicol. de Chák* [11], 1416. 1422. 45. *Ladislaus de Chák*, 1431. 1435. 46. *Deſö de Loſontz*, 1438. 47. *Steph. de Kaniſa*, 1440. 48. *Joan. Hunyadi* [12], 1440. 1448. 49. *Nicol. de Uylak*, 1442. 1464. 50. *Emericus de Pelsötz* [13], 1448. 51. *Comes de Zalavar*, 1450. 52. *Michaël Apaſi*, Vajvoda circa 1450. docente Tabella Geneal. Apafiana. 53. *Dominicus Bethlen* de Iktar, 1452. 54. *Michaël Szilágyi* [14], Hung. & Transſilvaniæ *Gubernator.* 55. *Joan. Comes de S. Georgio & Bozzin*, 1457. 1466. ſub eo, *Joan. Geréb* de Wingart *Vice-Gubernator.* 56. *Nicolaus* Senior de *Vizakna*, (ex Inclyta Gente Gerebia de Vizakna) atque

57.

S. 99.

57. *Stephanus Erdélyi* de Somkerék, Vajvodæ ambo 1460. teſtibus Litteris authenticis apud Illuſtr. D. Com. *Nicolaum Mikó de Bodok*, Incl. Tabulæ Regiæ Judiciariæ Adſeſſorem. Meminit & Pomarius *l. c.* Litterarum Nicolai de Vizakna. dd. 1464. quibus mandat, ne nova villa conſtruatur circa Sárkány. 57. *Nicalaus Bodó*, Aô 1462. hunc Huſztius forte Gregorium dixit. 58. *Joannes Pongratz*[15] ſive *Pancratius* de Dengelegh, 1462, 1476. 59. *Sigism. Comes de S. Georgio & Bozyn*, 1467. 60. *Bertholdus Eldergbach* de Monyorókerék, 1467. 61. *Nicol. Cſupor* de Monoſzló, 1468. 1473. 62. *Blaſius Magyar*, 1473, 1474. 63. *Petr. Geréb* de Wingarth, 1478. 64. *Stephanus Bathori*[16] fil. Stephani, 1478, 1492. 65. *Antonius Sarmaſſa'gi*, 1486. mortuus 1502. 66. *Ladislaus Loſontzi*[17], 1493, 1494. 67. *Bartholomæus Dragfi*[17] de Belthök, 1493, 1498. mort. A. 1505. 68. *Petr.* Comes de Bozyn & S. Georgio, 1499, 1506. 69. *Joan. de Zapolya*[18], ab A. 1510 ad A. 1526. „ 70. *Laurentius de Ujlak*, 1518. 71. *Petr. Perényi*, 1526, 1527. 72. *Steph. Ba'thori*, 1529. 73. *Emericus Ciba'k*, 1533. 74. *Steph. Majlát*,

lát,

1523. Leonard. Barlabási Vajvod.

§. 99.

la't, & 75. *Emericus Balassa*, ambo hi ab A. 1534 ad 1540. 76. *Andr. Ba'thori*, circa A. 1553. 77. *Steph. Dobó* & *Franciscus Kendi*, ambo, post A. 1555. *Confer.* §. CIII. *n.* 2. b. Vide item de *Michaële Apafi* Wajvoda. §. 275. *n.* 9. *e.* vid. 557.

1. *Lenstathium* licet nec *Szent-Iváni* in Dissert. Paralipom. nec *Fasching* in Nova Dacia, Wajvodis annumeraverit: constat tamen ex Privilegio Belæ III. ab *Andrea Huszti in Vajvodis Transsilvaniæ* adlato, eum Wajv. fuisse; sed quos habuerit successores proximos, turbatissima eorum temporum conditio nondum nos edocuit.

2. De *Michaële* testatur Diploma Andreæ II. quo A. 1209. Abbatibus S. Benedicti de Garan, usus Pontificalium indumentorum declaratur: ubi post Prælatos Hungariæ, Palatinum & Banc Banum, subscripsit *Mich.*

3. *Bertholdus*, quem *Fasching* Ducibus adnumeravit, erat frater Reginæ Gertrudis, consortis Andreæ II. Hung. Regis, præterea Archi-Præsul Coloczæ. Fertur ultra A. 1249. vixisse, & in Patriarchatu Aquilejensi decessisse.

4. *Chák*, quem nunc *Csák*, aut *Csáki* dicimus, Pousæ sive Pous filius, Año 1252. rexit. Quare corrigendi veniunt Scriptores illi, qui eum jam A. 1225. faciunt *Transsilvaniæ Ducem*; dupliciter errantes: 1mo. quod *Ducem* faciant, quum *Wajvoda* fuerit. 2do. quod eum tam maturè hac

digni-

dignitate ornent, cum adhuc a. 1251. fuerit solùm *Magister Tavernicorum*, atque exinde primum A. 1252, post *Laurentium*, Transsilvaniæ Præfecturam consecutus sit. In qua successorem *Ladislaum* Wajvodam (non Ducem *Stephanum*, Belæ IV. filium, vt putat *Szegedi*) natus est, cui circa An. 1260. *Stephanus* ille superadditus est, vt §. 98. *n.* 12. monuimus. Duce Stephano, *Stephanus* forte quidam aliquo temporis intervallo Vajvodatum gessit; eo vero patri Belæ IV. in regali dignitate succedente, *Matthæus*, & post eum *Nicolaus* Wajvodæ Transsilvaniæ dicti sunt.

5. *Ladislaum* hunc, cognomine *Apor* sive *Opor* fuisse, disertè docuit Szegedi in notis erudissimis, *Synops. vit. Belæ IV. n.* 8. §. 24. 25. quare minùs recte *Fasching* scripsit, eum *Stephani V.* Regis Hung. filium fuisse, & Stephano eidem successisse. Ille enim *Ladislaus* fuit, de quo §. 98. *n.* 12. diximus; at noster *Ladislaus* hic est, qui Othoni Coronam ademit §. 96. *n.* 9. *Vide Nov. Dac. p.* 121. Hujus verò Ladislai Successor non *Thomas Farkas* exstitit, vt Szegedi l. c. existimavit; sed *Nicolaus*, *Gyula*, & *Thomas* à memorato Thoma diversus, in Wajvodali dignitate sequuti sunt.

6. *Thomas* hic, qui in quodam Instrumentò filium prioris Thomæ Wajvodæ citari jussisse fertur, ortum suum duxerat ex Familia *Farkas*, sub Bela III. Palatinali dignitate florente; vt patet ex Diplomate Caroli I. quo eidem A. 1327. certas possessiones donavit. *Vid. quæ* §. 96. *n.* 10. *connotavimus.*

7. Ste-

§. 99.

7. *Stephanum Laczkfi*, qui perperam *Nadányio* Laskius audit, Ludovicus Rex, post occisum fratrem Andream, Vice-Regem Neapolitanum creaverat. *Stephanus* hic, vt &* ejus successor (*prædecessorem *Fasching* scribit) ac frater *Andreas*, ambo Ladislai Apór Vajvodæ filii fuêre. *Laczkfi* enim, aut integriùs *Laczkófi*, idem est, ac *Ladislai filius*; cum popularibus nostris, (ut præsertim in Siculia fieri amat) *Ladislaus* per *Latzkó* enuntietur. Hoc quod indubiè adsero, opinio fuit *Szegedii*; cujus hanc in rem eruditam commentationem in Synopsi Vitæ Belæ IV. n. g. §. 36. --- 44. ex Toppeltino, felicique proprii ingenii officina promanatam, Lectori commendamus.

8. *Andreas Apór*, qua fuerit, ante Wajvodatum, dignitate, testantur verba initialia Instrumenti, A. 1349. exarati: *Nos Magister Andreas, Comes Siculorum, Brassoviensium, Szathmariensium & Máramarosiensium, memoriæ commendantes, cet.* Perperam verò eum *Hartnaccius* Vajvodam Valachiæ scripsit. Andrea Transsilvaniam gubernante Saxones Provinciæ, censum regium, forte nimis auctum, pendere recusantes, tumultuati sunt; quorum ulturus contumaciam, *Ludovicus I.* Rex, exercitu stipatus in Transsilvaniam venit, eosque ad obsequium reduxit. Hic commoranti Regi, Alexand. Bazaradus, (§. *96. n.* 10.) Transalpinæ Wajvoda, muneribus amplissimis transmissis se suosque submisit. Post hæc Aó. 1352. Tataros per Siculiam irruentes, Andreas cruento prælio devicit, ipsum *Atlamium* Tatarorum Ducem intercepit, hostiliaque signa & captivo-

tivorum multitudinem Vissegradum ad Regem deduci curavit. Tatarorum deinde reliquias, Siculorum virtute, in Transalpinis sæpiùs victor invasit, & ad sua se recipere coëgit. *Andreas* porrò Casimiro quoque Regi Poloniæ adversus Tataros suppetias tulit, quibus præferocem hostem profligavit, & capto *Keystuto* Tatar. Duce, spoliis opulentus in Patriam remeavit.

9. *Stiborius*, Sigismundo Regi charus & multis ab eo bonis auctus; in popinam & ventrem (vt habet *Timon*) prolapsus, magis comessationibus subditorum vectigalia exsorbet: nam filii sui nuptias in unum annum protraxit, ad fastidium vel voracissimorum & bibacissimorum. In gratiam mimi sui ædificavit A. 1412. ad Vagum, fluvium Hungariæ, arcem Beczkó, cui nomen *Bolondok-Vára*, i. e. Stultorum arx, adhæsit.
vid. p. 558.

10. *Steph. de Losontz*, Aô. 1415. Transsilvaniam cum imperio sortitus fuit, qui missus à Sigism. Rege in Valachiam, ad coërcendos Valachorum Principes, dum cruento utrinque marte dimicatum fuisset, occubuit. Cadente Duce, paucissimi è tanta clade fugâ evaserunt. *Bonfinius* grande, nec sibi forte creditum, memorat prodigium, *de humana calvaria in campis, ubi strages edita erat, quæ Sacerdotem à prætereuntibus sibi adduci postulabat*, quo accersito, ac Christiano, peracta Exomologesi, ritu expiata, conquievit.

11. Ætate, qua, *Nic. de Chák* (*Csák* hodierna scriptione) Transsilvaniam moderabatur, *Amurates II.* Turcarum Imperator, Terram Barcensem

1421.

1421 ferro & igne vaſtavit, Senatum Coronenſem abduxit, reſiduo populo in arce montis conſervato.

Ad annum 1428. *Joannem Jaks de Kuſſal* quidam Wajvodam ſcribunt.

12. *a. Joan. de Hunyad*, ſive *Corvinus* (quod *Corvum*, genti ſuæ cognominem in inſignibus habuerit) aliis *Huniades*, Laonico *Choniates*, Turcis, apud Leonclavium, *Jancus*; fuit *Buthi* ſeu *Buthonis* cujusdam Bojerii, hoc eſt Nobilis Valachi filius, quem ex *Eliſabetha Palæologa*, Byzantinorum Imperatorum ſtemmate prognata, genuit: unde eruditi Scriptores explodunt criminationem Bonfinii Hungarici aliorumque, qui eum *Sigismundi* Imperatoris naturalem filium ex adoleſcentulâ quadâm Valachâ fuiſſe dicunt. *Joannes* noſter ex Bano Severinenſi, A. 1440. * ab Uladislao Rege, Wajvoda Tranſſilvaniæ, cum *Nicolao Ujlakio*, creatus, & poſtea etiam Hungariæ Gubernator factus, geſtis contra Turcas feliciter præliis, multa Scriptorum volumina replevit. Nunc nobis, res domeſticas ſcribere ſatagentibus, victoria ejus in omnem poſteritatem celebris, & vel vulgi narratione hodieque vigens, quam ad Vicum S. Emerici (*Szent Imre*) uno ab *Albâ-Carolina* lapide, boream versùs, juxta Maruſium, diſſitum, de Turcis reportavit, enarranda venit. Scriptores plerique in deſignatione anni, quo hæc victoria evenit, hallucinari videntur; quum alii ad A. 1443, alii 1442, aut, cum vulgaribus noſtris Faſtis, ad A. 1441. referant. Nos Annalibus Turcicis ſubſcribimus, donec certius edocti fuerimus, annumque 1440.

§. 99.

fuiſſe ſupponimus. Hoc proinde anno, *Meſi. tes*, aliis *Mezetes*, (qui jam A. 1438, vt habent *Annales Templi Coronenſis*, Sabeſum diripuerat, & villis ſuburbiisque igne conſumtis, ingentem hominum multitudinem per Provinciam Braſſovienſem abduxerat) Amuratis Turc. Imperatoris Begus, virtute bellica clariſſimus, multis legionibus Transſilvaniam invaſit, incendioque & direptionibus cuncta complevit. Audito illius adventu, *Joannes*, novus Transſilvaniæ Wajvoda, in provinciam ex Hungaria properat; quam ingreſſus, *Albæ Juliæ*, cum *Georgio Lépes* (malè Toppeltinus *Lepen* vocat) Epiſcopo, de liberanda patria conſultat; mirâ celeritate omnem Transſilvaniam cruento enſe, pro vetere Hungarorum more, perluſtrari, militemque ex Oppidis ac Vicis, Siculos imprimis ad arma promptiſſimos, cogi jubet. Sed interea, dum jam Turcæ, (qui per *Portam Ferream* ingreſſi fuerant) vaſtatâ maximâ regionis parte, præda tam hominum, quàm bonorum onuſti, Albæ Juliæ adpropinquaſſent; quumque Joannes & Præſul Albenſis ex Vrbe quaqua verſùm, præter incendia & ejulatus, nihil proſpectaſſent; miſeriâ pietateque ad pugnam ſuccenſi, Turcis, quamvis temerè occurſurum ſe uterque intelligeret, obviam, ad *S. Emericum*, quadrato agmine prodeunt. At Joannes & Epiſcopus undique à multitudine Turcarum (clandeſtinas enim inſidias, quas hoſtis ex equitatu intenderat, Wajvoda, præ nimia ulciſcendi libidine non exploraverat) ingenti impetu circumventi, & conſternati, retro fugam rapiunt: Turcæ à tergo inſtant, aſſecutos capiunt, obtruncant, ipſumque Epiſcopum,

pum, equo rivum transiliente excussum, interficiunt. Turcæ hac victoriâ animosiores, ex Castris ad S. Emericum quiescentibus, turmatim excurrunt, prædam congerunt, in omnemque passim ætatem impunè sæviunt. Interea copiæ Transsilvanicæ, quas Joannes urgebat, advolant; quibus in aciem ordinatis, & Proceribus se Joanni adglomerantibus, tumultuario exercitu, uno veluti impetu, in prædatores Transsilvaniæ irruere statuit. Hoc ubi *Mezet* cognovisset, consilium protinùs de congressu cepit; quod explorator Transsilvanus subaudiebat. Imperaverat suis potissimum *Mezet*, vt in ipsis pugnæ primordiis, in solum Joannem incumberent; quo sublato, facile Ducis casu perterritos vinci posse existimans. Exploratore se clàm subducente, edoctus Joannes, salutare cœpit consilium. Erat sibi miles quidam, vir fortis & impiger, inclitis majoribus ortus, Corvino persimilis, cui nomen *Simon Kemény* erat: cum hoc equum armaque Turcis sat explorata commutat, nec Simon deliberato fato pro Domino interire recusat. Post, Joannes, Turcas, ad *S. Emericum* adgreditur, & dum utrinque decertatur, Turcæ spectatæ fortitudinis, ex composito, suppositum pro Joanne Simonem circumveniunt; quem, tametsi cataphractorum equitatu obfirmatum haud facile attigerint, tandem interficiunt. Interea Joannes hos hortatur, nutantes confirmat, discursansque militis strenui, & prudentissimi Ducis, unà munere fungitur. Tum ingens captivorum quoque multitudo, repagula custodiæ Turcicæ perfrangit, suis popularibus animum addit, junctisque viribus hostem superant. *Mezet*, cum

filio & copiis ſuperſtitibus, in rabiem verſos homines (vt ipſe dicebat) vincere deſperans, abjectis armis terga vertunt, & in fuga cæduntur. Turcarum, quos inter ipſe quoque *Mezet* cum filio interfectus, cæſa ſunt 20. millia; ex Transſilvanis tria millia deſiderata. Joannes Currus ſpoliis capitibusque hoſtium oneratos, Regi ſubmittit. Hac adeoque victoriâ, non captivos modo, quos è Transſilvania hoſtis ducebat, liberavit: ſed tam è caſtris, quàm è fugâ Turcarum, quos victrice manu ad Valachiæ uſque fines inſequebatur, opima potitus eſt prædâ; immò & Moldaviam ac Valachiam, abs Hungariæ Corona deficientes, cum hac victoria, eidem reſtituit. Ex manubiis denique Templa in Transſilvania & Hungaria, more ſuo, ſtruxit. Memorantur ex iis *Albenſe*, *Nagy-Bányenſe*, *Szent-Imrenſe* (In vico v.l. S. Emerici) & *Töviſſenſe*, quod hodie eſt in Oppido Tövis PP. Paulinorum, ubi A. 1767. 13. Febr. monſtrante R. P. NICOLAO CSEREI de Nagy-Ajta, legebamus ſupra occidentale Templi oſtium, Litteris Gothicis ſcripta; *Anno Domini* 1445. *Johannes de Huniad Regni Hungariæ Gubernator.* Et cernebamus, in Sacrario, Corvum è lapide fabrefactum, annulum (utpote Joannis Inſignia) ore geſtantem. vid. 559.

b. Cladis, quam deſcripſimus, accepto nuncio, *Amurates II. Turc. Imp.* iræ plenus, Sophiam ſe contulit, ibique caſtrametatus, Beglerbegum Romaniæ *Scachum Abedinem* (ſic eum Annales Turcici, quorum auctoritate præſentia exaramus, Chriſtiani verò Scriptores *Sciabadinum*, nomi-

§. 99.

minant) Bassam, tum universis Romaniæ copiis, & Acanziis & Jenizaris, scilicet 80. circiter millibus, expedivit A. 1441; vt peragrata Valachiâ, Hungariam & Transsilvaniam popularentur. Eos ad *Portam Ferream* delatos, impressione subitâ *Joannes Húnyadi* invasit, ingentemque exercitum, cum 15000. suis, delevit, ipso etiam Beglerbego necato. Ut habet *Bonf. Dec.* 3. *Lib.* 5. qui *Scachum Abedinem* per Antonomasiam *Basseum* tantùm (i. e. Bassam) nominat. Christiani inmensa ditati præda, varia trophæa in victoriæ monumentum ad *Portam Ferream* erigunt, *cet.* Hæc, A. 1441. testibus citatis Annalibus, contigerunt. Sic *Joannes* Turcas ad pacem deposcendam coëgit; qua tamen postposita, A. 1444. fit prælium ad *Varnam* atrox, quo Cheser Begus Regi Uladislao caput amputat; Joannes ægrè fugâ evadit, & per Valachiam, non sine difficultate, quod *Dragula* Wajvoda detinuerit, in Transsilvaniam, indeque Budam, A. 1445. pervenit. Hoc anno, in comitiis Pestini celebratis, *Gubernator Hungariæ* statuitur; qui protinùs Dragulam*, à quo nuper in fuga moram passus erat, ob læsum hospitii jus, hostiliter adoritur, eumque cum filio natu majore, capite minuit. Aô 1452. Gubernatoris officio cessit, & à Ladislao Rege *Comes Perpetuus Bistriciensis** creatus est: at præter hunc Comitatum, Castellum *Húnyad*, cum cognomine Comitatu, amplasque sub Corona Hungarica possessiones tenuit. Joannem denique Gubernatoris Hungariæ simul & Wajvodæ Transsilvani officium gessisse testatur ejus numus, his signatus: JOANNES D. H. W. R. VNGARIE GV. vt videre est in *Serie Regum*

§. 99.

Hungariæ è Numis Aureis Jacobi à Mellen. Sic vero legi debent : *Johannes de Húnyad, Wajvoda, Regni Ungariæ Gubernator.* Idem teſtantur propriæ ejus Litteræ, A. 1448. 28. Maji, ad Alphonſum Arragoniæ & Siciliæ Regem datæ, quibus ſic ſubſcribit : *Joh. de Húnyad, Regni Hung. Gubernator, ac Wajvoda Partium Transſilvanarum.* Anno demùm 1456. 10. Sept. Mars Dacicus, Joannes Corvinus, non Rex quidem, ſed Regibus Illuſtrior, ac Chriſtianæ fortitudinis prodigium, terram coelo *Zemplenii* in Hungaria commutavit; relictis ex conjuge *Eliſabetha Szilágyi* (*Gberebiam* quidam dixêre) *Ladislao* & *Matthia* (poſtea Rege Hung.) filiis, filiaque Beatrice.

* Communis ſcriptorum ſenſus, una cum circumſtantiis rerum, ſuadet, Joannem Hunyadis, aut initio Anni 1440. aut Anno 1439. Vajvodam fuiſſe nominatum : licet *P. Timon, Epitom. Chronolog. ad Annum* 1458. ex Inſtrumento, quo neſcio, litterali, urgeat, jam MCCCCXXXIII. (quem numerum vitioſe pro MCCCCXXXXIII. poſitum eſſe vix dubito) eum tanquam Vajvodam Transſilvaniæ, dictas litteras confeciſſe.

13. *Emericus de Pelsötz*, antiquo ſcribendi modo *Pelſewcz*, quem Bonfinius *Peluſienſem*, Petö *Palóczi*, Faſching *Beluſi*, minùs rectè vocant, in prælio interiit, quod *Joh. Húnyadi* contra Amuratem in *Rigó mezö* (campo merularum) Raſciæ & Bulgariæ finibus, ex proditione Georgii Deſpotæ Myſiæ, A. 1448. infeliciter geſſit.

14.

14. *Mich. Szilágyi*, (vitioſè Tuberoni *Sellagius*, & Hübnero *Siglack* dictus) de Horog-Szeg ſcriptus, ob res ſub Joanne Hunyadi fortiter geſtas clarus, Hung. & Transſilvaniæ ad quinquennium, Rege Matthia Corvino 17. annor. adoleſcente, Gubernator; heros magnanimus & togæ militiæque artibus inſigniter inſtructus, A. 1463. à Turcis captus & Byzantium adductus, Imperatoris juſſu, capitis ſupplicium ſubit.

15. *Joanne Pongrâz* Transſilvaniæ Præfecturam, adminiſtrante *Ali Beg* Myſiæ Præfectus, ex improviſo irrumpens Transſilvaniam impunè vaſtavit; cumque idem rurſus Turca facinus repetere vellet; Pongratzius valida Siculorum manu, iuſſu Matthiæ, ad Temesvarum occurrit, illumque ad Danubium uſque perſecutus, magnâ clade affecit.

16. *Stephanus Báthori*; cujus fortè aut fratres aut filii, *Joannes* & *Nicolaus Bathorei* fuère, quos Faſching in Wajvodarum catalogum retulit, memorabilem omni ævo victoriam A. 1479. (non 1480. vt *Ortelius*, cum nonullis, vult) in campo Kenyér, inter Albam Carolinam & Száſzvároſum, de Turcis reportavit. Vbi enim Ali Begus, cum ingenti Turcarum multitudine (alii 40000, alii 60000, quidam 100000, habent) per *Portam Ferream* Transſilvaniam irruiſſet, & Maruſii confinia longè lateque vaſtaſſet, *Stephanus* noſter, *Paulo Kiniſi* Præfecto Themeſienſi, (à tergo Turcarum) auxiliante, d. 13. Octobris 65000. (quidam 30000, alii 60000. volunt) E Barbarorum proſtravit, vix Bego Ali elapſo.

8.99.

In hac pugna, ex Hungaris & Siculis 8000. deſiderata ſunt; duo item Saxonum ac Valachorum millia Maruſio hauſta. *Miles ingenti præda, ditatus, cum ingruente nocte in caſtra redire non poterat, ſuper hoſtium cadavera ſtratis menſis edit, bibit, tripudiat.* Anno 1493. *Stephanus* vivis ereptus eſt, at non dignitate privatus, vt nonnulli putant: is enim A. 1491. fuit *Judex Curiæ Regiæ, & Wajvoda Trans.* vt docetur Inſtrumento *Auctarii Veliani* p. 239. vt & pag. 259. ubi Aô 1491. 7. Nov. in Tabulis concordiæ inter Frid. III. Imp. & Wladisl. Hung. Regem, hæc, ceteras inter, legitur ſubſcriptio: *Ego Georgius de Báthor, Nomine patrui mei domini Stefani de Báthor Wajvodæ &c. ſcribere ignorantis* (*nb.*) *Recognoſco propriâ manu.* *vid. p. 571.*

17. *Ladisl. Loſſontius de Leleſs* & *Barth. Drágfi*, Aô 1493. ambo Wajvodæ Transſilvanis dati ſunt. Februario anni ejusdem, Beg Turcicus *Ali*, Senderoviæ Præfectus, validis ſtipatus copiis, clandeſtino incurſu Transſilvaniæ fines populabatur: ſed à tumultuaria Siculorum manu redux ad *Rubram Turrim* profligatur, ingenti prædâ, 5. diebus coactâ exuitur; & maxima barbarorum pars, ex montium præcipitiis in præterlabentem Alutam deturbatur. Hi Wajvodæ ad pacandam, inteſtinis nobilium diſcordiis diſciſſam, Transſilvaniæ provinciam conſtituti, tantum abeſt vt vires factionum fregiſſent, vt potiùs mutua ſui æmulatione auxerint; vtque diverſo inter ſe erant ingenio, ſic diverſam in jure dicundo rationem ſecuti, & veteres alebant factiones, & novas excitabant. Quibus

bus detrimentis, vt mederetur Rex Vladislaus, *Losontio* ad Magiſtri Curiæ honores evecto, ſolum *Dragſium* gubernare Provinciam jubet: qui mox ſicarios, latronesque comprehendit, multis eorum in palos attractis ac lento igne exuſtis, inteſtinum malum repreſſit. Rex ſexaginta millia florenorum hungaricalium (non aureorum) à Transſilvanis exigit, *cet.* *Vid. N. Dac. p.* 161.

18. *a. Joan. Zapolya*, Stephani Palatini Hung. & Comitis Perpetui Scepuſienſis (von Zips) filius, circa Annum 1487. ex matre Teſchinenſi in lucem editus, de quo §. 96. *n.* 15. quædam retulimus, clavum Transſilvaniæ tenebat, dum Anno 1514. *Georgius Dóſa* Siculus de Dálnok (unde vulgò *Székely*, i. e. Siculus, Tuberoni *Scytha*, Ortelio *Zeck*, Enſio *Seggius*, ſed perperàm, audit) horrendam inteſtinarum turbarum procellam concitavit. Scilicet, *Thomas Bakács*, Archi-Episc. Strigonienſis Exercitum voluntarium Cruciatorum (ſic à veſte Cruce purpurea ſignata nominabantur, *bellumque* vulgò *cruciatum*) per publicatas in Hungaria indulgentias coëgerat, quem Georgio Dóſa, qui eo tempore turmæ equitum Nandoralbæ præerat, in Turcas ducendum, Duci commiſit. Cumque numerus illorum ultra 80000. creviſſet, & Nobiles Domini ſervos ac ſubditos ſuos ab hoc retraherent exercitu: Dóſa ad iram commotus, inſtigantibus aliis, arma in Turcas deſtinata, adverſus Nobiles & Cives patriæ vertit, diviſisque copiis, omnia ferro, flamma, & rapinis vaſtat, ac in optimates ſine exemplo ſævit. *Joanni Wajvodæ* bellum adversùs rebelles ſuſcipiendum demandatur;

qui copiis Transſilvanicis coadunatis, rebellem ad *Temesvarum* adgreſſus, vivum *Dóſam*, cum complicibus primariis, coepit; reliquis obtruncatis, diſſipatis & in fluvium Temes præcipitatis. Poſtea, arreptos circiter 40. ex captivis, privatis antea Georgio miniſteriis addictos, obſcuris carceribus, 15. dierum inediâ macerant; interea à tortoribus Ciganis, ſolium, corona, ſceptrumque è ferro conflantur: Georgius nudus in illud infertur, coronaque igne reſplendens capiti imponitur. Adducuntur novem illi infelices, qui ob inediam è 40. ſupermanſerant, umbris hominum ſimiles, ac vt artus Georgii ignito ferro tactos dentibus appetant ſimulque deglutiant, jubentur: quod, qui metu mortis fecêre, dimiſſi quidem fuêre, ſed tres recuſantes, illico cæſi. *Georgius* non flere, non ejulare, non horreſcere viſus; forcipibus ignitis identidem lancinatus, animam efflavit. Cadaveris ejus diſſecta fruſta, variis in locis furcis ſuſpenſa. De ceteris quoque ſumma acerbitate poenæ exactæ ſunt. Hoc denique bello, variis præliis, ad 40000. hominum cecidiſſe feruntur. Rem totam *Iſtvánfius*, prolixa elegantique narratione, more ſuo, *Lib. V.* recenſet. Item, *Tubero* Lib. X. *Rhévai* Centur. VI. *Miles* p. 8, 9.

b. *Joannes Wajvoda*, magnus & clarus antea, deletis ad internecionem agreſtibus, major & clarior haberi coepit, gradumque ad Hungariæ thronum ſibi fecit. Sed quia eo tempore, quo Anno 1521. Maria Regis Ludovici Sponſa in Hungariam advehebatur, Joannes quoque Nuptiarum ſolemnitatibus vacaret, tumque nec Wajvodæ,

vodæ, nec Comitis Siculorum officio fungi Transſilvanis videretur, ac interea Turcæ irruentes Transſilvaniam, ac Siculiam cumprimis vaſtarent; moti hoc periculo Siculi, rebellionem contra Wajvodam concitarunt; ſed ſumtis ille armis, Siculos inter *Darotz* & *ſzent Pál*, juxta Homorodum Sedis Udvarhely fluvium, devicit, tumultum omnem cruento prælio ſopivit, principesque ſeditionis debito ſupplicio adfecit. Hoc facinus *Miles*, *Sieglerus*, & nonnulli alii ad Añum 1518, at *Annales Templi Coronenſis* ad Añum 1521. & rectius quidem, retulerunt. His, ceterisque ſuis geſtis clarus, Año 1526. Rex Hung. Joannes eligitur; die 21. Octob. Anno 1529. ſollemniter à Solimanno Budæ inauguratur, *reliqua.*

19. Joannes Szapolya ſolium nactus, Aô. 1526. *Petrum Perényi* coronæ cuſtodem, ob delatam ſibi ſacram Coronam, *Tranſſilvaniæ Wajvodatu* & Oppido *Sáros-Patak* in Hungaria, quod *Anton. Palótzi* clade Mohátſiana, nullo relicto hærede, abſorptus antea habebat, donavit. At pulſo in Poloniam Joanne, (§. 96. *n.* 15. *a.*) idem *Perényi*, ob ſimilem fidelitatem Ferdinando præſtitam, fit Anno 1527. ejus in Transſilvania Wajvoda, derelictis Joannis partibus.

20. Dum Anno 1529. ad Solimanum ſe contuliſſet, (§. 96. *n.* 15. *a.*) diverſique ad illum Proceres, cum copiis ſuis confluxiſſent, *Joan. Szapolya*, *Stephanum Báthori de Somlyo*, ex iis Wajvodam Transſilvaniæ declaravit, cumque ad Provinciam ſibi conciliandam, & adversùs Moldavorum impetus (§. 96. *n.* 15. *b.*) tutandam aman-

amandavit. Wajvoda Bathorius proinde Saxones Ferdinandi partibus addictos retrahere satagebat; ideoque Schæsburgum obſedit, expugnavit, expilavit, ſedemque cognominem vaſtavit. *Torda* quoque *Oppidum*, Stephani Majlathi, Conſiliarii & Belliducis in Transſilvania Ferdinandi, conſilia ſecutum, Anno 1531. igne totum penè deletum eſt. Sic St. Bathori omnem Transſilvaniam, Saxonicasque Civitates ad obedientiam Joanni præſtandam compulit; ſolo excepto Cibinio, quod longâ obſidione incasſum clauſit.

21. *Emericus Cibak*, quem *Emer. Balaſſam* nonnemo exiſtimavit, ex Ciboa familia Liguſtici generis in Italia perilluſtri oriundus, vt docet *Iſtvánfi Lib. IX.* Epiſcopus Váradenſis, Añó 1533. Wajvoda à Joanne creatus fuit: ſed vir nominatiſſimus ac præclariſſimus ſequente ſtatim A ô 1534. interfectus eſt. Scilicet, *Ludov. Gritti*, Andreæ Ducis Veneti filius, Turcarum Imperatori acceptiſſimus (§. 96. *n.*15. *a.*) collato ſibi officio Gubernatoris Hungariæ abuſus, varios Viros Nobiles, innocentes quidem, inſcio Rege ſupplicio adfecit; & cum ejus cauſa á Joanne Rege reprehenderetur, ira percitus Conſtantinopolimque reverſus, animum Solimani à Joanne alienare conabatur: at infenſus & Joanni & Hungariæ Grittius, Anno 1534. cum 7000. Turcis à Solimano ad componendas Joannis & Ferdinandi diſceptationes miſſus, ad alpes Barcenſes appulit. Cui, dum Emericus Cibak, qui Grittium Gubernatorem nolebat, (§. 96. *n.* 15. *a.*) juſſu Joannis Regis eum ſalutaturus, obviam

§. 99.

viam procederet, ſecuritatisque adſeveratione per Petrum Sacerdotem obtenta tutus iter faceret; is ad Coronam Urbem, mala animo conſilia agitans, pervenit; miſſisque celeriter inde nequiſſimis nonnullis valida ſat manu ſtipatis, qui Cibako obviam clandeſtinè progrederentur, per eos ad pagum *Felmer* Sedis Rupenſis, Wajvodam ſomno ſecuro in tentorio ſuo ſepultum, nocte concubia interfici juſſit. Caput ad Grittium Coronam adductum, eo permittente, ad latus altaris Templi magni conditum, corpus verò in pagum Almás (§. 96. *n.* 15. *c.*) devectum, ibidem humatum eſt. Parem fortunam, non pauci ex Equitatu comtiſſimo Cibakium ſequuto, experti ſunt; alii autem citiùs ſomno excitati, fugâ ſaluti conſulentes, famâ rei horrendæ provinciam replevere. Ea itaque res ingentem in Transſilvania tumultum excitavit; cujus incolæ cædem probi viri ulturi, undique ſtatim ex Siculis & Saxonibus confluxêre, Ducemque Stephanum Majlát ſequuti fuêre; immo Petrus quoque Moldaviæ Wajvoda, variis à Grittio injuriis laceſſitus in Transſilvaniam advolavit. Grittius igitur his perturbatus, *Mediam* ſe recepit, ſed ibidem obſeſſus moxque captus & in campum eductus, cum tanti facinoris complicibus, qui eum comitabantur, manu carnificis obtruncatus eſt. *Révai* refert; Grittio mane brachia, meridie pedes, veſpere caput reſectum eſſe. Ejus inſuper duo filii adoleſcentuli in captivitatem Moldavi Wajvodæ abducti, ſcelus patris poenâ capitis piarunt. Turcæ denique, qui ex comitatu Grittii ſuperfuêre, ne Solimanus offenderetur, dimiſſi fuêre.

S.99.22.?c.

22. *Steph. Majlát* & *Emer. Balaſſa*, Anno 1534. æquata poteſtate, à Joanne, Transſilvaniæ præfecti ſunt. Fuit *Májlat Liber Baro in Fagaras*, circaque annum 1530. partes Ferdinandi ſequebatur; tandem verò Joanni ſe addixit, fortiterque adeo Anno 1534. Cibinium obſedit, vt poſt reſiſtentiam 7. annorum deditionem facere, Joannique ſe ſubmittere cogerentur. Anno 1536. Majlát, Siculi præcipui, Franciſci Lázár caput in Oppido Régen amputari juſſit. Vide §. 96. *n.* 15. *c.* Collegæ hi Wajvodæ, ad partes Ferdinandi tranſierant: *Majlatus* quidem opera *Thomæ Nádaſdi* Illyrici Præfecti, cujus ſororem Annam in matrimonio habebat; *Balaſſa* verò ſvaſu *Melchioris* fratris, apud Ferdinandum militari Præfectura fungentis. Defenderat ſe quidem Majlatus maſculè in arce Fagaras, Ferdinandi copias præſtolatus: nihilo tamen minus, à duobus Wajvodis Valachis, perfidè elicitus, & ſub induciarum pactionibus captus, Conſtantinopolim ablegatur, indeque *Galatam* mittitur; ubi ærumnis confectus, Anno 1551. (non 1560.) moritur.

23. Poſtquam Iſabella, cum filio infante, in Transſilvaniam à Turcarum Imperatore transpoſita fuiſſet, vt §. 102. referemus; ac Georgius Martinuſius, viduæ pupillique tutor Locumtenens Provinciæ factus fuiſſet: is Wajvodalem poteſtatem (cum coarctata jam ditio vix & Principem & Wajvodam pati poſſet) inclinavit, & fere ſuſtulit, præcipuamque Imperii vim, poſt ſe, in Proceres transtulit. Hinc in Comitiis Anno 1542. *Tordæ* decretum fuit, vt *penes Locumtenentem*, *ex*

omni

§. 99.

omni Natione, è ſingulis Comitatibus & Sedibus, ſinguli Conſiliarii adeſſent. Sublato tamen Aô. 1551. Martinuſio, Iſabellaque Provinciam Ferdinando tradente, Caſtaldus Ferdinandi Locumtenens, juſſu Domini ſui, *Andream Báthori* Transſilvaniæ Wajvodam ſibi junctum rebus gerendis habuit, ab Año 1552. ad 1553. Articulo Diætali Anni 1555. Feſto B. Margaretæ *Tordæ* condito ſignatur, *quod ſub Wajvoda Andrea Báthori, quia Comitia Regni Wajvoda & Generalis, ad petitionem Statuum convocare noluiſſent, vltrò Regnicolæ congregati ſunt in Oppido Váſárbely; at ſimul hujusmodi auſus apud Regem Ferdinandum excuſatur.* Andr. denique Anno 1566. moritur.

24. *Stephanus Dobó* antea Præfectus Agrienſis atque miles clariſſimus, Transſilvaniæ Wajvoda, cum *Franciſco Kendi*, in locum *Andreæ Báthori* eo Magiſtratu decedentis, à Ferdinando Anno 1553. conſtituitur. Dobonem inter & Kendium magni apud Transſilvanos nominis & auctoritatis virum, privatæ ſimultates levibus de cauſis exortæ ſunt, quæ deinde erupêre in apertum odium, quod Kendium ad ineundam clancularíam cum Iſabella Regina adverſus Ferdinandum conjurationem impulit. Hinc varii in Transſilvania motus. *Dobó* demùm in *Szamos-Újvár* obſidetur, ſeque certis conditionibus dedidit: ſed mox captus, in arce eadem, cum conjuge & liberis cuſtodiæ mancipatur. At *Dobó*, contra deditionis conditiones captus, ex arce *Szamos-Újvár*, cum ſe pedum doloribus vexari ſimulaſſet, effracto intempeſta nocte carcere, funibus per moenia demittitur, ac per diſpoſitos equos feliciter

lici-

§. 99. 205. 3.

liciter evadit. Quo intellecto, Joh. Sigiſmundus, uxorem liberosque dimiſit. Dobó, Pragam ad Ferdinandum atratus, & barba capilloque promiſſo ſupplex acceſſit; à quo eximia præmia, arces imprimis præcipuas, accepit. *Vid. Iſtvánfi Lib.* 18. 19. 20. Id denique notandum; *Joanne Sigiſmundo* Principe Actuali declarato, Anno 1556. *Dom. Oculi*, in Comitiis Sabeſi celebratis, à Ferdinando & ejus Wajvodis, *Paulo Bornemiſza* (qui ſimul Epiſcopus erat) & *Stephano Dobó*, juſſu Imperatoris Turcici, penitus receditur. *Art. ejusd. Anni.* Wajvoda omnino Bornemiſza nominabatur, quòd Kendio partes Ferdinandi deſerente, ambo rem gerebant; immò, duorum quoque tempore Wajvodarum, tanta ipſi in Civilibus erat poteſtas, vt in Comitiis Año 1555. Feſto B. Georgii *M. Váſárhelyini* habitis, tres Nationes ſuas Literas & Privilegia, coram Epiſcopo ac Wajvodis producere eorumque reviſioni ſubmittere debere, decretum fuerit. *Art.* Dobonem ultimum fuiſſe Transſilvaniæ Wajvodam in comperto eſt: tametſi quidam Patrii quoque Principes, ut infra dicemus, Wajvodæ nominati fuerint. *Dobó* denique Anno 1571. mortem obiit. *Kendi* atque *Dobó* Anno 1555. ſcribebant ſemet Vice-Wajvodas Transſilvaniæ; & Vice-Comites Siculorum in metali reambulatione Territorii *Szénégetö*, in Sede Mikloſvár, inter Pagos Barót & Köpetz controverſi, per ipſos peracta.

§. C.

§. 100.

§. C.

Cum Wajvodæ Civilibus [1]. (§. XCVII. *n.* 2.) juxta ac Militaribus occupationibus *in genere* implicati fuerint, preteреaque *in ſpecie*, eorum plerique, aut *Comitatûs Szólnok* [2]. (*Zonuk* antiquè) *Interioris*, aut. *Siculorum*, *Comites* [3]. exſtiterint: hinc facilè intelligitur, cur ſuos vicarios habuerint, immò quandoque regioni toti pari cum poteſtate duo [4]. præfecti fuerint.

1. Civilia ac Judicialia negotia Wajvodis incubuiſſe, omnibus hiſtoriæ patriæ peritis conſtat. Inter cetera, Wajvodarum (quos Reges ipſi Spectabilis ac Magnifici titulo ordinariè compellabant) erat, Commiſſariis à Regibus Hung. in Provinciam expeditis ſe jungere, ac tam Hungarorum, Saxonumque, quam Siculorum Conventibus nomine Regio indictis adeſſe, ab ipſisque Hungaris & Saxonibus Cenſum, qui Subſidium plerumque nominabatur, expetere; à Siculis verò *Boves* pro maſcula Regis prole, exigere §. 96. *n.* 13. Wajvodarum pariter erat, cauſſas revidere majores, *majores* inquam, cum *nemo Nibilium citra 5. caſus* (quos lex patria docet) *in præſentiam Wajvodarum citari potuerint; nec Supremi Comites Comitatuum ullas cauſas infra ſummam 50. Flor. ad Wajvodas transmiſerint. Art. A. 1555. Feſto B. Georg. M. Váſárhely.*

2. Hujus Comites Supremi fuiſſe leguntur Wajvodæ ſaltem ſub ñris: 9. 10. 11. 15. 16. 18. 22. 26. 27. 33. 34. 40. 41. at fuêre quidam aliorum locorum Præfecti, vt *Steph. Báthori* ſub ñro 65. fuit *Comes Szaboltſenſis*, ſimulque Wajvoda.

3. *a. Siculorum* fuêre *Comites*, ſub ñris: 23. 25. 30. 32. 50. 51. 54. 55. 56. 60. 61. pluresque procul dubio. Wajvodæ olim Siculorum Comites, poſt Octavas Comitatuum, intra Feſta B. Georgii & Pentecoſtes, Judicia inter Siculos, & quidem Sede quavis per dies 15. celebrabant; intereaque 40. eorum equis intertentio præſtita eſt. In hoc Siculorum Judicio 12. Aſſeſſores, Judice Sedis & Capitaneo incluſis, ad latus Wajvodarum erant; mulctæ Wajvodalis, media pars illis ceſſit; ſchedula citatoria *Den.* 2. taxata eſt. Ubi arma, ſignanter gladii inter Siculos parabantur, plebs parari curavit, & parati ſub vexillum Wajvodarum dari debebant: ſi quis citra veniam è militia refugerit, mulcta Wajvodæ ceſſit. *cet. Ex antiquis Siculorum Legibus.* Ibidem etiam leguntur: Nemo evocari in præſentiam Wajvodæ aut Comitis Siculorum poſſit; ſed cauſa in Sede primùm inchoëtur, & illinc appelletur. Natus Siculus in Tabula Wajvodali extra caſum ſententiæ mortem inferentis non detineatur; at homicida contra gratiam Wajvodæ, & etiam Regis, jure convictus moriatur. Gratia Wajvodalis contra homicidam caſualem intra annum & tres dies duret; ſed homicida læſos injuriâ ne afficiat, & niſi interim concordaverit, judicium impendi debet, *reliqua.* Vel ex his

con-

§. 100.

conjici probè poteſt, quale Siculorum Comitis officium fuerit.

b. Leguntur verò in antiquis monumentis *Comites Siculorum*, qui Wajvodæ non fuêre: 1. *Simeon*, tempore Regis Hieroſolymitani, *P. Fridv. Minerolog. p.* 127. circa An. 1224. 2. *Moſes*, 1291. 3. *Stephanus*, filius Dionyſii, 1315. 4. *Lacbk*, 1329. 5. *Nicolaus*, filius Desö, ante A. 1394. 6. *Petrus de Peren*, Sic. Comes & Curiæ Regiæ Magiſter, 1403. 7. *Michaël* de Nádas, filius Salomonis, 1409. 1416. 8. *Michaël Jakcs* de Kuſſal 1435. Hunc Rev. Felmer pro Wajvoda exhibuit. 9. *Greg. Bethlen*, 1445. 10. *Rumoldus de Rozgony*, ante An. 1459. 11. *Joannes de Lábatlany* aliis *Lábatlan*, Sic. & Themeſienſis Comes & Supr. Transſilvaniæ Capitaneus, nec non *Ladislaus de Pakos*, Comites Siculorum, 1459. 12. *Oſvaldus de Rozgon* & *Ladisl.* Major, filius Desö *de Loſontz*, 1460. 13. *Sebaſtianus de Rozgoni*, 1461. 14. *Joannes Tarcianus*, ante An 1507. vid. §71.

c. Mos Patriorum Transſilvaniæ Principum erat, quo quisque eorum, in ſerie reliquorum titulorum, *Comes Siculorum* dicebatur, vt numi omniaque paſſim literarum monumenta teſtantur. Auguſtiſſima quoque Imperatrix, ac Sereniſſima Transſilvaniæ Princeps D. D. MARIA THERESIA, in *Reſolutionibus* Deputationi Transſilvanicæ Anno 1742. 20. Jul. datis (§. 129. *n. b.*) eumdem Titulum clementiſſimè adſumſit, vt teſtatur Punctum 4^{tum} intuitu Siculorum exara-

" 1848. Lad. Cöderff Com. Sic.

tum; quod verbotenùs ſic legitur: „ Demiſſæ „ Inſtantiæ Nationis ejusdem (*Siculicæ*) quatenus Titulum *Siculorum Comitis*, quo alii Transſilvaniæ Principes, ac etiam Rex Poloniæ Stephanus Báthori, olim uſi ſunt, inter reliquos „ Titulos noſtros aſſumere dignaremur, benignè „ annuimus, eundemque Titulum in Transſilvanicis Expeditionibus, in ſerie Titulorum „ noſtrorum, ſuo loco inſerendum indulgemus.

4. Sæpè, duos ſimul & ſemel, fuiſſe Wajvodas, jam conſtat: at ſi quis curatiùs inſpexerit annos, quos cum eruditis Catalogi Wajvodalis ſcriptoribus adnotavimus; putabit fortè 3. aut etiam 4. aliquandò Provinciæ Wajvodas, præfuiſſe: ſanè mihi, unum ſaltem alterumve eorum Vice-Wajvodam fuiſſe, vero proximum videtur. Probè denique notandum, omnes de lege *Wajvodas Siculorumque Comites* gente Hungaros (Siculos quoque Hungarorum nomine intelligas, oportet) fuiſſe. *Art. Hung. An.* 1492. Cui proinde legi condendæ occaſionem præbuiſſe Wajvodarum aliquos, diverſa de gente conſtitutos, probabile eſt.

§. CI.

III. Nomina VICE-WAJVODARVM, quæ non vetuſtas obnupſit, ſunt:

1. Comes *Benedictus*, Aô 1291. 2. *Ladislaus*, 1291. 3. *Chellus*, 1314. 4. *Petrus*,

2315.

1315. 5. *Michaël*, 1325. 6. *Simon*, 1335. 7. *Petheu*, 1338. 8. *Sigism. Szathmári*, 1345. 9. *Joan. Farkas*, de Szeredahely; 1345. 10. *Petrus de Jára*, 1346. 1348. 1366. 11. *Ægidius*, 1351. 12. *Dominicus*, 1357. 13. *Michaël*, 1359. 14. *Ladislaus*, 1370. 15. *Joannes*, 1371, 1383. 16. *Jacobus Laczk*, 1384. 17. *Gregorius de Faragó*, 1388. 18. *Joannes*, filius Petri de Váradja (Vice-Wajvodæ A. 1366.) 1391. 19. *Petr. Verres*, 1394. 20. *Joannes de Görtsön*, 1397. 21. *Laurentius*, filius Csák, 1402. 22. *Stephanus Nádas*, 1402. 23. *Michaël*, filius Salomonis, 1406. 24. *Joannes de Doboka. Petrus de Sztige*, & *Ladislaus de Madan* simul Vice-Wajvodæ, 1407. 25. *Ladislaus de Nádas*, 1412, 1414. 26. *Steph. Sztaniszlófi* de Báthor, 1422. 27. *Lorandus Lépes* de Váras-Kézi, 1437. 28. *Demetrius de Pân*, 1437. 29. *Petrus Cseh*, 1434. 30. *Pancratius de Dengelegh*, 1444. 31. *Georgius Boda* de Görgény, *Nicolaus de Vizakna*, (1451. Vice-Gubernator Transsilvaniæ, *R. P. Kertselich p.* 271. & demùm Vajvoda.) & *Marcus de Herepe* simul Vi-

ce-Wajvodæ 1446. 32. *Georg. de Bala*, *Nicolaus de Somkerék*, & *Stephanus de Nádas*, ſimul 1448. 33. *Georgius Bodó*, 1450. 34. *Brenislaus de Sibó*, 1453. 35. *Stephanus Kemény*, Miles de Gyerö-Monoſtor, 1456. 36. *Joan. Farkas* de Szeredahely, 1458. 37. *Georg. de Szent-Iványı*, 1461. 38. *Benedictus de Gebárth* & Szélkerék. 39. *Joan. Dionyſi* de Illye, & *Ladislaus de Nádasd*, ſimul Vice-Wajvodæ, 1465. 40. *Joannes de Rhede* & *Dominicus Bethlen* ſimul 1470-1478. 41. *Anton. Kendi* 1479. 42. *Georg. de Dóba*, 1495. 43. *Stephanus de Thelegd*, 1497. 44. *Benedictus de Thar*, 1506. 45. *Ladislaus Schectinger*, Vice-Wajvoda & Caſtri Deva Caſtellanus, 1507. 46. *Nicolaus Thurótzi*, Vice-Wajv. & Siculorum Vice-Comes, 1512. 47. *Nicolaus Hagymáſi* de Bereksó, Vice-Wajv. & Siculorum Vice-Comes, ut patet ex Inſtrumento Judiciali inter Vener. Capitulum Albenſe & Judices ac Incolas Poſſeſſionum Sitve & Balkáts, Devæ Feria 4, proxima poſt Feſtum Beati Benedicti Abbatis de Anno 1519. 48. *Leonhardus Barrabáſi*, 1520. 49. *Stephanus*

nus Szaniſzlóſi, 1523. 50. *Stephanus Thomoreus* de Csuts, Vice-Wajvoda & Siculorum Vice-Comes, 1523. 51. *Alexius Bethlen* 1530. 52. *Nicolaus* de *Telegd*, Vice-Wajvoda & Siculorum Vice-Comes, 1531. 53. *Franciſcus de Kend*, 1538. 54. *Ladislaus Mikola* de Szamosfalva, in Regno Transſilvaniæ Vice-Locumtenens Regius, 1544.

D. *De Patriis ſive Domeſticis Transſilvaniæ* PRINCIPIBVS.

§. CII.

Transſilvania, quam 538. annorum intervallo Regno Hungariæ adnexam, Regibusque Hungaricis ſubditam fuiſſe diximus, (§. XCV.) poſt fata Regis Joannis Zapolya, Anno 1541. penitùs ab eodem, manu Turcicâ, avulſa ac viduæ Reginæ *Iſabellæ*, infantique pupillo *Joanni Sigiſmundo*, Regiâ Hungariæ Budâ excluſis, cum nonnullis Hungariæ Partibus huicce Transſilvaniæ applicatis, tradita eſt.

§. 102.

Mortuo Joanne (§. 96. *n.* 15. *c.*) Rex Ferdinandus, juxta tabulas fœderis (§. 96. *n.* 15. *a.*) Sceptrum, juraque Hungariæ per Nicolaum Salman expoſcebat: at Iſabella tutelæ Solimani Turc. Imperatoris à Joanne moriente commendata eique confiſa, regno decedere nolebat. Ferdinandus igitur ad arma concitatus, exercitum, Duce Rogendorfio, in Hungariam miſit, Budamque obſideri juſſit: ſed eodem 1541. Anno, Turca, nihil aſperitate hiemis motus, ſuppetias Reginæ miſit, Germanosque repulit. Poſtea ipſemet quoque Solimanus, cum ingentibus copiis, Budam uſque pervenit; ubi paucos dies quieti indulgens, ſuo & filiorum Selymi ac Bajazetis nomine, Iſabellæ & pupillo, regalia offerri curavit munera *Vid. Iſtvánfi Lib.* 14. humaniterque per Legatos petebat, vt puerum Regem Regina, cum Proceribus, in caſtra mitteret. Miſit Regina, at pro affectu materno, anxia & non ſine lacrymis, cum nutrice, nonnullis matronis ac proceribus, qui cum Martinuſio eum comitarentur: puerum Solimanus perblanda fronte inſpexit, laudavit; nutricemque aureis numis donavit. Poſt hæc Purpurati, juſſu Imperatoris, proceres Hungaros prandio excepêre, intereaque per ſimulationem viſendæ Urbis cohortes certis Ducibus, quibus antea negotium datum erat, manipulatim immiſêre; itaque aſtu ſingulari Budam occupavêre. Poſtea Solimanus puerum, carpento, quo erat in caſtra vectus, impoſitum, ad matrem remiſit. Reginam deinde monuit, vt æquo animo Urbe, quam contrà Germanos hoſtes tueri non poſſet, excederet; Transſilvaniam & Partes Hungariæ

ultra

ultra Tibiſcum, tanquam pacatam & opulentam provinciam, haberet; Budam inſuper, ubi pupillus adoleverit, ſe reſtituturum juravit. Datis adeoque currubus & ſarcinariis jumentis, quibus omnis Reginæ gaza & ſupellex Lippam uſque deferatur; Regina Anno 1541. 26. Aug. Buda excedit, cumque Martinuſio & Petrovitſio, tutoribus, Lippam ſalutat ac conſidet, inde Transſilvaniam petitura: Buda vero præſidio Turcico firmata, Purpuratorum diu ſedes fuit. Ingreſſa dein Transſilvaniam Regina, cum Filio & Tutoribus, ſedem ſibi *Albæ-Juliæ* cumprimis fixit. Ex hoc tempore Transſilvania à Regno Hungariæ abſciſſa eſt.

§. CIII.

Imperantes igitur, qui abſciſſæ taliter abs Hungaria Transſilvaniæ clavum ab Anno 1541. ad A. 1690. tenuerunt, Hungara de gente oriundi [1], PRINCIPISque nomine [2] omnes fermè inſigniti, Turcarum Imperatoribus (injuſtè [5] licet) Clientelares [3] & Tributarii [4], paucis exceptis, fuêre.

1. Præter Auſtriacos, *Ferdinandum* V. I. & *Rudolphum*; Hungari, & quidem ex *Hungaria*, poſt Joannem Sigismundum Principes *Báthorei*, *Rákótzii*, *Steph. Botskai* & *Franc. Rhédei*; reliqui ex *Transſilvania*, fuêre.

§. 108.

2. *a.* Filius Joannis Szapolya (§. 96. *n.* 15. *c.*) cui nomen *Joannis Sigismundi*, (vt in eo avi materni ſimul & patris memoria repeteretur) ſic volente matre, inditum erat, cujusque capiti, dum patris exſequiæ Albæ Regali celebrarentur, Sacra Hung. Corona, jubente matre, à quibusdam proceribus, impoſita fuiſſe, apud quosdam, legitur, *Regis Hungariæ* titulum uſurpavit: quod, præter ejus Diplomata aliasque Literas, teſtantur Numi, hac Inſcriptione cuſi: *Johan. Sigism. Rex Hung.* 1557. Item, *Joh. II. Elect. Rex Hung.* Hinc dicit *Köleſéri p.* 134: „ *Joh. Sigismundus*, „ prout inter viciſſitudines, ſpem potiendi Co-„ ronâ & Regno Hungariæ, non prius depoſuit, „ quàm mors finem vitæ poneret: ita in numis, „ quâ argenteis, quà aureis, in quorum medio „ ab una parte, Sigilli inſtar impreſſum erat „ gentilitium inſigne (*quod Lupum cum Stellâ & cre-„ ſcente Luna complectebatur*,) cum Literis: *Joh.* „ *II. El. Reg. Hung.* alterâ verò parte calvâ & „ levigatâ, id teſtatum voluit. Sed fuit *Ex-Rex*, ſive Rex exul ab incunabulis, aut, ſi quod res eſt dicamus, *Princeps* ſucceſſoribus ſimilis, immò quibusdam impar. *Principis*, ipſemet quoque, morti vicinus, *titulum* amplexus erat, teſtante *Köleſério p.* 134. „ Conventum, *inquit*, erat Aug. „ Imperatorem felicis record. *Maximilianum* in-„ ter & *Johannem Sig.* paulo ante hujus obitum, „ pactorum conventorum tabulis ne quidem per-„ mutatis; vt hic depoſito *Regis* titulo *Principis*; „ *Vajvodæ* verò *Transſilvaniæ Siculorumque Comitis*, „ qui poſt eum ſuccederent, tanquam Fiducia-„ rii Aug. Domûs Auſtriacæ, Præfecti Provin-„ ciæ, uterentur.

b. Ste-

§. 103. ...

b. *Stephanus*, *Christophorus* & *Sigism. Báthorei*, re quidem vera, fuerunt incliti Transsilvaniæ *Principes*: eos tamen titulum *Vajvodæ Transsilvaniæ* & *Siculorum Comitis* gessisse, numi testantur, quos *Köleserius p.* 135. 136. 137. exhibuit. Sunt ibi Inscriptiones numales: *Stephanus Báthori de Somlyó Vajvoda Transsilvaniæ & Siculorum Comes.* & : *Christophorus Báthori de Somlyó, Vajvoda Transsilvaniæ & Siculorum Comes.* nec non: *Sigismundus Báthori Vajvoda Transsilvaniæ & Siculor. Comes.*

3. Quum moriens Joh. Zapolya, uti beneficiarium & clientem decebat, tam viduam suam & pupillum, quàm Regnum, in tutelam Solimani testamento commendasset: is regni quidem tutelam suscepit*, Reginæque maturam opem tulit §. 102. *n.* 1. at mox præcipuam Hungariæ partem sibi rapuit, Transsilvaniamque tributariam subjecit. Sic occasio data est, vt ex Transsilvania, ab aliquot retrò Seculis Sacræ Regni Hungariæ Coronæ Membro: (quod tamen tunc quoque pro seorsiva & distinctæ ab eodem Regno jurisdictionis Provincia habitum fuit, Wajvodisque paruit) Regnicolæ Principatum facerent liberum & avulsum. Ex hoc itaque tempore, augescente Portæ Ottomanicæ potentiâ Principes Transsilvaniæ, ex illorum temporum seque conservandi rationibus, ejusdem Portæ Ottomanicæ Clientelam & Protectionem suscipere, inevitabili necessitate fuerunt adacti; hincque Principatus noster, super adhæsione ad Portam, præstandoque eidem obsequio, varias tulit Leges & Constitutiones, juramento Principum firmatas, vt testantur *Articuli Approb. & Compilat. Constitu-*

tio-

§. 103. ...

tionum. Nec Principes, ſine Turcico Diplomate (*Athname* ipſis dicto) Sceptro, Vexillo, Clavâ, ſimilibusque Principalibus Inſignibus, à Porta Ottomanica donatis, confirmationem in Principatu conſecuti fuerunt. Exeunte denique ſuperiore Seculo, pulſo victricibus Leopoldi Magni armis Turcâ, Protectioni Ottomanicæ ſollemnibus Comitiorum Articulis renunciatum eſt. *Vid. Art. I. An.* 1744.

4. *a.* Principes noſtros, Turcis *tributarios*, & *Contributionis* Transſilvanicæ *adminiſtratores* fuiſſe, præter Hiſtoricos, Articuli paſſim Diætales docent, ſimulque oſtendunt, quantam Transſilvania Tributi ſummam Turcis, pro diverſis temporibus, præſtiterit. Nos ſolùm ſpeciminis ergo hic quædam commemoramus ex iisdem Articulis. Annis 1548, 1564. & nonnullis aliis *Denarii* 99. pro Turca Portatim (de *Portis* vid. inf. §. 139. *not.*) contribuebatur. Anno 1551. 12000. Flor. hung. in ſumma ſoluta ſunt. Quoties verò offenſum ſe à Transſilvanis Turca aſſerebat, aut expeditionem pro Provincia ſuſcipiebat; ſimul & Tributum, absque miſericordia, augebat. Hinc, Anno 1658. 6. Novembris *Art.* 3. quia Status Transſilvaniæ, ad mandatum Turcæ, expeditione Polonicâ offenſi, (§. 119. *n. d.*) receſſum à Rákótzio & electionem novi Principis, tamdiu diſtuliſſent, donec Turca in bellum milites contra ipſos eduxerit; ideo extraordinaria, eaque nimia Contributio eidem Turcæ præſtanda imponitur; & quia Plebs ſolvendo non erat, ſic in eam ſolvunt: 1.) *Nobiles Comitatuum*, alias à Contributione immunes, à Por-

§. 103. 30...

Portis ſuorum ſubditorum *Fl. hung.* 20. quam ſi quis præſtare non poſſet, Bona ejus in pignus ſolventi tradantur. 2.) *Siculi Nobiles* & *Primipili Poſſeſſionati* à decem ſubditis Flor. 20. 3.) *Nobiles unius Seſſionis* & *Viduæ*, tam in Comitatibus, quàm inter Siculos, nec non *Parochi Hungarorum* & *Valachorum*, Siculi item *Primipili* & *Pixidarii*, *Molitores* liberi, vt & *Cives* inter Siculos, *Taxaliſtæ*, præter Agropolitanos, capitatim Fl. hung. 2. *Agropolitani* portatim Fl. 20. 4.) *Saxones* portatim Fl. 20. 5.) Eorum *Parochi* grandem ſummam, eam ſcil. quam *Taxa* eorum *Cathedralis* annua conſtituit. 6.) Servi denique & Officiales omnes inpoſſeſſionati, vt & Satellites Nobilium (*Darabontok*) capitatim Fl. 2. Tantum tamen abeſt, vt Turca contentus hac Contributione fuiſſet, vt potius Transſilvaniæ Ablegatis in Jediculam (carcerem) conjectis, extraordinaria rurſus Contributio impoſita ſit, qua Barbaro de Expenſis belli ſatisfieret. Hinc ſolverunt; 1.) Nobiles Comitatenſes pro Portis eorum non combuſtis Flor. 5. & Saxones pro combuſtis partem tertiam. 2.) Reliqui omnium Statuum homines, in Art. Anni 1658. recenſiti, ſummæ tunc inpoſitæ mediam partem. Grandibus his & extraordinariis Tributis demulſiſſe Turcarum animos Transſilvani videbantur; cum & ordinaria Contributio, quæ ante hos annos 15. millibus Ducatorum plùs minus conſtabat, inſigne augmentum cepiſſet: nihilo tamen minùs, Año 1666. Tributum Barbarus in triplum auxit. Cum proinde nec Nobilium immunitati indulgeri potuiſſet; Nobiles unius Seſſionis ſive Fundi præſtitére capitatim

Ta-

§. 108.

Taler. 1. Porta quælibet Tal. 16. Siculi Tal. 5000. Comitatus Máramaros Tal. 5000. Diſtrictus Fagaras Tal. 5000. Abrud-Bánya 200. Vizakna 200. Kézdi-Váſárhely 100. Bereczk 40. Ilyefalva 20. Sepſi-Szent-György 10. Csik-Szereda 15. Ignobiles extra Portas conſtituti Fl. 3. Den. 20. Parochi Saxonum Tal. 500. Popæ ſive Valachorum Parochi 500, Officiales Camerales, & Triceſimatores, alibi 20, 15, 10, 5, 3, 2. cet. *Vid. Art. A.* 1666. 1. Febr. *Art.* 12, & 15. Sed nec ſic Turcæ ſatisfactum eſt, verùm eodem Anno 18. Sept. *Art. I.* denuò pro eo Contributio impoſita eſt, portatim Tal. 1. Nationi Siculicæ Tal. 500. Máramaros 300. Fogaras 200. Popis 200. Taxaliſtis Tal. 183. Annis 1674, 1675, 1676. portatim pro Turca impoſiti fuere Tal. 18. Annis 1678 & 1679 iterum auctum Tributum ſolutum. His omninò temporibus vix aliquid, ex ingenti Tributo, Principi Tranſſilvaniæ, Præſidio, Provinciæque neceſſitatibus cedebat; immò acceptâ mutuè pecuniâ ipſe Princeps Barbarum quandoque cicurabat; *teſtibus Articulis.* Certè felicioribus quoque Seculi XVIti annis, plus ſæpè pro Turca; ac pro Principe publicisque neceſſitatibus contribuebatur. Sic, Anno 1575. 25. Jul. *Koloſvárini*, Año 1577. 21. Apr. *Tordæ.* Año 1582. 27. Apr. *Albæ-Juliæ*, Año 1584. 25. Apr. *ibidem*, pro Turca impoſiti leguntur portatim Denarii 99. at pro Principe Den. 50. Anno 1578. pro Turca Den. 150. pro Principe 99. Anno 1589. 20. Apr. *Tordæ*, pro Turca Den. 99. pro Principe *66.* An. 1590. 26. Apr. ut & An. 1591. 21. Apr. *Tordæ*, pro Turca

Den. 99. pro Principe 75. Inſuper, pro Honorario Turcæ nonnunquam Tributum præſtitum fuiſſe, teſtatur *Art. I.* Anni 1656. 20. Febr.

b. Præter Cenſum Imperatori Ottomanico propriè præſtitum, varias nexus Turcicus Contributiones ſecum vehebat. Talis erat *Contributio ad ædificationem Domûs Conſtantinopolitanæ* pro Legatis Transſilvanis poſitæ, pro qua Anno 1616. 17. Apr. tribus Nationibus Flor. 4000. injuncti fuerunt. Pro eadem domo Anno 1653. Nobilibus unius fundi, & Popis Valachorum, capitatim Denarii 25. impoſiti leguntur. Item, Anno 1655. Parochi Saxonum dant Flor. 300. Græci & Judæi 300. Popæ viritim Den. 25. Nobiles Comitatuum unius fundi Den. 15. Sic & aliis quibusdam annis. Pro *Legationibus* ſimiliter ſæpiculèque contribuebatur; ſic Anno 1682. 25. Apr. juſſu Turcæ Inſurrectio mandatur & ſuſcipitur, quod per Ablegatos, *Balthaſarem Matskáſi*, *Sigismundum Boër*, & *Judicem Regium Nagy-Sinkenſem*, Supremo Vezirio ſignificatur: in hujus Legationis expenſas 5000. Taleri repartiuntur. Pro *Exercitu Turcico*, ex 6000. Janitzaris & 4000. Equitibus, conſtante, Anno 1661. 20. Novembris *Art. I.* Contributio Naturalium imponitur, ex quâ Nobiles unius Seſſionis, Parochi Saxonum & Hungarorum, Officiales Camerales, Molitoresque viritim Tritici *Cub.* 1. Avenæ pariter. *Cub.* 1. præſtant. Similiter Anno 1683. 24. Apr. *Art.* 5. Naturalia in rationem Exercitûs Turcici ſub Chamo eorum tranſeuntis in Hungariam, magnâ ſummâ repartiuntur. Reliqua tacemus.

c. Hæ, similesque Contributiones Turcis debitæ, inauditum antea exigendi modum pariebant. Exempli causa: Anno 1660. 5. Jul. Contributio portatim in Taler. 25. sive Flor. 50. imposita, eo modo exigi decernitur, vt si cujus Jobbagiones (subditi) solvendo non sint, pecora eorum, si habeant; sin minus, pecora Dominorum Terrestrium, scil. Bos in Tal. 2, inferior Tal. 1, Vacca melior Tal. 1, duæ inferiores in Tal. 1, adimantur; quæ si Possessor intra 8^{vum} diem non redimat, vendantur. Si verò nec ipsemet Nobilis, nec ejus homines pecora habuerint; Bona eorum immobilia, divendantur. Ibidem etiam definitum erat, vt Nobiles unius Fundi, Parochi Hungarorum & Popæ Fl. 5. Ludi-Magistri Fl. 2. Primipili 4. Parochi Saxonum tantam summam, quàm *Census Cathedraticus* constituit, Capellani Saxonum Fl. 5. &c. Officiales Fisci quisque ab Officiis grandem summam, contribuant. Zingari Taler. 1. Ibid. Art. 16. statuitur, quodsi Possessores aut ipsimet, aut medio Jobbagionum Tributum non solvant, Bona in perpetuum; Nobiles unius fundi & Cives universi libertatem amittant, inque rusticitatem redigantur, quibus nec Gratia Principis suffragari queat. Anxiis his temporibus, Anno 1688. 24. Jan. Art. 4. statuitur, vt è Nobilibus unius Sessionis nullus contributione eximi possit; si solvendo non sit, captivetur, & usque ad Fl. 40. redemtibiliter ad Jobbagionatum obligetur: si aufugerit & Fundum habuerit, pro Flor. 40. impignoretur.

d. Cum

§. 103.

d. Cum nec tam duris legibus, Turcis ac Provinciæ necessitatibus satisfieri potuisset; eo animum Status Transsilvaniæ attenderunt, vt mutuam pecuniam & Naturalia à Proceribus colligerent, felicioribusque annis refunderent. Quia verò exhausta Provincia vix creditorem dando parem sinu suo haberet, legibus cogentibus actum est. Hinc decretum est Anno 1671. 9. Mart. vt Proceres grandem summam præstent, donec repartita Contributio colligi, eisque refundi queat: quam si præstare nollent, duplum exigatur. An. 1683. 24. Apr. *Art.* 1. Magnatibus, potiori Nobilitati, & Communitatibus quibusdam singillatim, grandis aureorum summa, titulo *Mutui*, ea lege imponitur, vt si quis solvere nollet, vel solvendo non esset, Bona ejus occupentur; & ei, qui præstiterit, ad annos 5. irredemtibiliter, dein deposita summâ, sub pœna Flor. 200. redemtibiliter adsignentur; Jobbagionem quemvis in decem Aureis computando. Qui verò Bona non habuerit, captivetur. *Papæ! Dura lex!* Anno 1686. 8. Maji, Nomine Statuum, Ordini Ecclesiastico, grandis summa imponitur, sub spe refusionis solvenda: signanter, Helveticæ Confessioni addicti præstant Taler. 1000. Catholici Tal. 100. Unitarii Tal. 600. Saxones 1400. Anno eodem, 19. Octob. Art. I. statuitur, vt si quis mutuum eodem anno bis impositum præstare nollet, ex Bonis ejus, media summæ pars, pro cassa, loco pœnæ, desumi debeat. Leges his similes in *Articulis* legere, rarum non est; prout nec eas, quarum virtute Creditoribus satisfieri jubetur: at omnibus satisfactum fuit nunquam.

§. 103

e. Ad hæc, Contributione Transſilvano-Turcicâ augeſc ente, contribuentium numerus minuebatur: Turca enim, parte Hungariæ nobis vicina occu patâ, etiam contiguas eidem, Transſilvaniæ partes pedetentim ſubjugabat, ac à noſtra Provincia quadantenùs avellebat. Talia ultra Samoſium fuêre loca, Comitatuum *Kolos*, *Doboka*, & *Szólnok Interioris* partes, quarum Pagi Turcis per hunc modum *dedititii*, *ac in utramque partem*, Turcicam v. l. & Transſilvanicam, *ſervientes*, Hungaris *Hódoltság*, i. e. locus ſubjectus ſive tributarius (ex *Had*, h. e. Bellum, quaſi *Hadoltság*, quod bello ſubactus ſit) dicebantur; vt videre eſt in *Articulis* An. 1666, 1667, aliisque paſſim; nec non *Compilat. Conſtit. Edicto* 32 & 46.] Dedititii hi pagi, aliàs ſub Jurisdictione Transſilvanica exiſtentes, media ſolùm proportione in Caſſam provincialem contribuebant. *Conf.* §. 123. *n. g.*

5. Occupatam injuſtè Provinciam §. 102. *n.* 1. injuſtè Barbarum poſſediſſe, docent ea, quæ nunc *n.* 4. diximus. Qui verò fuerint Imperatores Ottomanici, illegitimi Transſilvaniæ poſſeſſores, ab inſtituto noſtro alienum non putamus, nominare. Undecim numero ii fuêre: 1. *Solimanus II.* natus Anno 1496. Imperator creatus An. 1520. mortuus Anno 1566. 4. Sept. Hic *Albam-Græcam* expugnavit, Inſulam *Rhodum* ditioni ſuæ ſubjecit, & Anno 1526. victoriâ ad Mohácſum potitus eſt, (§. 96. *n.* 14.) quibus præclarè geſtis anteceſſoribus palmam præripuit; at obſidionem Viennæ Auſtriæ, poſt 70. impetus, ſolvere coactus fuit Anno 1529. 2. *Seli-*

mus

mus II. ab Anno 1566. ad 1574. 3. *Amurath III.* ab Anno 1575. ad 1595. 4. *Mahomet III.* ab Anno 1595. ad 1603. 5. *Achmet I.* ab An. 1603. ad 1617. 15. Novemb. 6. *Mustapha I.* creatus Anno 1617. exutus 1618. iterum Anno 1622. ſublimatus, cuſtodiæ mancipatus 1623. ſtrangulatus Anno 1639. 7. *Oſmannus II.* ab Anno 1618. ad 1622. 8. *Amurathes IV.* ab 1623. ad 1640. 9. *Ibraim* ab 1640. ad 1648. 17. Aug. 10. *Mahometh IV.* ab Anno 1648. ad 1687. 11. *Solimanus III.* ab 1687. ad 1691. 22. Jun. Cui *Achmet II.* eodem anno ſucceſſit.

§. CIV.

Principes patrii ſeu populares (§. CIII. *n.* 1.) hi Transſilvaniæ faſces tenuerunt: 1. *Joannes Sigismundus.* 2. *Ferdinandus.* 3. *Stephanus Ba'thori.* 4. *Chriſtophorus Ba'thori.* 5. *Sigismundus Ba'thori.* 6. *Rudolphus.* 7. *Andreas Ba'thori.* 8. *Stephanus Botskai.* 9. *Sigismundus Ra'kótzi.* 10 *Gabriel Ba'thori,* 11. *Gabriel Bethlen.* 12. *Catharina Brandeburgica.* 13. *Stephanus Bethlen.* 14. *Georg. I Ra'kótzi.* 15. *Georg. II. Rákótzi.* 16. *Franciſcus Rhédei.* 17. *Achatius Bartſai.* 18. *Joan. Kemény.* 19. *Michaël I. Apafi.* 20. *Mich. II. Apafi.* Quorum hiſtoriam carptim exhibemus.

§. 105. 40

1. Suis quemque locis pariter commemorabimus eorum, qui Principatum quidem Transsilvaniæ involarunt; at legitimorum Principum numerum intrare non potuerunt. Tales fuere: *Michaël Wajvoda*, *Moses Siculus* & *Emericus Tököli.*

2. *Ferdinandus* & *Rudolphus* AVSTRIACI fuêre.

§. CV.

1. JOAN. SIGISMVNDVS (§. CIII. *n.* 2. *a.*) *Rex*, aut potiùs *Princeps*, in cunis adhuc, Anno 1541. clavum Transsilvaniæ adeptus, cum matre ISABELLA sub Tutoribus, *Georgio Martinusio* & *Petro Petrovitsio*, Provinciæ præfuit usque ad An. 1550; quo puer Princeps, è tradito per Martinusium *Ferdinando* Principatu, in Silesiam, cum matre, ad habitandum iter instituit: at inde An. 1556. ad Transsilvaniæ gubernacula revocatus, ad An. 1559. 15. Septembris, quo ISABELLA obiit, Sex-*Virali*, post mortem verò matris, cum *XII-Virali Consilio*, ad annum usque 1571. Provinciam rexit.

a. *Isabella* Transsilvaniam ingressa, §. 102. *n.* 1. pacatam eam diu tenere minimè poterat: *Martinusius* namque *Locumtenens*, (de quo §. 106. *n.*

c.

«. plura referemus) ſpretis, Reginâ, Petrovitſio, & iis Proceribus, qui Anno 1542. Feria 4ta poſt Dominicam *Judica*, Tordæ, è tribus Nationibus Conſiliarii, penes Locumtenentem officio functuri, electi fuerant; in publica adminiſtratione, ſolo ingenio ſuo uti cœpit. Hinc crebræ Reginam inter & Martinuſium diſcordiæ, utrique pernicioſæ, atque imprimis Chriſtiano *nomini*; & quo ſæpius reconciliati, eo ſuſpectior alter alteri. Interea Martinuſius dominandi cupidiſſimus, ſe inparem cernens Turcicæ potentiæ, à qua parata auxilia ad Reginæ nutus videbat, clàm cum Ferdinando agere cœpit, Reginamque Provinciâ amovere conſtituit: Reginam verò multis adgreſſus rationibus, immò inſtigationibus, eo adducere conabatur, vt filii nomine, Ferdinando Transſilvaniam, quam Turcicæ potentiæ impar tueri non poſſet, in rei chriſtianæ commodúm, cederet. Hinc diſſidiæ denuò inter Martinuſi. & Reginam, majoribus, quàm antea odiis & viribus, recruduerunt. Horum exempla ſunto: Martinuſius Reginam cum Petrovitio Cibinium ire volentem, Urbe excludendam curavit, ne munitiſſima Urbe occupata, ſibi detrimenti aliquid inferretur; Proceribus Martinuſio armis obſiſtere volentibus, is quoque exercitum extemplò conſcripſit, Siculosque & Saxones, quos largitione ſibi conciliaverat, in auxilium convocavit: poſt ad arma deventum fuit; ſed iterum Martinuſius cum Regina in gratiam rediit. *Item* Anno 1550. Comitia Agnatetii (*Szent-Agáta*) Regina indicit, in quibus ope Procerum, Georgio ob nimiam potentiam infeſtorum, ſe conſecuturam ſperabat, vt illi

§. 105.

Imperium abrogaretur; cui rei, homo ſagax, qui tum Váradini erat, ut obicem poneret, confeſtim Provinciam ingreſſus, ejus adventu Comitia ſolvuntur. Georgius proinde apertus jam Reginæ pupillique hoſtis, Urbes oppugnare, ſecum Váradino adductis copiis incepit, Albamque Juliam poſt viginti dierum obſidionem expugnavit.

b. *Caſtaldus* interea à Ferdinando per Martinuſium expetitus, cum exercitu Germanico in Provinciam venerat; cumque ejus adventu, & Urbium expugnatione territam Reginam Martinuſius ſciret, ipſam Sabeſii convenit, vt ad componendum cum Ferdinando hortaretur: indictis igitur Claudiopoli Comitiis, Caſtaldus coram Georgio Martinuſio & Provinciæ Statibus, adventûs ſui cauſas exponit, vt v. l. cum Regina, de conditionibus, jam antea Joanni, ejus marito, oblatis ageret. Actum etiam de iis eſt, vt §. 106. *n. b.* videbimus. Poſt, Regina flens, ſe pactis aſſentiri reſpondit; pacta conventa utrinque juramento confirmata ſunt, Reginaque Coronam Hungariæ, Sceptrum, & reliqua Regni Inſignia, quæ à Solimano Ioannem accepiſſe §. 96. *n.* 15. *a.* retulimus, Ferdinando tradidit. Dein Iſabella cum pupillo, Zilahum uſque à Martinuſio comitata, Transſilvania, convaſatis rebus ſuis, exceſſit, Caſſoviam venit, ibique nonnihil morata, Sileſiam versùs profecta eſt.

c. Traditis Ferdinando Inſignibus Regni & Transſilvaniæ Provinciâ, prolixâ oratione Caſtaldus Proceres ad Ferdinandi fidem traduxit: poſt, Martinuſius, ante omnes, in fidem Ferdinandi, tam-

§. 105.

tamquam legitimi Regnorum hæredis, juravit; quem Saxones, Siculi, aliique ſequuti ſunt. Sed non diu, nec pacatè, Provinciam Ferdinandus tenere potuit: Solimanus enim ex ſuorum Literis, ac Reginæ Petrovitſiique querelis, ea, quæ in Transſilvania acta fuerant, cognoſcens, expeditionem in Hungariam & Transſilvaniam mandavit, vt Reginam cum filio reſtitueret; vnde bellum ingens exarſit. Dum igitur & á Germanis & à Turcis Transſilvania malè mulctatur, Provinciæ Proceres Legatione ad Ferdinandum decretâ, vt ſibi de pace cum Turcis agere liceret, impetrarunt. Poſthæc, mandabat Solimanus Anno 1555. 20. Dec. vt Transſilvania *Joanni II.* traderetur, isque revocaretur; vel ſi is intrare nollet, manus tamen Ferdinandi Principatu amoveretur: ſignificabat ſimul, Achmeti Purpurato negotium dediſſe, vt conſcripto valido exercitu, expeditionem ſuſcipiat; inſuper ad Tartarorum Principem, & Valachiæ Moldaviæque Wajvodas ſcripſiſſe, vt vires ſuas cum Achmete conjungentes, Transſilvanis auxiliarentur. Quibus Literis Procerum animi valdè commoti, Turcicæ potentiæ probè gnari, vel artificioſiſſimis Caſtaldi perſvaſionibus induci haud quaquam potuerunt, vt ſpreta ſalute, tot ſimul copiis ſe objicerent. Acceſſit Germanorum & Hiſpanorum militum exorta ſeditio, diu fruſtra ſtipendia ſua urgentium; qui nullis Caſtaldi precibus aut minis retineri poterant, quin arreptis Signis, & novis Ducibus creatis, injuſſi per Pannoniam, Viennam versùs iter cœperint; quos cum aliud non poſſet, brevi ſubſecutus Caſtaldus. *Toppelt. p. m. 220. ſeqq.*

 d. Quam-

§ 105. 6

d. Quamobrem Transſilvani, Anno 1556. *Dom. Oculi*, indictis Sabeſum Comitiis, Ioannem Sigismundum in actualem Principis dignitatem aſſumſerunt, illoque tunc abſente, Petrum Petrovitſium Locumtenentem declararunt, & à Ferdinando ejusque Wajvodis receſſerunt: ibidem, *Conſilium* Principis è tribus Nationibus conſtituendum decretum eſt; & tunc ex parte Comitatuum, *Balthaſar Patotſi*, *Nicol. Forró*; ex parte Siculorum, *Nicol. Kornis*, *Martin. Andráſi*; ex parte Saxonum, *Conſul Cibinienſis*, & *Judex Coronenſis* electi ſunt. Interea, Regina cum filio revocatur, cui, (poſtquam An. 1556. 23. Septem. Leopoli Ruſſiæ moviſſet Iſabella) Statuum decreto, Melchior Balaſſa, facto per Maramaruſium itinere, uſque ad Huſztum Oppidum, cum DC. equitibus, obviam proceſſit: excepta taliter à Transſilvanis & auxiliaribus copiis Regina, tum ingenti comitatu, immò exercitu, Moldavorum, Transalpinorum, Polonorum, Ungarorum, Raſciorum & Transſilvanorum vallata, 22. *Oct* Claudiopolim deducta eſt. Celebratis poſt 25. Nov. Claudiopoli Comitiis, ſtatutum eſt, vt ſi quis ſpatio unius Menſis ad fidelitatem Reginæ filiique juramento ſe non ſtrinxerit, Bona ejus Fiſco adplicentur. *Item*, vt Regina filiusque, omnia Officia, Dignitates & Donationes, cui maluerint, liberè conferant. Reſtituta in Principatum Regina, decem millia aureorum Conſtantinopolim quotannis miſit; quæ benevolentia, in importunum excrevit tributum.

e. Anno 1557. *Franciſcus Bebék*, obtendens Iſabellæ imbecillum ingenium, & Joan. Sigismundi in-

§. 105. :

inmaturam ætatem, Constantinopoli, à Solimano Gubernatoris Transsilvaniæ titulum ea obtinuerat auctoritate, qua olim Ludovicus Gritus habuerat, (§. 96. *n.* 15. *a.*) Moldavusque & Transalpinus Wajvodæ, ei parere jussi: is Valachorum tectus præsidio, in Provinciam revertit; verùm simul ac eam tetigit, in custodiam datus est; vix multis Wajvodæ Moldavi precibus libertatem ad breve tempus consecutus. Isabella enim suspicione plena, ejusque auctoritate indignata, sequenti anno, eum atque duos *Kendios*, *Antonium* v. l. & *Franciscum*, vt & *Petrovitsium* è medio tollendos decrevit. Petrovits, destinatæ cædi, naturali morte ereptus, quod tota vita cælebs vixerat, Bonorum omnium hæredes Reginam & Filium, cui sanguine junctus erat, reliquit. *Bebék* verò ac *Kendii*, gravissimarum rerum prætextu *Albam* vocati, & *Cal. Sept.* convivio, quod in multam noctem protractum erat, accepti, post mediam noctem, in suo quisque hospitio, frustra Deum hominesque & omne jus appellantes, opera Melchioris Balassa, ad omnia flagitia promtissimi, interfecti sunt. Horum cæde magna ab Regina animorum alienatio facta est: quamvis in Comitiis Tordæ celebratis, in favorem Reginæ, jure cæsos esse, pronunciatum fuerit. Bona denique eorum, quæ erant amplissima, Fisco addicta. Ipsa deinceps Regina semel in publico visa variis doloribus contabuit, ac An. 1558. 15. Sept. ex vita *Albæ* demigravit. Notatur denique in *Articulo* Comitiorum anno eodem 29. Sept. celebratorum, quod Sicarii, qui *Isabellam* & *Joannem II.* tollere nitebantur, deprehenso facinore, interemti, ac notorii declarati fuerint,

§. 105.

f. Mortuâ Iſabellâ, paceque fruſtra cum Ferdinando tentata, quum *Joh. II.* per ætatem adminiſtrare Provinciam non poſſet, placuit ipſi & Statibus eligere 12. Conſiliarios, è tribus Nationibus quaternos, Rempublicam moderaturos. An. 1662. Siculi plebei illegalibus oneribus gravati, fruſtra Saxonibus Coronenſibus, Schæsburgenſibus & Medienſibus in auxilium ſollicitatis, Jo. Sigismundo rebellarunt; quorum exercitus, cum incolis Sedis Marus manum juncturus, versùs Száſz-Kézd, Schæsburgum, Ebesfalvam, Bonyham *cet.* iter promovens, inter fluvium Nyárád & Forum Siculorum caſtra locavit. Fruſtra à Joanne per Legatos admoniti, vt ab armis diſcederent, infelicem belli aleam experti fuêre. Miſſo enim, cum mille prætorianis equitibus & totidem peditibus Ladislao Radák, ad Forum Siculorum, cum Siculis pugnatum eſt. Victor Radák, maximam Siculorum partem, quæ nullo ordine, nulloque certo Duce, temerè confluxerat, partim cædendo atque inſtando diſſipavit, partim captam in triumphi ſpeciem Tordam ad Comitia perduxit, ubi de nonnullis, qui ſe duces ſeditioni præbuerant, capitale ſupplicium ſumtum eſt. Paulò poſt, die 20. Jun. (non Novembri, vt vult *Miles p.* 87.) frequentior Schæsburgum indicta eſt Diæta, quo Primores & Primipili (*hi Seditionis participes non erant*) perſonaliter omnes, Plebei autem (*Plebs rebellionem concitaverat*) è Sede quavis ſedeni comparent, excepta Sede *Aranyas*, quæ ſe maleſanis conſiliis non miſcuerat. Scriptores plerique hallucinari hìc videntur, dum totam Siculorum Nationem libertatem, propter hanc rebellionem,

ami-

§. 105.

amiſiſſe, memoriæ prodiderint: cum tamen ſola plebs ſeditionem moverit, ſolaque pœnam incurrerit; ſi aliqualem Legum, Privilegiorum & conſvetudinum factam ibi inmutationem exceperimus, quæ totam reſpiciebant Nationem; vt infra §. 150. *n.* 2. docebimus, ex Actis quidem eorundem Comitiorum exceptione majoribus. Idem judicium eſto, de duabus illis arcibus, quibus in medio Siculorum exædificatis, veluti frenis & retinaculis Siculos contineri voluiſſe Principem, Hiſtorici tradidêre. Vid. de iis §. 111. *n. b.* His denique in Comitiis ſupplicio dati ſunt Siculorum ſeditioſorum è plebe non pauci, quos inter *Georgius Nagy* eum fermè in modum, ac de *Georgio Doſa* §. 99. *n.* 18. *a.* retulimus, excruciatus eſt. *Miles p.* 87. *V. Wolfg. Bethlen p.* 220.

g. Eodem 1562. anno, octennales Ferdinandum inter & Solimanum induciæ, quibus & Joan. Sigismundus comprehendebatur, initæ ſunt: nihilo tamen minùs, non adeo cum Ferdinando Anno 1564. vitâ functo, quàm cum ejus ſucceſſore Maximiliano renovatum bellum, non citò extinctum eſt. Joan. Sigism. Anno 1564. relictis, pro moderamine Transſilvaniæ in provincia *Stephano Csáki* Præſidente, & quibusdam Conſiliariis, in Hungariam cum exercitu movit, primùmque Caſtellum *Hadad*, quod *Mathias Sennyei*, vir fortis & militaris, cum Cæſareanis tuebatur, obſidione cœpit; vt narratione lectu digna memoriæ tradidit *Iſtvánfi Lib.* 22. Poſtea multis Hungariæ Civitatibus & Oppidis ſuam in poteſtatem redactis, victor in Transſilvaniam

re-

S. 105.

redux, maximo provincialium plauſu exceptus, immò paulo poſt ab ipſo quoque Turcarum Imperatore collaudatus eſt. Sed ludente fortunâ, exercitus Maximiliani Transſilvaniam ingreſſus, loca hujus uſque Oppidum Dés & Civitatem Biſtricium, ejus poteſtati ſubjecit: his rerum viciſſitudinibus pax inter adverſarias partes inchoabatur, nullum ſortitura effectum. Turcis enim Joan. Sigismundo opem ferentibus, Deſino aliisque locis paulò antea occupatis Germani repreſſi ſunt.

h, Anno *1566.* initio Junii Solimanus Byzantio movens, Belgradum venit, ad quem Joannes Sigismundus cum ſplendido comitatu & muneribus inuſitati pretii profectus, antea licet adcuſatus, benigno animo exceptus, muneribus auctus, ac Hungariæ ditionis promiſſione (ſed hac fruſtrà) cumulatus eſt.

i, *Joan. Sigismundus* denique poſt moleſtiſſimos reipublicæ faſces ac intempeſtivas epulas debilitatus, cum planè de pace cum Maximiliano operâ Caſparis Békéſi ageret, mortalitatis attigit metam. Ante tamen quam fabulam ætatis peregiſſet, eo planè tempore, quo Békéſius pro conditionum Spiræ transactarum confirmatione apud Cæſarem ageret, morbo aliquantùm remittente, Sigismundus in ſilvas venatu ſe oblectaturus diſceſſit. Vnde primò ad arcem Véts ventum eſt, inde Görgényum; ubi ex nimia agitatione corporis, quod gracile & imbecillum erat, ſi non ex intempeſtivæ compotationis interventu, morbus recruduit. Poſtremò, quum poſt 54. dies, remit-

mittente iterum morbo ſe revehi poſſe ſentiret, lento itinere Albam Juliam reverſus eſt, ibique recurrentibus ſubinde morbis vitam cum morte 14. Mart. permutavit, & ſtirpi Szapolyánæ finem fecit. Sepultus 17. Maji Albæ. De hoc Principe, aut ſi mâvis Rege, rebusque eo vivente in Hungarorum provinciis geſtis, prolixè egit, *Iſtvánfi Lib.* 14 - - - 24. *Toppeltinus p. m.* 220. *ſeqq. Wolffg. Bethlen.* Articulo denique Diætæ Anni 1571. Feſto B. Eliſabethæ, Claudiopoli, celebratæ, notatur: *Qui Principem defunctum injurioſis verbis laceſſiverunt, re per Inveſtigationem Officialium comperta, à Directore evocentur, cunctique Flor.* 200. *puniantur.*

§. CVI.

2. FERDINANDVS, in ſerie Hungariæ Regum ac Imperatorum *Primus*, Iſabellæ ac Joan. Sigismundi imperium, ab Anno 1550. ad An. 1556. (§. CV. *n. b. c.*) jure ſuo dominandi interſecavit, intereaque Transſilvaniam per Wajvodas (§. XCIX. *n.* 23. 24.) adminiſtravit.

a. Ferdinandus quidem non cum titulo Principis Transſilvaniæ, ſed Regis Hungariæ, Provinciam, tanquam membrum antea Regni Hungariæ, tenuit: nihilo tamen minùs avulſam abs Hungaricâ regiminis formam, vti prædeceſſor ejus ſervavit. Legitimum verò eum fuiſſe Trans-

ſilva-

ſilvaniæ Dominum, præter juramentum in fidem ejus præſtitum, publicaque Comitia nutu ejus celebrata, teſtatur indubiè *Articulus* Anni 1556. 25. Novembris, poſt exutum Ferdinandi imperium, conditus, quo ſtatutum fuit, vt *Literæ Cauſales Ferdinandi Regis in vigore maneant, Sententiæque, licet penes Iſabellæ Reſuſcitatorias, exſequi poſſint.*

b. Conditiones, quibus Transſilvaniam Ferdinando Iſabella ceſſerat, erant, vt: 1. Sacram Coronam Hungariæ ceteraque Inſignia, Budâ ſecum huc delata, Legatis Ferdinandi tradat, Caſſoviamque Civitatem in Hungaria reſignet. 2. Traditâ Ferdinando Transſilvania, centum millia aureorum numorum *Dotis nomine*; vnà cum patrimonio Joan. Sigismundi in Hungaria opulentiſſimo; & Ratiboriæ Opuliæque in Sileſia Ducatibus, quorum annuus reditus 25000. aureorum conficeret, *conpenſationis loco*, accipiat. 3. Arctioris amicitiæ causâ, Joannam filiam Ferdinandi minimam, Joan. Sigismundus, dum ambo ad nubiles ætatis annos pervenerint, in conjugem habeat. Pactis conventis juramento utrinque confirmatis, Regina migravit Caſſoviam, quæ ei & filio, quousque omnia præſtarentur, pignoris loco, ad habitandum conceſſa erat; Dote verò perſolutâ, Anno 1551. in Sileſiam iter promovit.

c. Diſcedente Reginâ, rumoreque expeditionis Turcicæ (§. 105. *n. c.*) in provinciam advolante, Martinuſius, qui Reginam variis artibus Transſilvaniâ exgurgitaverat, apud Portam Ottoma-

toma-

§. 106.

tomanicam, culpam omnem in Reginam derivare, ſicque belli incendia, quantum in ſe erat, á patriâ avertere moliebatur; quod ſecùs ejus inimici interpretati, occaſionem arripuerunt conſilia in ejus perniciem agitandi. Cum igitur is, velut Transſilvaniæ Gubernator, præter Caſtaldi voluntatem non pauca ageret; *Joan. Baptiſta Caſtaldus* Ferdinandi Dux poſteaque Locumtenens, eidem Ferdinando denunciavit, eum, ſalvo Martinuſio, quietâ Transſilvaniæ poſſeſſione nunquam potiri: à quo accepit reſponſum, vt ſi ſublato Martinuſio, res in tranquillo futuras cenſeret; ageret, quod è republica fore videretur. Quum adeoque Martin. & Caſtaldus, Lippâ (pugnis cum Turcâ actis) in Transſilvaniam veniſſent cum copiis, eas in hiberna diſtributuri, ad Caſtellum Alvintz perventum eſt. Ubi Caſtaldus opportunitatem rei gerendæ ſe nactum videns, *Sfortiam Pallavicinum*, cum quo antea conſilium communicaverat, ad ſe vocatum, vt rem perficiat, hortatur. Adeoque, dubia adhuc matutinæ diei luce, conjuratis caſtellum, in quo Caſtaldus quoque hoſpitium habebat, ingreſſis, Martinuſius à Pallavicino & Marco Antonio Ferrario, qui Caſtaldo ab Epiſtolis erat, quique primus pugione jugulum transadigerat, & aliis decem numero conjuratis, glande trajectus, multisque vulneribus confoſſus, A. 1551. 13. Dec. quo ad comitia Marus-Váſárhelyum indicta proficiſci volebat, è medio ſublatus eſt. Quo nuncio Siculi ad M-Váſárhelyum perterriti, tantùm non in Caſtaldi caput conjuravêre. Cadaver multis fœdè confoſſum vulneribus, inhumatum in veſtibulo ejus cubiculi ad meridiem ſiti,

in

§. 106. n. 3.

in quo erat occisus, jacuit, nec nisi ad initium Martii, tumultuario funere, à Sacerdotibus Collegii Albensis in Basilica D. Michaëli sacra tumulatum est. Vide prolixiùs *Istvánfi Lib.* 17. & conf. §. 105. *n. a.* Variâ post cum Turcis vicissitudine bella gerebantur. Ferdinandus interea, vt Provincialium animos demereretur, Andream Báthori Transsilvaniæ Wajvodam constituit.

d: Anno 1550. Ferdinando cum Turcis bellum in Hungaria gerente, *Elias Moldavus*, per angustias alpis *Ojtoz*, cum suis & Turcicis copiis, quæ è tumultuario militum & agrestium numero constabant, in Siculiam irrupit, ac castra ad pagum *Torja* locavit; è quibus repentè equites prædatorios, in Sedes Kézdi, Orbai & Sepsi misit, & eas longè latèque depopulari jussit. Prasmarum quoque Oppidum, & Melimontem (Hung. *Szász-Hermány*) pagum, Districtûs Barcensis, injectis ignibus concremari, ac ex eorum agris, pecorum atque hominum haud contemnendam abigi curare ausus est. Jussu proinde Castaldi, quibusdam provinciæ partibus celeriter ad arma convocatis, ac *Baptista & Felice Comitibus ab Arco* (quos Castaldus cum suis Legionibus Germanicis in Civitatem Coronam miserat, si Valachi in ejus fines irrumpant, vt eos reprimerent) vt è Coronâ cum militibus adcurrerent, admonitis, hostes cum prædâ antecedentes prosecuti sunt. Ii præcipiti fugâ transcendere alpes contendebant; sed quum variarum rerum prædâ onusti, ac viarum quoque & alpium asperitate impediti, lentiùs, quàm volebant, iter facerent,

magna

§. 107. 3.

magna eorum pars, qui in postremo erant agmine, interfecta est, prædaque ab iis omnis recuperata. Vid. *Istvánfi* Lib. XVII. ad An. 1552; at *Annales Templi Coronensis*, propiores scil. testes, ad An. 1550. referunt.

e. Anno 1552. Jussu Ferdinandi, *Paulus Bornemisza* Episcopus, & *Georg. Verbner* Consiliarius, de proventu Cameræ Transsilvanicæ Inquisitionem peregêre; qua, res memoriâ dignæ haud paucæ comprehenduntur. *Conf.* denique §. 105. *n. d.*

§. CVII.

3. STEPHANVS BÁTHORI *de Somlyo*, An. 1533. die Divi Cosmæ natus (§. CIII. *n.* 2. *b.*) & *pedo* à magnis pedibus dictus, Transsilvaniæ Wajvoda antea à Maximiliano, cum Joan. Sigismundo bellum gerente, designatus, ac An. 1571. 25. Maji, Wajvoda Transsilvaniæ, Comes Siculorum & Partium Regni Hungariæ Dominus salutatus, Principali potestate Provinciæ dominatus est, ad An. 1576. 28. Jan. quo in Comitiis Megyesensibus faces reipublicæ posuit, solium Polonicum conscensurus. fasces

§. 107.

a. Joan. Sigismundo mortalitatem exuente, ne quis Provinciam turbaret, *Christophorus Báthori* interimalis Gubernator constitutus est, dum defunctus humaretur. Variæ interea de successore eligendo disceptationes; quæ dum Christophoro Báthori nullam de successione spem facerent, omnem eo intendit curam, vt frater suus, *Steph. Báthori*, supremus tum Capitaneus Váradensis Princeps nominaretur. Die proinde 24. (non 23. vt *Ann. Temp. Coronensis* habent) *Maji* tumulato Jo. Sigismundo; luce sequenti *St. Báthori*, formæ ac staturæ dignitate, rebusque domi & foris præclarè ac prudenter gestis facilè omnibus anteferendus, publicis omnium suffragiis, *titulo* Wajvoda, *re* Princeps, renunciatus est. Mox ejus electio ab utroque Imperatore, Romanorum ac Turcarum confirmata est; à Maximiliano II. quidem ea conditione, vt se pactis nuperrimè initis accomodaret, quibus erat conventum, vt qui Joanni Sigismundo succederet, fiduciarii quidem Wajvodæ titulo, sub Cæsaris clientela esset, sed absoluta rerum omnium potestate fungeretur. Conf. quæ habet *Timon*, *Imag. Nov. Hung.* Cap. X. de Bathorio & Joanne Sigismundo. Item §. 270. *n.* 1. et. p. ~~[illegible]~~ 571.

b. *Caspar Békési* legatione Joan. Sigismundi apud Maximilianum II. agens, audita Principalis sui morte, in Transsilvaniam properavit, cum Literis Cæsaris ad Provinciæ proceres nonnullos datis, quibus, ut datæ fidei memores essent, admonebantur. Omnem Bekésius lapidem movebat Principatûs consequendi gratia, quum eum, velut dilectissimum suum Consiliarium, & Joan. Sigsmundus

dus ſucceſſorem denominaſſet. Ille igitur, ingentis repulſæ, quam tulerat, dolore, & iracundiâ exæſtuans, novoque Principi ſemet opponens, in arcem *Fagaras*, proprii ſcil. juris, quo theſauros ſuos, & multo maximam partem eorum, quæ Joan. Sigismundi fuerant, comportatos condiderat, locúmque commeatu ad multum temporis ſuffecturo, ac non contemnendo egregiorum militum numero, munitiſſimam reddiderat, ſe recepit. Princeps interim diverſis injuriis ac æmulatione irritatus, arcem Fagaras, qua ſe Békéſius continebat An. 1573. tormentis verberari juſſit. Obſeſſus igitur, poſt aliquot dierum oppugnationem, cedendum arce duxit, & aſſumto in fugæ ſocium Stephano Rátz (Thrace) cujus virtuti & fidei plurimùm confidebat, conditisque in marſupium maximi pretii unionibus & gemmis, quæ Joannis Regis fuerant, ac alia pretioſiore ſupellectili, ſuis, vt arcem, quamdiu poſſent, omnibus viribus ſervare niterentur, juſſis, in tutum evaſit, quumque Bathorius fugæ ejus ignarus, neminem, qui perſequeretur, ſubmiſiſſet, per varios viarum errores, ad Cæſarem Pragam contendit. Paucis poſt diebus, obſeſſi, vitæ ac rerum ſuarum immunitatem pacti, arcem dediderunt. Békéſius verò, rebus fortunisque ampliſſimis exutus, aliquamdiu in aula Cæſaris exilium toleravit, ſeque certiore ſpe ſuſtentavit fore, vt ejus benignitate auxiliisque adjutus, in ſuam ditionem reduceretur. *Iſtvánſi Lib.* 24. 25.

c. Anno 1575. Békéſium Maximilianus cum exercitu in Transſilvaniam reducere ſtatuit, vt Bá-

thorius ab instituto occupandi Regni Polonici (quod Cæsari quoque ab alterâ Polonorum parte delatum erat) revocaretur; occultatis tamen consiliis, vt quasi Cæsare nequaquam conscio, solus Békesius, tumultuario irruptionis genere, expeditionem adversus illum suscepisse videretur. Békésius igitur in Transsilvaniam penetravit, & relicto Albæ (vbi Bathori tutus manebat) invadendæ consilio, ad Radnotum deflexit, ubi plurimi, qui clam ejus partes fovebant, ad eum armati convenerunt. Báthorius hostium irruptione auditâ, celeriter copias comparat; ad Fratrem Christophorum, vt præsidiarios Váradenses ad se dies & noctes properare jubeat, perscribit *cet.* Mehemetes Cunovitius pariter, Lippæ Præfectus, Báthorio quadringentos equites submittit. His auxiliis exercitum Békésii dissipat, fugat, interimit, capit, impedimentisque potitur. Partâ victoriâ, tantam in captos Transsilvanos severitatem Báthorius exercuit, vt multos Turcis in servitutem rapiendos permitteret; in Siculos verò perfidiâ notatos, eosque benè multos, partim suspendio ac capitis supplicio, partim aurium & narium mutilatione adimadvertit. Postea, publicis in Comitiis, Békési, & omnes ejus factionis homines, vt fuerunt: Balthasar Bornemisza, Paulus Csáki, Petr. Andrási, Fr. Alárdi, St. Dobrai, aliique complures, in *Nota perpetuæ* infidelitatis convicti fuerunt.

d. Anno 1576. 28. *Jan.* è Comitiis Megyesini celebratis, Steph. Báthori in Regem Poloniæ excitur; ideoque Provinciâ Christophoro fratri traditâ, cum 4000. militibus, quorum dimidia pars

ex

ex equitibus, altera ex peditibus ſelectiſſimis conſtabat, tranſitis alpibus Ajtoſſiis (*Ojtoz*) in Poloniam iter ſuſcepit, paucosque poſt dies, prodeuntibus ſibi cum exercitu obviam ſuis ſuffragatoribus, Cracoviam pervenit, Regiumque faſtigium 1. Maji attigit, & matrimonium poſtea cum *Anna Jagellonia* iniit. *Vid. Iſtvánfi Lib.* 25. Oratione in Conventu Polonico habitâ, hæc & ſimilia fatus eſt: *Neque antequam à vobis in has terras invitatus veniſſem, victus & amictus mihi defuit unquam: honeſto loco natus, libertatem meam ſemper amavi, quam nunc etiam tueri eſt animus; volo itaque regnare, volo eſſe Rex, non fictus, pictus; ſed verus, bonis bonus, malis malus.* Nec ſic denique Transſilvaniæ curam exuit; at titulo *Wajvodæ* Chriſtophoro relicto, ipſe *Principis Transſilvaniæ* nomen uſurpavit, imperiumque tenuit, teſtibus *Statutis Saxonum* (§. 154. *n.* 1.) á Stephano jam Poloniæ Rege, Anno 1583. confirmatis. vid. p. 571.

e. Steph. Princeps & Rex clariſſimus, Stephani Palatini Hungariæ filius, & Stephani itidem, qui A. 1444. ad Varnam occubuit, nepos, A. 1586. 13. Dec. naturæ conceſſit. Fuit vir ſcientiis optimè imbutus, quas potiſſimùm hauſit in Academia Patavina, ubi amicitiam cum Joanne Zámoſci Polono, cujus opera Coronam Polonicam adeptus eſt, contraxerat. Ejus orationes Epiſtolæque à *Menkenio*, A. 1703. in 8. Lipſiæ editæ ſunt. Hujus inventum fuiſſe fertur pyrobolus (*Bombe*) bello Moſcovitico expugnandis ligneis arcibus adhibitus. Hiſtoricus Principis fuit *Joannes* Michaël *Brutus*. *Vid. Iſtv. Lib.* 31.

§.108.XVI.2.

§. CVIII.

4. CHRISTOPHORVS BÁTHORI de Somlyó Wajvoda sive Princeps Transsilvaniæ ab Anno 1576. ad An. 1582. quo vivis excessit.

Anno 1576. 28. Jan. Megyesini, *Christophorus* fratri in Wajvodatu, Statuum votis & Stephani commendatione, successit, ea auctoritate, vt tam Expeditiones alias, quam Donationes, sub proprio sigillo conferre possit. *Art.* Christophorus, Stephano Regi auxiliatrices contra Moscovitas copias, non sine magna earum diminutione misit. Societatem Jesu A. 1579. in Transsilvaniam introduxit. *Sigismundus*, Christophori ex *Elisabethâ Botskai* filius, nono ætatis suæ, Christi verò Anno 1581. 1. *Maji*, ad intercessionem Patris & Stephani Regis Poloniæ, in Wajvodam sive Principem Claudiopoli eligitur, ea conditione, vt adulta ætate juramentum præstet, simulque id eidem per Status præstetur. Christophorum denique inclementioris podagræ ac articulorum dolores An. 1582. 27. Maji è vivis exemerunt; cui Albæ Juliæ sepulto, Stephanus frater, è Polonia advectus, magnificentissimis exequiis parentavit, tutoresque ex Proceribus puero educando ac Provinciæ administrandæ, *Alexandrum Kendi*, *Lad. Sombori* & *Wolfg. Kovácsotzi* constituit. Symbolum Principis fuit: *Virtus unita valet.*

§. CIX.

5. SIGISMVNDVS BÁTHORI, Christophori filius, An. 1572. M. Apr. natus, in ipsa puerili ætate Patre quidem est orbatus; Tutore tamen *Joanne Gétzi*, Litteris elegantissimè excultus adolevit: sed quia puerili ætate gubernacula Provinciæ An. 1588. capessivit, pueriliter quoque Rem gessit publicam ternis vicibus animo inconstantissimo adsumtam; donec An. 1602. Transsilvanos in perpetuum deseruit.

1. Memoriæ proditum est, Sigismundum nascentem, volam sanguine plenam ex vtero Genitricis eduxisse; & insuper, ipsa nativitatis illius hora fastigium Turris Váradensis se acclinasse: quæ portenta prodigiaque multi interpretati sunt in præsagium bellicosæ, sangvinolentæ mutabilisque naturæ & vitæ Sigismundi, vt & mutationum Transsilvaniæ. Vid. plura apud *Wolf. Bethlen*, pag. 296. Puerum, Patres Societatis Jesu, Scientiis & cumprimis Lingvâ Latinâ, diligentissimè imbuerunt.

2. Cum Tutores Sigismundi (§. 108. *n. a.*) inter se dissiderent, & frequenter abessent, differendoque & in mutua consilia rejiciendo, rebus expediundis moram injicerent; abdicatis tribus iis, in Comitiis An. 1585. 9. Maji Albæ habitis,

§.109. [illegible]

Joannes Getzi, qui poſt amiſſam Gyulam ſe in Transſilvaniam receperat, *Gubernator* conſtitutus eſt. *Art.* Ille concreditam ſibi Transſilvaniæ curam ac pupilli tutelam, ad An. 1588, regiâ auctoritate adjutus, egregia fide adminiſtravit: accitis ex Italia viris eruditis, literis Sigismundum imbuendum curavit, (Hinc Lingvæ Italicæ peritis, ejus ille peritus, non modicum favebat) & ad futuras ejus neceſſitates ingentem pecuniæ vim in ærarium repoſuit. At An. 1588. 8. *Dec.* in Comitiis Megyeſum vocatis, Sigismundus jam ex ephebis egreſſus, depoſito juramento, actualis Princeps creatur; Getzius officio renunciat, & Generalis Regni Capitaneus ac Supremus Conſiliarius, ſed belli ſolùm tempore auctoritatem habiturus, declaratur, (*Art.*) annoque 1589. 7. Jan. moritur.

8. *Mortuo Getzio*, Viro optimo, non diu Transſilvania halcedoniis uti potuit: Sigismundus enim à Turcica ſocietate deſciſcere laborans, & Romanorum Imperatoris protectionem ambire volens, multos è Procerum ordine repugnantes invenit. Princeps proinde, vt ſecuritati ſuæ conſuleret, ab Alberto Huttero Judice Regio Cibinienſi admonitus, ideoque metu perculſus, peregrinationem, experientiæ gratia, in Italiam ſuſcipiendam decrevit, & in Comitiis Tordam indictis, relicto pro *Gubernatore* Provinciæ *Balthaſare Báthori* patruele ſuo, ac Statibus vale impertito, Novam Arcem indeque Kövárum, cum pretioſiore ſupellectili diſceſſu fugæ fermè ſimili, conceſſit. His cognitis, Steph. Botskai, Principis avunculus, Supremus Capitaneus Vá-

ra.

§. 109.

radensis, cum aliis Proceribus (*Vid. Mikó*) Principem convenit, ac eum ad reditum hortatus est. Princeps igitur animum mutavit, & de communi sententia Kőváro reductus, juxtaque Szamosfalvam a cohorte splendidè instructa exceptus, Claudiopolim, vbi Comitia habebantur, 28. Aug. An. 1594. intravit, ibique sollemniter acceptus est.

4. Sequente die Dominico, cum se ad Sacra profecturum simulasset, Proceres complures non quidquam mali suspicantes, in Domo Senatoria, intercipi jussit, & de iis, paucis interpositis diebus, capitale supplicium sumsit; de iis scilicet Viris primariis ac eruditis, qui prudentiâ ac dexteritate singulari, pacatam inter utrosque Imperatores Transsilvaniam moderabantur. Publicis tandem Comitiis An. 1595. 16. Apr. miro præposteroque judicio, jure cæsos fuisse pronunciatum, idque publicis Comitiorum decretis insertum est. Extractus *Articuli* sic habet: „*Stephanus Bátori*, *Balthasár Bátori*, *Wolf. Kovássótzi*, „*Alexand. Kendi*, *Franc. Kendi de Radnót*, *Joan.* „*Forró*, *Joh. Gerendi*, *Albertus Lónai*, *Balth.* „*Szilvási*, *Dionys. Tamásfalvi*, *Joh. Isiu*, *Gregor.* „*Deák de Sz. Egyed*, *Joh. Bornemisza*, *Ladisl.* & „*Georg. Szalántzi*, *Nicolausque Pávai*; eo, quod „Principem Sigism. Bátori proditoriè in „manus Turcæ assignare intendissent, deque „alio Principe (*Balt. Bátori*) eligendo consultassent; nec non *Andr. Bátori* Cardinalis (*Sigismundi patruelis & Balthasaris frater*) eo, quod „illis consensisset, Literasque diffamatorias contra Principem promulgasset, Notam & Pœ-

Egyed Gávai

§. 109.

„ nam infidelitatis incurrunt. „ Ex iis *Balthaſar Bátori* in Nova Arce Samuſiana (Alii Huſztini volunt) ſuſpenſus. *Wolf. Kovácsótzi*, & *Fr. Kendi* Gyaluini; ſequenti verò ſtatim die Lunæ, *Al. Kendi*, *Jo. Iſtu*, *Joan. Forró* & *Gr. Deák*, in foro Claudiopolitano*, decollati ſunt, ante ſolis aſpectum. Hæc omnia conſiliis Stephani Botskai, Chriſtophori Deák, Caſparis Sibrik, Franciſci Geſzti, Caſparis Kornis, Steph. Jóſika, Alb. Hutteri, aliorumque, Principem patraſſe *Mikó M. S.* teſtatur. *NB.* Gerendi, Lónai, Szilváſi, & Szalántzi ex iis vitâ donati fuêre.

5. An. 1595. Sigismundus, per Stephanum Botskai & Legationis ejus ſocios, fœdus ſolemne cum Rudolpho Imperatore iniit, ſub Januarii finem.+ Præcipua fœderis puncta his abſolvuntur: 1. Sigismundo *Illuſtris Principis* titulus, cum *Aurei Velleris* torque; & Transſilvania omnis cum ea parte Hungariæ, quam ei attiguam hactenus poſſediſſet, ac Moldavia & Tranſalpina, quarum Wajvodæ à Turcis receſſerant, ſeque Sigismundo ſubdiderant, abſoluto jure ei concedebantur, ſic, ut decedente eo absque hæredibus eæ provinciæ rurſus ad Hungariæ Regnum absque omni controverſia redigerentur. 2. Conjux illi dabitur ex Aug. Domo AVSTRIACA. 3. Si fors Sigismundo ab hoſtibus, quod Deus avertat, ejecto, ſolum foret vertendum, Cæſar locum certum ſecurumque, cum reditibus, quibus cum dignitate ſe ſuſtentet, dabit. 4. Cæſar Conſilio, pecuniâ, armis, exercitu juvare eum non deſinet. *Vid. pleniùs Iſtvánfi Lib. 29.* Hanc confœderationem, Status Transſilvaniæ,

An.

+ vid. p. 571.

§. 109.

An. 1595. 16. Apr. in Comitiis Albenſibus, ea lege acceptant, vt tunc ſolùm Conditiones vim obligandi habere poſſint, dum *Maria Chriſtierna* Caroli Archiducis filia in Transſilvaniam deducta fuerit. *Art.* Scilicet, fœdere memorato peracto, Stephanus Botskai, Græcium profectus, Chriſtiernam, filiam Caroli in Stiria dominantis, ſingulari elegantiâ virginem, ac latinæ lingvæ peritam, Sigismundo deſponſavit: quæ M. Auguſto in Transſilvaniam deducta, 5. ejusdem, ſollemni pompâ Principi juncta eſt. Princeps dein ſub finem Auguſti ſocrum viduam, quæ, cum præcipuis viris, (*Vid. Timon Imag. N. Hung. Cap.* 16.) filiam in Transſilvaniam comitata erat, excultam donis dimiſit; cum ipſe eam Enyedum uſque, nova verò nupta Taſnadum comitata fuiſſet. *Iſtv. Lib.* 29.

6. Sigismundus interea, [redacted] Valachiæ & Moldaviæ Wajvodis in ſuam Clientelam vocatis, vt jugum Turcicum excutiant, perſvaſerat, ipſeque bellum Turcæ circa Lippam intulerat. His rebus auditis, Sinanus Baſſa rebus in Aſia & Africa geſtis clarus, magno coacto exercitu, animo Transſilvaniæ & Valachiæ provinciis priſtinum jugum imponendi, Conſtantinopoli ſe movit. Sigismundus igitur, poſt peractas nuptias, *Benedicto Mindſzenti* Siculorum Prætori, Balthaſari Bogáti & Wolfgango Kornis, in mandatis dat, vt omnes Siculos ad *Fekete - Halom* (Zeiden) Oppidum Barcenſe convocent, amiſſasque libertates priſtinas (§. 105. *n.* 5.) ſuo nomine ipſis promittant, ſi quàm promtiſſimos ſe ſe ad communem Reipublicæ defenſionem præſtiterint.

Si-

§. 109.

Sigiſm. 27. Aug. motis Albâ caſtris, ad *Fekete-Halom* ſextis caſtris initio Septembris pervenit, eoque plures Duces cum turmis & cohortibus, Germanorum, Hungarorum, Coſacorum, Valachorum, *cet.* advolarunt; Siculi quoque dulcedine libertatis illecti 24000. (17000. W. Bethlen ſcribit) ad caſtra venerunt: tanta eorum promtitudine collaudata, libertatem eorum reſtituit. *Vid. Iſtvánfi Lib.* 29. *Timon l. c.* Poſtea ad caſtrum *Törts*, indeque ſuperatis alpibus, 4. Octobris ad Ruccam, vicum Valachiæ, perventum eſt: ibi copiæ, in 9. agmina diviſæ, recenſitæ, 20000. equitum & 32000. peditum conſtituebant. Sinanus metu perculſus, Tergoviſtâ Bucureſtum cum exercitu ſe recepit: Tergoviſtum Siculorum multis promiſſis animatorum virtute expugnatur. Sinanes Bucureſto Girgionem (*Giergyo* Valachiæ) versùs fugit, quæ pariter expugnatur. Eodem tempore arx quoque *Jenö*, inter Lippam & Váradinum ſita, ordinum ductoribus *Georgio Király*, *Georg. Borbely*, & *St. Békéſi*, expugnata; unde magnus gaudii cumulus ad lætitiam Sigismundi acceſſit. Hæc ea eſt arx, quam ſæpe poſtea à Transſilvanis Turcæ repetebant. Sinanes re malè geſta Conſtantinopolim mœſtus rediit; ibi à Mahomete aſperè tractatus, præ ira in morbum mortiferum incidit. Sigismundus verò præliis ex ſententia geſtis ſpoliisque convaſatis domum repetit; M. Novembri Coronam pervenit, ibique paululùm recreatus, Albam petit: priusquam domum ſuam intravit, in æde D. Michaëlis Deo O. M. gratias debitas perſolvit. Eodem 1595. anno, 3. Dec. in Comitiis Albenſibus, „ Sta-

„ tus

§. 109.

„ tus Transſilvaniæ Sigismundo de excuſſa Tur-
„ cæ tyrannide, & novo fœdere cum Chriſtia-
„ nis inito, ſuæque Ditionis glorioſa extenſio-
„ ne congratulantur. *Art.* His Comitiis, liber-
„ tas Siculorum plebeorum à Sigismundo ante
„ expeditionem reſtituta, denuò ſublata eſt.
„ *Summa Articuli*: „ Controverſia inter *Donata-*
„ *rios* & *Plebem* (Siculorum) quæ antea in Job-
„ bagionatum Nobilibus collata fuerat, ſed Sigis.
„ mundus Báthori Nova Donatione conditiona-
„ tè reddiderat ipſis libertatem, coram Principe
„ ſuborta, & per Principem in præſentiam Sta-
„ tuum, vt judicialiter definiatur, remiſſa, eo
„ modo deciſa fuiſſe declaratur, quod Donatio
„ *Nobilium* velut prior, & per Principes legiti-
„ mos facta ſubſiſtere, *Plebis* verò, quæ poſte-
„ rior eſt, invalidari debeat, ipſique Plebei in
„ priſtinum ruſticitatis ſtatum redigantur, & Do-
„ minis ſuis Terreſtribus reſtituantur, maximè
„ eo, quod Conditiones Libertatis per Novam
„ Donationem obtentas multifariam violaſſent;
„ Domos, Hortos, Molendina, Piſcinas, Sil-
„ vas vetitas *cet.* Nobilium invaſiſſent, deva-
„ ſtaſſent & occupaſſent. *Vid. Iſtvánfi*, *Timon*, ll.
cc. & *Mikó M. S.* qui victoriam de Sinane re-
portatam exilem admodùm fuiſſe prædicat.

7. Similibus præliis in Hungariæ finibus Sigismundum Turcas ſuperaſſe quidam tradunt, quibus fidem conciliat Articulus An. 1596. 21. Apr. in Conventu Albenſi conditus, quo *Principi*, *de profligato Turcæ exercitu, & de ſuſcepto Viennam felici itinere & reditu Status & Ordines publicè denuò congratulantur.* Hoc enim anno Sigismundus ad

Cæ-

§. 109.

Cæsarem venerat, & licet variolis adfectus Pragæ decubuerit, Ministrorum tamen operâ, de bello adversùs Turcas gerendo cum Cæsare tractavit. Fertur præterea duo difficillima negotia Cæsari insinuasse, *unum* de permutanda Cæsarique reddenda Transsilvania; *alterum* de insperato conjugis divortio: non diu enim eam in oculis tulit; licet & formâ & moribus lectissimis excelluerit. Sed à Cæsare ab incepto gravissimis verbis dehortatus fuit. Absente Sigismundo, Siculi plebei in pristinam servitutis conditionem relapsi (§. 105. *n. f.*) arma ceperant; quos Steph. Botskai, antequam omnes convenire in castra possent, coactis copiis, Duce *Georgio Ravaszdi*, ad Oppidum Csik-Szereda prælio fudit, variisque suppliciis adfecit, & plures auribus ac naso mutilatos dimisit. *Istv. Lib.* 30.

8. Principio anni 1597. Sigismundus è Transsilvania cum splendido comitatu Pragam venit, quem licet Cæsar à tradendæ Transsilvaniæ consilio modis omnibus dehortatus fuerit: quum tamen nullis rationibus expugnari posset; Cæsar, ne insignis Provincia in exterorum, cum quibus se transacturum Sigismundus adfirmabat, potestatem deveniret, ad conditiones descendit. Harum præcipua erat, vt Cæsar Sigismundo Oppolitanum Ducatum, pro Transsilvania, traderet, ac 50000. aureorum numorum duabus pensionibus supperadderet. *Reliquas vid. apud Istv. l. c.* Cæsaris proinde Legati, *Steph. Zuhai* Episcopus Vaciensis, *Barthol. Petsi* & *Nicol. Istvánfi* Albam Juliam venêre, ubi initio Aprilis Anni 1598, publicis in Comitiis, *Steph. Botskai* & *De-*

me-

S.109.

metrius Náprádi Antiſtes Albenſis, cum Proceribus Provinciæ, & Hungaris, Siculis, Saxonibusque Transſilvanis, Sacramentum Cæſari, & quem ſui loco principem ſtatuerit, ſollemni more præſtiterunt. Legati dein Cæſaris in hæc fere puncta, nomine Auguſti, jurarunt: 1. Omnia jura, libertates, privilegia, donationes, *cet.* ſarta tectaque conſervabuntur. 2. Ritibus quatuor receptarum Religionum (§. 222.) Superos colere fas erit. 3. Bonis Fiſcalibus è patriæ civibus Proviſores præficiuntur. 4. Conſilium XII-Virale ex Indigenis, nequaquam immutabitur. Poſtea Sigismundus exiguo comitatu ſecum ſumto, conjugeque Kövárini relictâ, in Sileſiam ivit, non diu ibi permanſurus. Dum enim Maximilianum Archiducem Auſtriæ, in Transſilvaniam bello Turcico imminente perterritam repetitis vicibus vocatum, Provinciam intrare velle cognoviſſet: protinùs mutata veſte, ac diſſimulatâ perſonâ, Sileſiâ Transſilvaniam, ejus repetendæ avidus, de improviſo venit, conjugem reditum ad matrem parantem ſimulatis blandimentis ad ſe allexit, Principatum operâ Botskaii aliorumque iterum ſibi vindicavit, & paulo poſt in Conventu Tordenſi, denuò ad regendam Provinciam juravit.

9. Anno 1599. Sigismundus, cum Cæſare, quibus poſſet conditionibus, in gratiam redire conſtituit, miſitque ad Cæſarem Legatos Pragam; ſed ipſis munere fungentibus, mutatâ ſententiâ, Andream Bathori Cardinalem & Epiſcopum Varmenſem, patruelem ſuum, cum quo antea capitalibus odiis diſſidebat, per occultiores nuncios

ad

§. 109. ...

ad ſe ſub fide evocat, & Provinciam certis conditionibus ei offert. Is ſimulato mercatoris habitu Menſ. Februar. in Transſilvaniam pervenit, cum quo Sigismundus his conditionibus tranſegit, vt: 1. Cardinalis ei quotannis, ubicunque gentium foret, 24000. aureorum exſolveret. 2. Urbs *Biſtricia* (ſed de hac controdictum à Saxonibus jure meritoque, vt videre eſt *in Hiſt. Wolf. Bethlen*, p. 689.) cum territorio ac decimis fructuum, præterea *Véts* & *Sajó*, cum Decimis locorum *Buzd*, *Aſzſzonyfalva*, *Bogáts* & *Ekemező* Sigismundo cederent. Acta ſunt hæc in Comitiis 21. *Mart. Megyeſini* celebratis; quorum *Articuli* docent, Sigismundum, ex eo, quod rebus Regni inter duos Cæſares (quorum gratia is ceciderat) arduè vertentibus præeſſe ampliùs impar fuerit, Principatum reſignaſſe, & *Andream Bátori* in locum ejus electum. Sigismundus igitur conjugem ſterilem à ſe ad matrem dimiſit, & ipſe itinere per Moldaviam facto ad Samoſcium, apud quem antea ſoror ejus in matrimonio fuerat, in Poloniam ſe ſubduxit.

10. Occiſo Cardinale, pulſoque Michaële Wajvodâ, An. 1601. 21. Jan. Comitia fuêre habita Claudiopoli, & Articuli conditi ſub confirmatione *Stephani Csáki* de Kereſztſzeg, Generalis Capitanei Transſilvaniæ, quibus nullâ habitâ ratione Legatorum Pragam miſſorum, per quos Transſilvani debitum Clientelæ obſequium Cæſari offerebant, Sigismundum Principem denuo tertiùm proclamant. Is proinde ex Moldavia in Transſilvaniam venit cum Polonis & Moldavis ad occupandam Provinciam, & ingreſſus Claudiopolim,

lim, IV. Nonas April. Sacramentum dixit. Sed brevi inquietoque Principatu ufus eft. Rudolphus enim, expeditis adverfus eum Georgio Bafta & Michaële Valachiæ Wajvodâ, ad vicum *Gorofzló* (*Dorofzlonem* Iftvánfi vocat) acerrimo prælio vicit: 10000. ex parte Sigismundi occubuêre, vexilla 130. amiffa & 45. tormenta currulia. *Vid. Iftvánfi. Lib.* 32. *Mikó ad An.* 1601.

11. Poftquam Bafta, expugnatis Transfilvaniæ fortalitiis, Sigismundum pluribus rerum difficultatibus fatigaffet, is 1. Mart. 1602. nuntios ad Baftam Defii in caftris morantem mifit, per quos inducias duorum menfium impetravit, vt interea Legatum ad Cæfarem pro renovanda pace mitteret. Quo facto, Sigismundus & Bafta Claudiopolim convenêre, & in Conventu publico, ille Provinciâ ceffit, hic verò eam accepit nomine Cæfaris gubernandam. Sigismundus adeoque, 26. Jul. Provinciâ egreffus, in arce Lobcovitia Bohemiæ, quam cum 50000. aureorum penfione à Cæfare acceperat, fedem conftanter fixit. Obiit An. 1613. 27. Mart. poftquam ingentes calamitates inconftantiâ fuâ & vario mirè animo in patriam invexiffet.

§. CX.

6. RVDOLPHVS II. Rom. Imperator, ante & poft *Andream Ba'tori* Cardinalem, Transfilvaniam jure legitimo poffedit à *Sigismundo Bátori* fibi traditam:

§. 110 ...

anni, quibus Provinciæ dominatus eſt, 1598, 1602, 1603 & 1604. at nec ii integri, fuêre. Cæſaris verò in Provincia Locumtenentes GEORG. BASTA & MICHAEL Valachiæ Transſalpinæ Wajvoda, crudeles ambo, functi ſunt. Vitæ ſuæ amiſſione MOSES SZEKELY Principatum An. 1603. involare tentavit.

a. Rudolphum legitimum Transſilvaniæ Imperantem fuiſſe, præter homagium An. 1598. eidem Auguſto per Provinciales præſtitum, teſtantur Articuli Diætales, ſub nomine & confirmatione Cæſarei Locumtenentis Georgii Baſta conditi; vt videre eſt in *Articulis* Anni 1602. 23. *Auguſti* & 10. *Dec.*

b. An. 1598. dum Sigismundus Rudolpho Transſilvaniam tradidiſſet, Legati Cæſaris Transſilvaniam per aliquot hebdomadas adminiſtrarunt §. 109. *n.* Poſtquam veró Michaël Wajvoda tyrannidem occupaſſet, vt infra dicetur, preſſi innumeris malis Transſilvani Georgium Baſtam Commendantem Cæſaris Caſſovienſem in auxilium vocavere: quo audito, ad arma ſe Michaël parare cœpit, adſcito etiam in ſocietatem Siculorum plebeorum, quos ad libertatem convocaverat (§. 111. *n. b.*) exercitu, caſtraque ſupra Oppidum Enyed ad pagum *Miriſzló*, penes rivulum Ola-Lapadino in Maruſium decurrentem collocavit. Baſta interea cum 6000. armatorum Tordam pervene-

rat,

§. 170.

rat, & cum copiis Transsilvanis 6000. circiter armatis constantibus, Ducem belli Stephanum Csáki sequutis, suos conjunxerat, & supra salis emporium Mirisżloense in extremo campo pagi Détse castra posuit. Basta igitur, 18. Sept. An. 1600. in conspectum hostium exercitum duxit, vt hoc modo copias Michaëlis, in queis 22000. militum è diversis nationibus collecta esse dicebantur, ad patentiores campos eliceret; pedemque simulata fugâ pedetentim referre cœpit. Ea re visâ, hostes retrocedere, non exspectato tentamine, existimans Michaël, insistere fugientibus equitatum jubet. At ii citius opinione, postquam versùs Détse fugissent, frontem obvertunt. Fit pugna acerrima; magna Valachorum pars concidit, pars se in Marusium præcipitat, Michaël quoque ab iratâ fortunâ desertus, cum paucis equitibus Albam Juliam versus effugit, ubi paululum moratus, donec alium equum conscenderet, resque suas quasdam cariores ad se reciperet, fugâ continuatâ ad Fagaras, indeque Coronam se recepit, & paulo post Tergovistiam pervenit. Pulso Michaële, Comitia 25. Octob. Létzfalvæ habita sunt, quibus ad Imperatorem Rom. Legati deputabantur, fine suscipiendæ administrationis Transsilvaniæ, quod Michaël ejus auxilio pulsus fuerit. Ibidem decretum est, vt vniversi regnicolæ diem 18. Sept. quo Michaël debellatus est, pro sollemni festo annuatim celebrent, sub pœna flor. 12. *Vid. Art.* Bello feliciter gesto, remunerationem laboris, & fidem Provincialium Cæsari obligandam, Basta poscebat: at, cum nihil præter Devam, nec ea aliter, nisi Sigismundo Bátori Principi reducendo fidelem se fu-

turum ſponderet, promitteretur, exacerbatus Hungariam rediit. *Vid. Iſtv. Lib.* 32. & *Mikó.*

c. Sigism. Batori ex Moldavia in Principatum A. 1601. reductus eſt, §. 109. *n.* 10. Interea Michaël Wajvoda Pragam ad Cæſarem A. 1600. venerat, cujus excuſationibus acceptis, ei muneribus exculto in mandatis Cæſar dedit, vt communicato conſilio cum Baſta, quo antea diſſidebat, recuperandæ Transſilvaniæ operam darent. Deterſis proinde odiis, Caſſoviâ moverunt, & adversùs Sigismundum progreſſi ſunt, victoriamque de eo ad Goroſzlonem (§. 109. *n.* 10.) reportarunt. Ventum deinde eſt Claudiopolim, vbi veteres inter Baſtam & Michaëlem ſimultates recruduerunt. Tordam uſque deinde delati; juſſu ibi Baſtæ, Michaël in ſuo tabernaculo 7. Sept. transfoditur. *Iſtvánfi l. c.*

d. Solus jam Baſta, à parte Cæſaris, exercituum Imperator, in Transſilvania rem adminiſtrabat, cumque Sigismundo aleam belli tentabat, ſed tantis licentiæ militaris & avaritiæ corruptelis, vt graviora ab ipſo Duce & militibus, quàm à barbaro quovis hoſte, omnes ætates & ſexus pati viderentur. Claudiopoli omne aurum & argentum, ac quidquid pretioſi erat, extorſit. Biſtricium, quo ſe complures Nobiles, eorumque conjuges & liberi, cum cariore ſupellectili, receperant, contra deditionis puncta, à militibus Baſtæ expilatum; Nobiles Vrbe excedentes omni ſubſtantia crudeliter ſpoliati, quidam vulnerati, quidam cæſi. Sig. Batori interim Coronæ ſe continebat. Crudeliùs omnia acta, quàm dici cre-

credique poſſit. Hac rapinarum feritate, adeo omnium animi á Germanorum Imperio abalienabantur, vt eorum vel nomine exhorreſcebant. Dura ſanè & miſerabilis adeo Transſilvaniæ facies erat, vt juſtas omnibus lacrymas excuteret. Ita enim alimenta omnia ac pecora direpta erant ac agricultura ceſſaverat, vt brevi poſt frumenti modius 25. & ampliùs aureis veniret, & miſeri homines, equorum, felium, *cet.* immò & hominum cadaveribus veſci cogerentur. *Vide & illacrima apud Iſtvánf. Lib.* 33. vt & *Betlenium aliosque ejus temporis Hiſtoricos.* Sigismundus adeoque his preſſus difficultatibus ultimò cum Cæſare tranſegit. §. 109. *n.* 11. *Vid. Mikó ad An.* 1602.

I. Fuêre, qui conditionibus Sigismundi cum Cæſare pactis non adſenſerunt, quos inter *Moſes Siculus* præcipuus exſtitit. Is ex Siculis aliisque gentibus collectis ad 5000. copiis, inter Albam & Portum Maruſinum, certamen conſeruit, ſed 3000. ſuorum amiſit, Maruſio imprimis hauſta. Moſes, amiſſis copiis, ad Turcas, cum conjuge, liberisque ſe ex fuga recepit, quem Gabriel Betlen & alii exules ſequuti ſunt. An. 1603. diplomate Turcico munitus, ac à Purpurato *Bektes*, Turcisque ac Tartaris comitatus, & per Portam Ferream ingreſſus MOSES SZÉKELY ſive Siculus intruſit ſe in Principatum, quem magna Nobilium Michaëlis Baſtæque crudelitate fatigatorum pars extemplò ſecuta eſt. Moſes taliter firmatus, Albam in ſuam poteſtatem redegit. Inde Claudiopolim deditione ſubegit, milites Germanos præſidiarios indemnes Szath-

marinum, quo Baſta exceſſerat, ire permiſit, PP. Soc. Jeſu expulit, *cet.* Pariter Biſtricium, Mediam, Tordam, Enyedum, reliquasque ferè omnes Civitates & Oppida ſibi aſſeruit. Itum deinde eſt Cibinium, quæ absque cunctatione portas aperuit. Interea *Radul* aliàs *Sorbán* Valachiæ Wajvoda, à Baſta requiſitus, ummum ſuum erga Cæſarem ſtudium teſtaturus, ſumma celeritate ac ſilentio copias collegerat. Cum igitur Moſes juxta Coronam Civitatem, ad officinam chartariam, quæ ab oriente eſt, caſtra haberet, Radul cum 4. equitum ac 6. peditum millibus, in Moſem ejusque Turcas, Tataros ac Hungaros 22. Quintilis irrupit.+ Non ſe Moſes animo demiſit, ſed dum omnia tumultu miſcerentur, à *Pana* Græco globo bombardæ interfectus eſt. Magna exercitûs pars periit. Hanc cladem vitioſe quidam ad Cibinium eveniſſe exiſtimant. Bectes poſt multos errores cum Tataris per Portam Ferream exiit; quem multi Proceres ac Nobiles Transſilvani, quos inter Gabr. Betlen eminebat, ſecuti ſunt. Betlenius ab exulibus Princeps electus eſt, quem Supremus Turcarum Vezirius 16000- Taleris donatum confirmavit; aſt invidiâ Balthaſaris Szilváſi, plerisque Proceribus à Betlenio abſtractis, is Principis titulum abjecit, nec cum auxiliaribus Turcarum copiis Transſilvaniam intravit. *Vid. Mikó.*

f. Sublato è medio Moſe, Baſta in Transſilvaniam venit; Claudiopolitanos, qui PP. Soc. J. Collegio ejecerant, pecuniâ mulctavit: ſed non minori, quàm antea, crudelitate, in omnes omnium facultates ſæviit, An. 1604. è Trans-

ſilva-

+ vid. 571.

silvania accitus, exercitui Superioris Hungariæ præfectus est. Abactis è Provincia pecoribus, homines ipsi Birotum vehere cogebantur, quod ex eo *Bástа Szekere*, i. e. currus Bastæ, audiebat.

§. CXI.

7. ANDREAS BÁTHORI S. Romanæ Ecclesiæ Cardinalis, cedente Sigismundo patruele suo, (§. CX. *n.*) Princeps salutatus, inter imperium Rudolphi, septem mensium intervallo Provinciam rexit, & post fusum à *MICHAELE Valachiæ Wajvodâ* Transsilvanum exercitum, in fuga An. 1599. 3. Novembris, in Sede Tsik, supra pagos *Szent-Damokos* & *Szent-Tamás*, occisus est.

a. Cardinalis initio sui Principatûs, officiosi leviri functus munere, Mariam Christiernam (§. 109. *n.* 5.) Provinciâ excedentem, curru eleganti & equis donatam, ad Oppidum usque Tövis (*Tuisſum* Istvánfi scripsit) comitatus est, seque pro iis Bonis, quæ ipsa à marito donativi nomine in Transsilvania obtinebat 15000. aureorum quotannis soluturum promisit. Postea, Legationem tam ad Michaëlem Transalpinæ Wajvodam, quàm Bastam Cassoviæ agentem, misit. Interea venit in Transsilvaniam *Germanicus Malaspina*

Episc. Casertanus à Clemente Pontifice M. missus, qui Cardinalem ad fœdus cum Cæsare feriendum cohortaretur. Michaël interim fraudis plenus, dimissis cum bona spe pacis Andreæ Legatis, copias, belli Turcis inferendi prætextu, coëgit.

b. Quum Cardinalis res Transsilvanicas per hunc modum in tuto collocatas existimasset, Comitia ad D. Lucæ festum Albam indixit, vt in iis fœdus cum Cæsare & Pontifice initum publicaret. Intento in hanc curam, subito à Coronensibus & Nobilibus Siculis nunciatur, Michaëlem cum magnis copiis Provinciam invasisse, castraque sua ad *Prasmarum*, Oppidum Barcense, locasse & *Bodolam*, vicum Joannis Béldi in Comitia profecti inflammasse. Accidit hoc circa 23. Octob. Michaël enim citra Cæsaris Rom. mandata, vt Transsilvaniam ejus Imperio in speciem, re autem vera, vt exitus docuit, sibi subjicere satagebat. Is proinde copias suas aucturus, per Legatos, ad castra sua, Siculos plebeos, cum amissæ libertatis (§. 105. *n. f.*) promissione invitavit. Paratos eos in Tribus Sedibus invenit; at Tsikenses & Gyergyoenses una sub conditione. Scilicet, Joannes Sigism. duas Siculis plebeis tumultuantibus arces opposuerat, unam *Udvarhelyensem*, *Székely-bánnya* (quasi dicas: *Siculum pœnitet*, aut convenientius, *Siculorum dolor*) irridenter nuncupatam. *Vid. Wolf. Bethlen Hist. p.* 220; alteram *Székely Támadt*, (h. e. Siculorum seditio) sic dictam in eorum ludibrium, (vid. §. 105. *n. f.*) in cujus ruderibus nunc *Várhegy*, vicus Sedis Sic. Sepsi conspicitur. Non prius

igi-

igitur hi Michaëlis caſtra ſequuti ſunt, quàm ipſis facultatem demolitionis Arcis *Székely-Támadás*, abolendæque ignominiæ Siculorum plebeorum indulſiſſet: hoc verò impetrato & confecto, promptos ſe præbuêre. His auditis, tumultuario exercitu ad Cibinium Cardinalis pervenit, quo & Michaël caſtra ſua promovit. Commiſſo 27. Octob. Cibinium inter & Schellenberg, in Borgenwieſen, prælio, quod a 7^{ma} matutina ad 3^{tiam} pomeridianam duravit, copiæ Cardinalis novem circiter millium, ab hoſte duplici ferè numero aucto, fuſæ ſunt. Cardinalis hora tertia pomeridiana, belli aleam metuens, ſaluti ſuæ fugâ conſuluit, relictis in pugna ſuæ parti addictis; qui tametſi fortiter pugnaverint, poſtremò terga vertere coacti ſunt, amiſſis 3027. ex ſuis; cum ex Valachis non ultra 200. deſiderati fuerint. Cardinalis, qui cum centum circiter armatis fugæ ſe commiſerat, ad Oltzinam, vicum Sedis Löſchkirchenſis, equum ſuum rebus pretioſioribus oneratum, in cœno lapſum, amiſit, nonnullisque ruſticis ingentes divitias reliquit. Inde ad Oppidum Udvarhely, poſtque Sedem Tsik pervenit. Valida interea Siculorum plebeorum manus, Bulgaris & Valachis ſeſe aggregans, (edictum enim *Michaël* de perdendo Andrea promulgaverat) juga, per quæ Cardinalem Moldaviam petere velle innotuerat, inſtigante *Blaſio Ördög*, obſederat. Cardinalis jam, famem ſitimque tolerando, ad locum *Naskalat* dictum (non ad Ajtoſſii montis radices, vt habet Iſtvánfi) pervenerat, & ad opiliones quosdam diverterat, ſeroque lactis ſitim extinxerat. Vix inde pedem movit, cum Blaſius Ördög Sicu-

lus Tsikienſis, ab opilionibus edoctus, veſtigiis Andreæ inſtitit, & eum, quia luna pernox erat, confeſtim adſequutus eſt. Solus *Nicol. Mikó*, ceteris fuſis fugatiſque, ex 100. comitibus, cum Principe erat: hunc Blaſius ejusque ſocii interfecêre. Princeps, quum ſibi cum atrocibus belluis rem eſſe vidiſſet, hoſtiles ictus ſtricto latiore gladio excepit; ſed inter pugnandum vulnus ei lethale in fronte illatum eſt, ac cum in humum exanimis corruiſſet, caput ei præciſum eſt, An. 1599. 3. Nov. (Ortelius perperam 9. habet) Abſciſſum Cardinalis caput, 9. Nov. ad Michaëlem à Blaſio delatum eſt Albam; cui *Florica* Michaëlis conjux ex vera commiſeratione, Michaël verò more crocodilino, his verbis illacrimati ſunt: *Szerakul Popa*! *Szerakul Popa*! i. e. miſer Popa. Blaſius nihil laudis, nihilque doni, quod non vivum intercepiſſet, retulit. Poſtea, truncus quoque corporis, quod in memoratis alpibus intactum repertum eſt, Albam adlatus, ſvaſu *Theodoſii Logofet* Cancellarii Michaëlis, magnificentiſſimo ſepulturæ honore, in Templo S. Michaëlis, 17. Nov. conditus eſt, non ſine multorum mortalium gemitu, qui illum vix 33. annorum juvenem, tam ſævo infortunio prorsùs indignum judicabant. Id ſanè memoratu dignum, quod Cardinalis, paucis ante prælium ſeptimanis, ſepulcrum ſua manu fabricaverat, quo oſſa fratris Balthaſaris, 4. antea annis, juſſu Sigismundi trucidati (§. 109. *n*. 4.) reponerentur; at id ſuo ipſius funeri inſerviit. Vnicus ejus digitus, quem annulo aureo adamantem gerente ornatum, Blaſius abſciderat, ſepulturæ honore caruit. Sed ad Michaëlem revertamur.

c. Poſt

c. Poſt adeptam victoriam, Michaël Albam 1. Nov. occupavit, ibidemque habitationem fixit; vbi & Comitia 20. Nov. celebravit. In his juramentum per præſentes pro fidelitate Vajvodæ præſtatur, per abſentes verò Nobiles præſtandum eſſe decernitur. Item, Donationes omnes, præter Sigismundi Báthori, Michaël confirmat, contributionemque tam Naturalium, quàm pecuniæ imponit. Teſtantur hæc omnia *Articuli* ibidem conditi, quos Michaël, ſub titulo, *Wajvodæ Transalpinæ, S. C. Regiæque Majeſtatis* (ſcil. Rudolphi) *Conſiliarii per Transſilvaniam Locumtenentis, ac cis* [illegible] *Transſilvaniam & Partium ei ſubjectarum fines Exercitûs Generalis Capitanei*, confirmavit. Cæſari ſcil. Transſilvaniam adquiſiviſſe jactitabat, Baſtamque Equ. Aur. Cæſaris Caſſoviæ Commendantem in Provinciam arceſſebat: at eo ingreſſo, reſtituere Transſilvaniam Cæſari abnuebat; ſed avarè & crudeliter imperitabat, inſolenterque provinciam expilabat. Ejus è ſævitia compacti milites, non ætati, non ſexui parcebant; Donationes, libertates, privilegia, provincialium nihili pendebant; Parochos quosdam ſuſpendebant, vt actum eſt, cum Matthja Heintio Paſtore Groſz-*Auenſi* in Sacrario Templi à Valachis ſuſpenſo; ſepulcra Principum manu ſacrilega violabant. *O tempora*! Surdo verò Michaëli querelæ canebantur; cum is, Poſſeſſiones Procerum & nonnullorum Nobilium, cum eorum Uxoribus & Donationibus, militibus ſuis donare non exhorruerit. Subditi quoque Valachi Nobilium, undique Dominos ſuos malè mulctarunt. Triſtiſſimum hunc Provinciæ ſtatum, alius non abſimilis, ſub Baſta, de quo §. 110.

n. d.

§.iii. N. 3.

n. d. diximus, excepit. Cuncta ſanè, quæ pati poterant, ſe perpeſſos Transſilvani meritò credebant. Vid. *Thuan. Hiſt. Lib.* CXXXI. CXXXIII. An. 1600. Provinciâ pulſus fuit Michaël, ejus autem uxor & Petraſco filius, quem unicum habebat, vincti in arcem Fagaras ducti. *Conf.* §. 110. *n. b.* An. deinde 1601. 7. Sept. in campo Tordenſi (non ad Miriſzló, prout Költéri p. 139. exiſtimat) in ſuo tentorio, à duobus Vallonum præfectis, ingentis alabardæ cuſpide, per ventrem transfoſſus, Michaël concidit. Multa çxanimato addita ſunt ludibria; vt caput ejus detruncatum, ſupra mortui equi albi cadaver poneretur *cet.* quod tamen poſtea, permiſſu Baſtæ, ſimul cum corpore tumulatum eſt. Eidem non nemo, tale, (quod ſalvis auribus recitandum) Epitaphium poſuit:

Hic jacet ille ferus, latro merus & Nero verus,
Atque malus Dacus, ſcelerum lacus, ille Valachus:
Hic qui tranſibis, bis terque cacabis & ibis.

Res ejus & Caſtrenſis ſupellex, diffugientibus Valachis, Baſtæ ceſſerunt.

d. De Principe Andrea vid. *Purpura Pannonica*; de eo verò & Michaële Wajvoda, rebusque ſub iis in Transſilvania geſtis, legi poſſunt *Iſtvánfi*, *Bethlen*, *Miles* à p. 231. ad 254. *Huſzti Dacia*, *alii.* *Toppeltinus* autem, in hoc corrigendus, quod Andreæ exercitum juſſu Turcæ attritum, Cardinalem verò à paſtoribus ovium occiſum fuiſſe, ſcri-

ſcribat. Andreas denique, ad exemplum Sigismundi patruelis, *Valachiæ* quoque & *Moldaviæ* Principem ſe ſcripſit, teſte ejus numo aureo, cum hac circulari Inſcriptione: *Andreas miſer. div. Card. Trans. Mol. & Val. Princeps, Epiſc. Varmienſ. Sic. Com.*

§. CXII.

8. STEPHANVS BOTSKAI de Kis-Marja 1605. 14. Sept. in Civitate Media Principatum adeptus, vitâ ſimul & imperio, A. 1606. 29. Dec. Caſſoviæ functus eſt.

a. *Botskai*, antiquâ ſcriptione *Bochkai*, An. 1600. Comitiorum ſuffragiis, propter factiones (quas Steph. Csáki Generalis Capitaneus Transſilvaniæ adfinxerat) contra Domum Auſtriacam, & introductionem Sig. Báthori ex Opulia, Articulariter proſcriptus, in ſuis arcibus circa Váradinum exilium toleravit, Cæſareanarumque partium ſe ſectatorem oſtendit. Aſt dum ab exulibus Transſilvanis, quos poſt cædem Moſis Székely ad Turcas fugiſſe diximus, ad reſtituendam Transſilvaniæ libertatem, excutiendum Germanicum imperium, ambiendamque Principalem dignitatem aſſiduè ſollicitaretur, & ſuam ſimul aliorumque libertatem ac jura à Miniſtris Regiis eripi cauſaretur; armis agendum cenſuit, & *Barbiano* Commendanti Caſſovienſi minimè audiens fuit. An. 1604. igitur, allectis primò omnium in belli

ſo-

S. 112. ...

societatem *Hajdonibus*, + (fuêre milites pedestres in Hungaria nominatissimi initio 17. Seculi orti) cum eorum Ducibus, *Blasio Lippai* & *Blasio Németi*, ac collectis copiis, insignes de Germanis victorias reportavit. Felix armorum successus mox plures ad castra Botskaii allexit; atque praecipuae superioris Hungariae Civitates ei deditionem fecerunt. Gabriel quoque Bethlenius, cum exulibus Transsilvanis, manum cum eo ad *Kereki* in Hungaria junxerat: hoc tamen anno in Transsilvaniam, quae post discessum Bastae, *Joanni Belgiosae* commissa erat, penetrare, Transsilvanosque ad suas trahere partes haud poterant. Anno verò 1605. passi graviora sub Basta incolae, Germanis renunciarunt. Joannes Petki de Ders fuit, qui convocatis Szitás-Keresztúrinum Siculis, eos ad fidem Botskaii traduxit. Horum Dux *Ladislaus Gyulafi* Köpetzini è vita migravit, cujus in Locum *Steph. Csáki* missus, ad Schaesburgum pervenit; quem non longe post Botskai subsequutus est. Turcarum quoque Imperator non contemnendam militum manum in Transsilvaniam expediverat; cum *Georg. Rátz* quidam, parti Botskaianae molestus nimium videretur. D. 14. Sept. Botskai Princeps Transsilvaniae, in Comitiis Mediensibus, renunciatus, Sigismundum Rákótzi Gubernatorem Provinciae creandum jussit, ipseque in Hungariam remeavit.

+ vid. 572.

b. Eodem An. 1605. á Mehemete Rex Botskai nuncupatus est. Idem Mehemet Supr. Vezirius Turcarum, Coronam (quae Despotarum Thraciae fuisse fertur) ejus capiti inposuit; quam Botskai accepit quidem, sed praefatus, se loco

mu-

muneris, non ad regiæ dignitatis ſignum & uſum accipere. Nec Regis Hungariæ titulum uſurpavit; ſed *Regnorum Hungariæ & Transſilvaniæ Principis* contentus vixit, vt videre eſt in numis ejus, apud *Köleſérum*, p. 141. Poſt hæc Botskaius, Hungariæ tantis cladibus bellorum adflictæ miſertus, An. 1606. poſtridie Iduum Junii, *Viennæ* cum Rudolpho Imperatore, per Legatum *Stephanum Ilyésházi*, pacem concluſit, *Corpori Juris Hungarici*, ſub titulo *Pacificationis Vienneuſis* innexam. Hujus virtute, Transſilvania, cum eximia Hungariæ parte, Botskaio, tanquam legitimo Transſilvaniæ Principi, adjudicata eſt.

c. Ad breve tempus pacis hujus fructibus uti potuit; 50-^{mum} ſiquidem ætatis annum excedens, nullo hærede relicto, extinctus fuerit. Vxor ejus fuit *Catharina Hagymáſi*, Euſtathii filia, paulò priùs, quàm ipſe Caſſoviam occupaſſet, fato functa; antea Nicolai Varcoczi conjux. Ante lucem *Botskai* è vita migravit; & continuò *Michaël Kátai*, ejus Cancellarius, quem ob toxicum ſibi propinatum, in ſuſpicionem vocatum, cuſtodiæ mancipaverat, ſummo diluculo 29. Decembris, in foro Caſſovienſi, inſtigante Georgio Szétſi Capitaneo Aulico, fruſtillatim ab Hajdonibus diſcerptus eſt; ita, vt miſera conjux diſciſſa minutatim membra linteolis caniſtrisque ægrè colligere poſſet. Corpus verò Botskaii Albam delatum in æde Michaëli Archangelo ſacra, propè Sororis, quæ Chriſtophoro Báthori conjunx fuerat, monumentum, tumulatum eſt. Primus fuit Transſilvaniæ Principum Helveticæ Confeſſioni addictus; quem ejusdem Religionis Im-

Imperantes ad D. Leopoldum uſque ſequuti ſunt. Symbolum Princeps habuit: *Dulce eſt pro Patria mori.*

§. CXIII.

9. SIGISMVNDVS RÁKÓTZI de Felsö Vadáſz, è Præfecto ſive Capitaneo Agrienſi Rom. Imperatorum, Transſilvaniæ Gubernator, An. 1607. die 8. Febr. (*teſte Artic.*) Princeps creatus, & á Turcis receptus, An. 1608. 3. Mart. in Templo majore Claudiopolitano D. Michaëlis, in quo aſſumtus erat, provinciam depoſuit, eodemque anno, 5. Dec. in *Felsö Vada'ſz*, pago Comitatûs Abaújvárienſis in Hungaria fato functus eſt.

a. Botskaius mortis præludio admonitus, *Valentinum Homonnai*, cujus dexteritati multum confidebat expertus, teſtamento in Principem commendaverat. Sed Transſilvani, denato Botskaio, Sigismundum Rákótzi, antea Principis loco totius Provinciæ moderatorem (§. 112. *n. a.*) uſque dum Princeps ſepeliri & alius eligi poſſet, Gubernatorem conſtituunt; poſteaque non expectato Principis funere, eundem Sigismundum exire è Provinciâ volentem, eumque, quod ſingulis artubus ob ſævos articulorum dolores captus ſellâ geſtaretur, reluctantem, & cum lacry-

crymis recuſantem, ſacramentum præſtare coëgerunt. Cum taliter, Sigismundus Princeps crearetur; Gabriel Bethlen de Iktar, (§. 110. *n. e.* §. 112. *n. a.*) Gabrielem Bátori in Principem eligere ſatagens, ferro vinctus, at brevi poſt dimiſſus fuit. Proceres interim Hungariæ ſuperioris, ſub Transſilvano Principatu exiſtentes, ſollemnem funeris Botskaiani Caſſoviâ in Transſilvaniam comitatum adornantes, Albæ Homonnaium Principem conſtituendum intenderant. Quo audito, novus Princeps Rákótzi, expeditis actutùm Legatis, ab ingreſſu in Provinciam dehortatus eſt. Homonnaius igitur, relicto ad funus deducendum exiguo comitatu, à pago Goroſzló, ad arces Kövár & Huſzt iter ſuum flexit. Arcem *Huſzt Joſephus Deák*, ejus Præfectus; *Kövárum* verò *Gabr. Pernyeſzi* (qui hanc ob rem, notam infidelitatis An. 1607. 10. Jun. incurrit) Homonnaio tradidêre. Is Bona Botskaiana, quæ in iis reperit, occupavit; easdemque arces tenuit, donec cum Sigismundo Rákótzi, cujus filiam Eliſabetham in matrimonio habebat, pacem Albæ compoſuit. *Mikò.*

b. Pacatam jam quidem Sigism. habebat Provinciam; aſt ſenio affectus, ac imperandi difficultatis pertæſus, Gabrieli Báthori Principalem dignitatem enixè ambienti, per quoddam concambium, ſceptrum conceſſit; vt docet *Art.* An. 1613. 27. Octob. & *Mikó ad An.* 1608; & ingentibus theſauris, quos brevi tempore corraſerat, in ſuas ditiones Hungariæ exiſtentes ablatis, Transſilvaniâ exceſſit, ætatisque ſuæ An. 64. in loco nativitatis ſuæ denatus eſt, ac Szerent-

§. 114.

ſini ſepultus, relictis Georg. Sigiſm. & Paulo filiis. *Vid. Hung. Tymbaules p. 75.* Symb. *Non eſt currentis, neque volentis; ſed miſerentis Dei.* Addimus denique in gratiam Curioſorum Diplomatis Turcici, quo Sigismundus confirmatus fuerat, quodque in Muſæo Celeb. Rectoris Coronenſis D. Paulli Roth adſervatur, ſubſcriptionem, quæ ſic habet: *Chan Achmet Bin Muſtapha El Muſapher daima.* Hoc eſt: *Imperator Achmet Filius Muſtapha Victor ſemper.*

§. CXIV.

10. GABRIEL BÁTHORI de Somlyo, Stephani filius, affectatos Principatûs honores An. 1608. 3. Mart. in Conventu Claudiopolitano obtinuit; iis 8. Conditionibus, quæ *Approb. Conſt. P. II. T. I. A. II.* expreſſæ leguntur: An. 1613. 27. Octobris, paucis antea diebus exauctoratus à Turcis, Váradini interfectus eſt.

a. Gabriel, Etſedino Hungariæ, ad Principatum ſollemniter per Balthaſarem Kornis & ſocios invitatus, Claudiopolim, vbi & inauguratus eſt, venit; unde Albam, ſedem Principalem deductus eſt. Poſtea Provinciam, non antea ſibi viſam, perluſtraturus, Cibinium, Fagaraſinum & Coronam ſalutavit: hinc Legatum ad Portam Ottomanicam expedivit Gabrielem Bethlen,

qui

qui eodem anno, M. Sept. impetratis ab Imperatore, Diplomate, Vexillo, Clavâ, aliisque Principalibus Insignibus ac equis phaleratis, adulto autumno, ad Principem rediit.

b. Princeps animi corporisque dotibus & fortitudine militari præpollens, sed lascivus nimium, & in soluti pudoris sentinam delapsus, passim Magnatum matrimonia involabat, & cælebs ipse, ad speciosæ formæ feminas expugnandas suos emissarios habebat; hincque multorum in se odium concitabat. Simili cumprimis de causa, in ejus ad Comitia Bistriciensia tendentis necem, An. 1610. *Stephan. Kendi* Cancellarius, *Balth. Kornis*, *Pancratius Senyei*, *Geor. Kereszturi*, *Geor. Torma*, *Steph. Basa*, *Steph. Kovásotzi*, *Joan. Pataki* alias Borbely & *Petr. Szilvási* consenserant; qui ob id 25. Mart. Articulariter Notam incurrerunt, & Bona tàm sua, quàm liberorum amisêre.

c. Consilio *Joannis Imresi* Statuum Præsidentis, Gabriel An. 1610. cum specie Principalis gratiæ Cibinium ingressus, suo præsidio militari commisit Civitatem custodiendam, clavesque portarum civibus eripuit, omnia eorum arma ad Forum congerenda jussit, eos ære privato emunxit, Magistratum in captivitatem conjecit, viros quos numero suorum superaverat, vrbe ejecit, ipsorum vxoribus ad abusum retentis, & plurima alia Principe indigna egit; vt testantur *Toppeltinus*, *Frank*, *Mikó*, aliique. Theologis illum, ob suam & concessam militi libidinem, crepantibus, prætexuit injurias Andreæ Báthori; quem

§.114

acie fuſum Cibinienſes intra moenia recipere recuſaverant. Clemens, inquiens, vindictæ genus eſt, propter deſertum & trucidatum fratrem, multiplicare Urbem.

d. Relicto Cibinii præſidio, Princeps cum copiis per Paſſum Törtsvárenſem, exeunte Decembri anni 1610. Valachiam invaſit, Wajvodam Radulium *aliàs* Sorban Sede (Tergoviſtâ) expulit, miles ejus trium menſium ſpatio ingentem prædam congeſſit: his, Princeps Cibinium remeavit. Poſt reditum Principis, Radul profugus, conſcripto exercitu in Valachiam è Polonia rediit, & acceptarum à Gabriele injuriarum memor, omnem conatum adverſus eum intendit. Secretum proinde fœdus cum Judice Coronenſi Michaële Weiſz contra Gabrielem iniit. Nec mirum, promptos Cives Coronenſes cum Weiſzio, ad hoc pangendum fœdus fuiſſe repertos: Cibinienſium ſi quidem oppreſſio meritò eorum animum alienaverit; ſuorumque privilegiorum ac libertatum violationem, Civitatis expilationem, & ſimilia incommoda cum ratione metuerint, fœdam denique Gabrielis ſpurcitiem exhorruerint. Simulac Gabrieli Radulis conatus ſuboluiſſent; actutum militem omnem convenire juſſit. Tumultuario igitur exercitu in Diſtrictum Barcenſem venit, & inter Zeidinum ac Heltzdorffium ſubſtitit; unde mox ad Praſmarum caſtra promovit. His taliter conſtitutis, Radul alpes invias cum exercitu nec opinatò ſuperavit, ac juxta 7. Pagos Coronam verſus iter continuavit. Suburbia ingreſſus, à Coronenſibus acceptus eſt: tunc ſecreta Coronenſium conſilia

ſilia

S. 114.

ſilia Principi innotuêre. Poſtea Princeps ad Petrimontem (*Sz. Péter*) caſtra movit, nihil de pugna eodem die ineunda cogitans: aſt Valachus cauſatiùs agere ſatagens, eadem luce ad arma canere juſſit; Coronâque egreſſus, prælium inchoavit. Coronam ac Petrimontem inter 10000. ſuorum Gabriel amiſit; teſtibus Faſtis Coronenſibus. Deſertus à Marte Princeps Cibinium fugit, præſidiumque quod ibi reliquerat, ampliùs firmavit; ac Gabrielem Betlen pro exorando Turcico auxilio miſit.

e. Simul ut ad aures Matthiæ II. Regis Hungariæ pugnæ Coronenſis rumor pervenit: *Sigismundum Forgáts* Generalem Caſſovienſem, adverſus Gabrielem, à quo antea offenſus fuerat, cum exercitu miſit. Is Claudiopolim, Albam, Caſtellum Bartſa aliaque loca quædam nullo firmata præſidio occupavit. Ad Cibinium tandem venit, quo & Wajvoda Radul interea lento gradu pervenerat. Exercitus Forgátſii 15000, Sorbanis ſive Radulis 12000 armatorum continebat: ſed congruis deſtituti tormentis ac munitionibus, Tractatu, quam armis Gabrielem ad deditionem compellere malebant. Interim, de ingreſſu Gabrielis Bethlen per Portam Ferream cum auxiliaribus Turcarum ac Tatarorum copiis, Princeps certior factus & non mediocriter animatus, Siculos datis ad eos literis ad arma hortatur; qui dicto audientes ſine mora ſe accinxêre. His animadverſis, Forgáts ac Wajvoda Mediam atque Schæsburgum versùs copias duxêre, & mox per Paſſum Törtſvárenſem Valachiam petierunt; poſtquam ſcilicet Mediæ, aliisque locis haud

pauca damna intuliſſent. Per varios viarum errores milites Forgatſiani, at multis amiſſis, in patriam rediêre, per Moldaviam cumprimis & Poloniam; vt docet *Mikó*, teſtis oculatus. Hujus rei memoriam ſic non nemo expreſſit:

Perge domùm Forgàts, terget tua tergora Korbáts.
(*Korbáts*, Hung. *Scutica.*)

f. Princeps Gabriel, pulſis hoſtibus, Varadinum exierat, finemque anni 1611. ibidem abſolverat, & cum Palatino Hungariæ diſcordias ſopierat: inde Claudiopolim, Albam ac tandem Cibinium remeavit initio An. 1612. Cibinio, M. Martio in Barcenſem Diſtrictum venit, defectionem Coronenſium vindicaturus. Caſtellum Zeidenſe obſedit; ubi Vice-Capitaneum exercitûs aulici amiſit globo trajectum: eo exacerbatus, poſtquam deditionem obſeſſi facere coacti fuiſſent, horrendam in milites pedeſtres è juventute Coronenſi huc expeditos crudelitatem exercuit. Huc ſcil. Mich. Weiſz Judex Coronenſis 32. juvenes militares expediverat, qui deditionem renuebant, ac V. Capitaneum trajecerant: horum Gabriel, 20. palo infigi juſſit, 11. ſuſpendio mulctavit, 32^{dus} tortoris officio, invitus functus eſt; qui tamen Coronam remiſſus, juſſu Weiſzii Judicis interfectus eſt. Poſtea, Roſnavia & Törts Caſtrum fecêre deditionem, vt & Marienburgum. Dum tandem Siculos ad Coronam includendam ordinaſſet, Princeps Cibinium repetivit. Celebratis deinde 15. Maji Comitiis, multi in iis Optimatum, Articulariter proſcripti ſunt, nec non univerſi incolæ Coronenſes, propter rebellionem contra Principem; ita, ut tam propria, quàm

Libe-

§. 114.

Liberorum Bona amittant. *Vid. Art.* Ea ſcil. contra Notorios lex eſt, vt vitam ac Bona amittant.

g. Quum concepta in ſe provincialium odia Gabriel ſenſiſſet, *Andream Gétzi* ad Portam Ottomanicam ablegavit, qui ibidem eum excuſaret: ſed is eum incuſavit, parteſque Coronenſium tuitus eſt. Getzius Coronam, cum comitatu remiſſus eſt. Interea Gabrielem quoque Betlen Princeps à ſe alienavit, & necem ejus in animo decrevit. Betlenius ſaluti ſuæ conſulens ad Turcas transfugit; quod ejus transfugium, ac Biſtricenſium etiam defectio, Gabrielem tenebat anxium. Coronenſes quoque hoc tempore Urbe egreſſi, Duce Andrea Gétzi, exercitum ducere ad Schæsburgum adverſus Principem firmandum conabantur: aſt ad Marienburgum à copiis Principis fuſi ſunt. Hic, *Michaël Weiſz* Judex, & *Georg. Heltner* Quæſtor, cum pluribus Civibus & Studioſis proſtrati ſunt. *Accidit hoc Menſ. Octob.* Gabr. Bethlen & Andr. Gétzi cum univerſis complicibus (vt habet *Artic.* 20. *Nov.* conditus) Notam incurrunt, propter meditatam rebellionem, & aufugium ad hoſtes. Hoc non obſtante, eo Betlenius apud Turcam rem deduxit, vt Princeps Báthori exauctoraretur.

h. Rejectus à Turca Báthori, ad Matthiam II. Regem Hung. confugit, & cum eo, medio Legatorum ſuorum An. 1613. 1. Maj. confœderationem iniit: nihilo tamen minus tenere Principatum [redacted] potuit; ſtatus ſiquidem Transſilvaniæ, ab eo, ob pravos mores & malè tra- pravos

§. 115. ...

ctatam gubernationem recesserint. *Artic.* Metu ideo perculsus Varadinum se recepit, auxilium ibi à Matthia II. mittendum præstolaturus, & contra Turcam, denominatumque ab eo Principem Bethlenium exercitum paraturus: hìc, extra arcem carpento vectus, à duobus Nobilibus *Joanne Szilasi* & *Greg. Ladányi*, quorum uxores per vim stupraverat, interfectus est, & post illaudatus Etsedini tumulatus. *Atque sic, ignobili clausula nobilissimam & illustrem Báthoriorum familiam finiit.* De eadem Familia *vid. Wolfg. Bethlen Hist. Transs. p.* 282; de ejus Insigni Gentilitio tribus dentibus Draconis constante, *Köleséri p.* 135. *Conf.* §. 275. *n.* 2. NB. 1. Gabriel Báthori fuit circa An. 1595. Supr. Com. Comitatûs Krasznensis. 2. Catholica sacra deseruit, & Helveticam Confessionem amplexus fuit.

§. CXV.

11. GABRIEL BETHLEN de Iktar, An. 1580. in Oppido Illye natus, ac An. 1610. Supremus Capitaneus Sedium Csik, Gyergyó & Kászon creatus, Principales honores An. 1613. 27. Oct. rata inauguratione obtinuit (*Art.*) quos cum insigni undique Provinciæ emolumento & felici armorum successu gestos, An. 1629. 15. Nov. hora 12ma, hydrope sitienter urgente, Albæ Juliæ deposuit.

a. G.

a. *G. Bethlen*, Hiſtoricis plerisque, ex Hungariſmo nomen proprium cognomini poſtponente, *Bethlen* (vitiosè *Betlehem*) *Gábor* dictus, poſt toleratum apud nonnullos Turcarum Purpuratos exilium (§. 110. *n. e.*) Transſilvaniam remeaverat; at evecto ad Principatum Sigismundo Rákotzio (§. 113. *n. a.*) in Hungariam ſe contulit: vbi à Gabriele Báthori, prædia ceteraque vitæ ſuæ, conjugis ac familiæ ſuſtentandæ neceſſaria præſidia impetravit. *Mikó.* Báthorio tandem in Principem electo, redux in Transſilvaniam factus, fideliſſimum ſe ei præſtitit, uſque quo is indignis Principe facinoribus omnium à ſe Bonorum animos alienavit. Tum ad Turcas profugus (§. 114. *n. g.*) ac à ſupremo Vezirio, exeunte Aprili, Princeps nominatus, Ottomanico ſtipatus præſidio, Transſilvaniam, cum Skendere Paſſa, repetivit, & à Provinciæ Statibus, quibus Turca novum Principem eligendum demandaverat, faſces Principatûs, cum decem Conditionibus, (*Approb. Conſt. P. II. T. I. Art. III.*) expreſſis, accepit; & ab Achmete Turc. Imperatore, Diploma, Sceptrum ac Vexillum mittente, confirmatus eſt. Interea, *Interregnum exiguum, à dimiſſo Bathorio, ad electum Bethlenium, ſub XII-Viratu duravit*, vt habet Art. An. 1613. d. 22. Oct. Quo quidem die Gabriel in Principem electus, ac à Nota (§. 114. *n. g.*) abſolutus fuerat, teſte *Art.*

b. Rempublicam, quam reperit turbulentam, in rectum redactam ordinem, legibus temperavit; captivos Transſilvanos, quos ad 16000. Turcæ Gabrielem in Principatum introducentes, citra

Vezirii voluntatem abduxerant, libertati reſtituit. Fortalitia Hungariæ, *Lippa*, *Jenö* & *Arad* nuncupata, Ottomano, ut promiſerat, tradidit, eidemque fidelem ſe ſemper præſtitit: quamvis, ſi auſus fuiſſet, cum Chriſtianis, adverſus Turcam, lubentiſſimè arma convertiſſet. Provinciales militiam docuit. Proventus Bonorum Fiſcalium in publicos uſus convertit. Scholas ſuæ Religionis florentes reddidit. Litteralia Inſtrumenta Saxonum, ipſis violentiâ Bathorianâ (§. 114. *n. c.*) ſubtracta, reſtituit. *Frank.* Unionem Trium Nationum renovari juſſit. His, & ſimilibus, internam Transſilvaniæ quietem, Princeps magnanimus adſtruxit. An. 1614. Comitia Megyeſinum indixit, ubi fautoribus Gabrielis Báthori urgentibus, *Joan. Szilaſi* & *Greg. Ladányi* (§. 114. *n. b.*) ex arcis turri præcipites dati ſunt.

c. Cum Ferdinando II. Rom. Imperatore, tribus in Hungaria vicibus, bellum felici ſucceſſu geſſit, & 42.. præliis interfuit. Scilicet, An. 1619. religionem cauſatus, lectiſſimis 18000. armatorum copiis ſtipatus, Hungariam petit, Caſſoviam, Tyrnaviam, Poſonium, *cet.* cum ſacra Hungariæ Corona & Clenodiis, occupat. Hujus Anni 11. Octob. Poſonii Princeps Regni Hungariæ eligitur, & 24. Articuli ibidem, ſub Palatino Sigismundo Forgáts, conditi, eidem Principi, pro confirmatione, Caſſoviæ offeruntur; quos 18. Febr. An. 1620. confirmat. *Art.* Hoc anno, *Gabr. Mogyla*, Valachiæ Tranſalpinæ Wajvoda, à Principe Bethlenio, in certis punctis, confœderationem impetrat; ubi mutua

de-

defenſio & ſuccurſus, liber quæſtus, & temporibus tumultuum transmigrandi, meandi remeandique facultas utrinque ſpondetur. *Art.* 5. *Maj. Albæ Juliæ.* Eodem 25. Aug. in Comitiis Hungariæ Neoſolii (*Beſztertze-Bányæ*) celebratis, ab una Procerum parte, Rex Hungariæ proclamatur; Coronam tamen ſibi imponi abnuit. An. 1622. Nicelsburgi paciſcitur; Coronam Hungariæ reſtituit; Pacificationem Viennenſem (§. 112. *n. b.*) pro Hungaria renovat; titulum S. R. I. Principis, Opuliæque & Ratiboriæ Ducatûs, obtinet; 7. integri Comitatus Hungariæ, vt pote, Szathmár, Szabólts, Ugotſa, Beregh, Zemplin, Borſod & Abaujvár, ſimul cum Civitate Caſſovia, jure Dominii, ad dies vitæ, ei ceduntur: quæ omnia Regni Hungariæ Conſtitutionibus, An. 1622. Art. 29. & 30. continentur. Iterum, An. 1623. contracto exercitu, auxiliaribusque Turcæ & Tatari copiis, Hungariam invadit, Moraviam & Auſtriam clade replet; immò exercitum & terrorem ad Viennæ uſque moenia ducit: ſed dato ſibi Dominio Etſedenſi, & renovatis præteriti anni pacificationis conditionibus, rursùs pacem admiſit, non diu duraturam. Sollicitatus enim à Proteſtantibus, tertium arma cepit, An. 1627. exuenda.

d. Mortuâ interim, An. 1622. 2. Jun. *Suſanna Károlyi*, priori Principis Conjuge, & Albæ humatâ, Catharinam Brandeburgicam, Frid. Wilhelmi Electoris Sororem, An. 1626. duxit. Morti denique vicinus, 40000. aureos numos, cum equo ſplendidè ornato, filio Ferdinandi Imperatoris teſtamento legavit. Simile Turcarum Impera-

8. 115. [illegible]

peratori munus obtulit. Catharinæ Conjugi 50000. aureos, 50000. Taleros, multaque dissimilium numorum millia & Clenodia, cum Dominiis Munkáts, Tokai & Fagaras reliquit. Collegio Academico Albensi recenter à se fundato 74000. Thaleros & Medaliam 9000. Thaler. valoris, donavit.

e. Sacrorum æquè ac profanorum scriptorum lectionibus vel in castris maximè fuit delectatus; sexies ac vicies sacrum Codicem perlegit; commercium litterarum cum Eruditis exercuit; Bibliothecâ instructissimâ Albam Juliam ornavit, *cet.* Albæ, in æde S. Michaëlis An. 1630. sepulti Epitaphium est: " Sereniss. ac Celsiss. Princ.
„ GABRIEL BETHLEN, D. Gratia quondàm
„ S. R. I. & Trans. Princeps, Part. R. Hung.
„ Dom. Sicul. Comes, ac Opul. & Ratib. Dux,
„ postquam rebus augustè gestis in Regem Hung.
„ eligi meruisset, & tali titulo, salute Patriæ
„ sic poscente, abdicato, remque pacemque red-
„ integrasset, inita tandem cum Augustissima
„ Domo Brand. affinitate, res Transsilvano-
„ rum marte & arte florentissimas reddidisset,
„ aqua intercute placidè hic in Regia sua ob-
„ dormivit, An. 1629. 15. Nov. ætatis suæ 49.„
Symb. habuit è Psal. 27. ℣. 1.

f. *Caspar Bojti*, Principis sumtibus Hejdelbergæ sublimioribus Disciplinis imbutus, & in Patriam redux, Scholæ M-Vásárhelyensi, ac post Tabulario Capituli Albensis præfectus, acta Gabrielis eruditè litteris latinis mandavit: ast Historiæ ejus pars maxima intercidit, pars reliqua nondum

§. 116. No. ?.

dum prælum ſubiit. *Joannes quoque Princeps Kemény* in Hiſtoria ſua MS. multa de hoc Principe cumprimis, & Catharina, Stephano Bethlen ac Georgio I. Rákótzi, Principibus, memorabilia notavit. *Conf.* §. 275. *n. g.*

§. CXVI.

12. CATHARINA BRANDEBVRGICA (§. 115. *n. d.*) An. 1626. 24. Maji, Albæ, *in caſum mortis Bethlenii, Princeps* (non Principiſſa) eligitur. (*Art.*) Cui XIII. Conditiones, *Approb. Conſt. P. II. T. I. A. IV.* præſcribuntur. Poſt fata igitur Mariti, An. 1630. 15. Jan. Albæ Juliæ, cum Gubernatore STEPHANO BETHLEN & XII. Conſiliariis Rempublicam regendam capeſſivit, à Turca quoque ſtabilita. Sed nec integrum annum Provinciæ præfuit.

a. Ea lege, An. 1630. in Comitiis Albenſibus, (quorum Articuli ſub Catharinæ cõnfirmatione prodiêre) Principatum obtinuit, vt *Inſurrectiones indicere, Bona conferre, vel collata confirmare, ad Inſtantias reſolvere, nonniſi Conſiliariorum & Gubernatoris conſenſu, ac ſubſcribente Cancellario, poſſit.* Idem Articulus denuò corroboratus eſt 10. Jul. ejusdem anni, in Comitiis Megyeſenſibus; ubi etiam ſimultates inter Catharinam & Gubernatorem exercitæ, ſopitæ fuiſſe leguntur.

b. In-

b. Indictis, eodem iterùm anno, Claudiopolim Comitiis, Femina Princeps, tanquam tantæ impar moli (vel potiùs, quod nubere *Stephano Csákio*, eumque ad Principatum promovere voluiſſe, Status Provinciæ intellexiſſent) Principatu cedere jubetur: *paret illa non monentibus, ſed jubentibus, & in Bona peculiaria, per diſpoſitionem decedentis mariti ſibi legata, receſſuram ſe ſpondet*, tandemque Tokajum petit. *Vid. Jo. Bethlen Lib. I. Rer. Trans.* Anno denique 1640. cum altero Conjuge, FRANCISCO CAROLO, Saxoniæ Duce, divenditis in Hungaria & Tranſſilvania Bonis, revertit in patriam. Sic verò ſe in publicis Inſtrumentis ſcribebat: *Catharina, Dei Gratia nata Marchioniſſa Brandeburgica, S. R. I. & Tranſſilvaniæ Princeps, Partium Regni Hung. Domina, Siculorum Comes, ac Boruſſiæ, Cliviæ, Juliæ, Montium, Duciſſa.*

§. CXVII.

13. STEPHANUS Comes BETHLEN, germanus Gabrielis frater, per decem annos Tranſſilvaniæ Gubernator eximiâ pietate; vix unius Menſis Princeps, *Rákótzio* ceſſit, & demum An. 1648. 10. Januarii, ætatis ſuæ 66. Etſedini in Hungaria mortuus, atque 29. Mart. Albæ Juliæ tumulatus eſt.

a. Anno 1619. *Gabriele Bethlen, in Regnum Hungariæ, pro ferendo Confœderatis ſuccurſſu, exeunte,* ſuum in Tranſſilvania Locumtenentem *Stephanum* reli-

reliquit; docentibus Articulis An. 1620. 5. Apr. Albæ, ſub nominibus *Stephani* & *Simeonis Pétſi* Cancellarii exaratis. Idem *Stephanus*, juſſu Gabrielis, An. 1620. 29. Sept. in Diæta Albenſi, *pro Tranſilvaniæ Gubernatore Articulariter acceptatur.*

Stephanus, Catharinâ recedente, de Principatu obtinendo, Statuum ſuffragiis non ſatis fidebat: *ne itaque cuipiam invitus ſubeſſet, quin potiùs alteri ipſe conferre videretur imperium, Davidem Zolyomium generum ac Stephanum filium, in Hungariam, ad Georg. Rákotzium, Sáros-Patakini in propriis degentem Bonis, cum occultis mittens mandatis, ſuam ſuorumque in obtinendo Principatu opem ei offert.* Interea Stephano hactenus de favore Statuum dubitanti, concordibus eorum ſuffragiis Principatus oblatus eſt, ipſeque inauguratus. *Legati inſuper*, qui Rákocium in propria redire, Zolyomiumque & Stephanum Bethlen juniorem, intermiſſa legatione ad complexus novi Principis redire juberent, miſſi.* Horruerunt hac legatione, tam Rákotzius, qui Váradinum jam penetraverat, quàm ejus comites. *Tandem, vt Princeps Steph. Bethlen ac Rákotzius inermes in certo convenirent loco, placuit*; quo facto, *vt altera indicerentur Regni Comitia, cunctorumque denuò ſuffragiis Principatus ſubmitteretur, cautum ab utrisque. Indicuntur itaque (largitionibus ac promiſſis Rákocii multis jam occupatis)* 1630. *Generalia Schæsburgum Comitia. Princeps Stephanus Bethlenius ipſe Vrbem ingreditur; Rákocius eventum rei Váradini præſtolans*, ac variis promiſſis Optimates obruens, *per legatos cauſam ſuam agit.* Dum itaque ſuffragia colliguntur, legatus Ca-

Catharinæ Brand. per Stephanum & ejus Clientes principali dignitate exutæ, Joannes Kemény, Rákócium multis cum laudibus commendatum, Bethlenio præpoſuit: *acclamatum continuò ab iis, qui ſuffragia ſua venundantes, promiſſis ſe opulentos ſomniabant; nec à reliquis in tanto illorum ardore contradictum. Sic Stephanus, dignitate per proprios imprimis exutus filios, per Legatos Literasque Rákócii juramentales, ſe pro Patre ab eo honorari, nulliſque unquam damnis ipſum ſuosque affici aſſecuratus, in propria ſecedere cogitur.* Jo. Betl. Lib. I. Rer. Trans.

§. CXVIII.

14. GEORGIVS I. RÁKÓTZI, Sigismundi (§. 113.) filius, & Gabrielis Bethlen in Hungaria Superiore Dux Belli haud obſcurus, Váradino Albam deductus, & habitis ibidem An. 1630. 20. Sept. Comitiis, præſcriptis 15. punctis Capitulationum, (*Approb. Conſt. P. II. T. I. A. V.*) inauguratus, ac A. 1631. 24. Apr. per Literas Ottomanicas ſtabilitus; Provinciam, quam ab externi hoſtis populatione intactam ſervavit, uſque ad An. 1648. diem 11. Oct. quo rebus humanis exemtus eſt, adminiſtravit.

a. Rákotzius (idem eſt dicere: *Rákóczius*, *Rakocius*, *Rákótzi* & *Rákóczi*; perperam verò quibusdam *Rágotzi* & Frölichio *Rakvicius*, Kantemirio, *Ra-*

S. 118.

Ragotski dicitur;) ab antiquioribus ſcribebatur *Rákóczi*, Decreta verò Comitiorum paſſim habent *Rákóci*; propriæ denique Principum Rakotziorum ſubſcriptiones, *Rákóczy*. Peracta inauguratione, *Davidem Zólyomi de Albis*, Aulicæ antea Militiæ & Trium Sedium Siculicalium, *Sepſi*, *Kézdi* & *Orbai*, Capitaneum Supremum, tanquam præcipuum ſui Principatus auctorem, amplis Bonis donat, & mox tam Aulicis, quam Campeſtribus Exercitibus Generalem præficit; *Stephanum Bethlen* juniorem, ipſius pariter promotorem ac itineris comitem, multis verborum honoribus laudatum, benè de ſe ſperare jubet. Non diu Zólyomi donatis frui potuit Bonis. Naturâ enim inquietiſſimus, favore Principis abuſus, ac vicinos Nobiles opprimens, vi Articuli VI^{ti}. Anni 1633. 21. Aug. Notam incurrit, ac Kövárinum in captivitatem mittitur, ubi exactis 18. annis, ſepulcro libertatem obtinuit. Stephanus verò Bethlen junior, omnium, quos Transſilvanos tunc ſol vidit, prudentiâ, magnanimitate, reique tam bellicæ, quàm politicæ peritiâ præſtantior, repentino jam morbo è vivis ſublatus erat. Sed revertamur ad propoſitum. Congratulata erat Principatui Rákótzii *Catharina Brand.* ejusque filio in ſuum adoptato, arcem Munkátſenſem legaverat; quam non diu poſt Rákótzius occupavit; immò mox *Fagaraſum* quoque invitæ Catharinæ ademit.

b. Continuata inter Stephanum Bethlen Principem deturbatum & Rákotzium aliquamdiu concordia, paulatim elangveſcere, ac in apertas inimicitias, aſſentatoribus utriusque ſuſpiciones augentibus,

prorumpere cepit. Stephanus fatali filii sui Petri casu (qui Administratorem quendam Bonorum suorum bacello vulneraverat, ex quo is paucos post dies mortem obiit) nataque inde Rákotzii persequendi intentione motus, ad Purpuratum Budensem, in ditionem Turcicam, se contulit, auxilia Ottomani imploraturus. Nec fuêre ejus preces irritæ, à Mose quodam Székely Magnate, à Rakotzio offenso & Constantinopolim profugo adjutæ. Rakotzius proinde audito Bethlenii discessu, vehementer animo perturbatur, & Comitia An. 1636. Mens. Febr. Claudiopolim cogit, in quibus non sine lacrymis queritur, ac Status Provinciæ rogat, vt tam tributo, quàm armis justæ suæ causæ deesse nolint. Hinc Articulo horum Comitiorum in gratiam Principis condito, *declaratur, qualiter Comes Steph. Bethlen spontè Georgium Rákótzi ad Principatum invitasset; tamen ab ejus fidelitate recedendo, Bona in Transsilvania Liberis suis distribuisset, ipsemet in Regnum Hungariæ, Ditionemque Austriacam se recepisset, inde ad multos, sine corruptionis & concitationis contra Principem, Literas misisset. Immò, circa Huszt etiam hostilitates contra Transsilvanos exercuisset, nonnullos è Marmatis* (Máramarosensibus) *trucidando; dein ad Vezirium Budam venisset, vt Principem, quasi is oppressor esset libertatis incolarum ibidem proderet. Hinc statuitur, vt nisi consilium mutare, à ceptis desistere, & in gratiam fidelitatemque Principis reverti velit; contra ipsum Legationes ad Turcarum Imperatorem & Vezirium mittantur, & manutentio confirmati per ipsum Principis exoretur. Sed si nec id succederet, etiam contra Turcam, pro Principis fidelitate insurgatur, adque ultimum halitum*

pugne-

§. 118.

pugnetur. Die 21. Maji, Articuli rurſus componuntur Albæ, de ſimultatibus inter Principem & Bethlenium ſedandis; *ad quem etiam Legati mittuntur cum Literis, & monetur, ne Turcam interpellet; ſed revertatur Budâ ad priorem ſtatum & dignitatem, quâ inter Magnates erat.* Sed ingratiis. Purpurato namque Budenſi, vt confeſtim Bethlenium in Transſilvaniam reduceret, armisque Rákoczium ejiceret, à Turca (fruſtra precibus ac promiſſis Rákóczii tentato) demandatum erat. Is itaque Váradinum versùs, cum Bethlenio, & exercitu ultra 7000. armatorum, movit, habuitque juxta Szalonta, ſub Generale Sigismundo Kornis obviam partem exercitûs Rákóczii; (qui 23^tia^ Sept. Albâ moverat) cum quâ circa occaſum ſolis congreſſus 6^ta^ Octobris, multis utrinque, ſed pluribus à parte Turcæ, cæſis, tragicum habuit pugna exitum; utrisque tamquam victis, unde venerant, ingenti cum pavore, refugientibus. Purpuratus Budenſis, recollecto exercitu, juxta Lippam caſtra metatur, Rakoczio cum Transſilvano exercitu juxta arcem Boros-Jenö caſtra figente. Unde per legatos, ex annuentia Ottom. Portæ, mutuo tractatu inito, tandem renovatum inter Principem Rákóczium & Bethlenium fœdus, (*Aſſidatoriis Bethlenio ſub privatis 50. Magnatum & Procerum nominibus conceſſis*, vt docet *Art. An.* 1636. 6. *Nov.*) ac reddita omnia eidem ſuisque Bona: ita tamen, vt ſemper alter alteri diffideret, nec unquam uſque ad deceſſum alterutrius amicitia inter eos coaleſcere poſſet. *Jo Bethlen l. c.* & *Haller in Diario.* Vi Articuli An. 1637. 1. Maj. in Comitiis Megyeſenſibus exarati, tributum anni

§. 118.

ſuperioris ad Turcam miſſum eſt, & eo Confirmationales pro Principe ipſi exoſo ſollicitatæ.

c. Anno 1644. abs Hungariæ Proteſtantibus, fidei ſuæ cognatis oratus, fœdere cum Svecis, contra Rom. imperatorem Ferdinandum III. inito, die 2. Febr. Albâ iter inſtituens, bellum Hungariam, ac illinc Moraviam verſus movet, maximam Hungariæ ſuperioris partem deditione capit, *cet.* An. 1646. Svecis in Moravia relictìs, paciſcitur, fitque, vt de Hungariæ ſacris & Profanis Libertatibus concluderet: quæ omnia in Diætæ An. 1647. Coſtitutionibus Hungariæ, ab Art. 5. ad 20. uſque incluſivè enumerantur. Inter cetera, Rákóczio, pro contentatione perſonali 7. Comitatus Hungariæ, qui Gabrieli Bethlen dati fuerunt, (§. 115. *n. c.*) ſimilibus planè conditionibus, ad dies vitæ ceduntur; arces Tokaj & Regetz ſibi filiisque traduntur; 90. Templa Proteſtantibus, Benignitate Regia, reſtituuntur. Interea, habenis Transſilvaniæ, filius Georg. II. Rákóczi, præfuerat.

d. Optatam hanc pacem, novæ à Portá Ottomanicâ ſunt ſubſequutæ difficultates, ſcil. vt non amplius decem, ſed 15. millia numorum aureorum annuatim pro Principatu Rákoczius ſolveret: cum & anteceſſores Principes, præter Gabr. Bethlen, cui propter fideliſſima obſequia, quinque iſta millia relaxata fuiſſent, tantum ſemper perſolviſſe aſſereret. Rákoczius, vel ab univerſis Provinciæ ſtatibus oratus, nunquam ſe perſoluturum, per SS. Trinitatem jurat: unde apertæ jam Turcarum comminationes, detenti ejus legati, bellumque Rákóczio, non Provinciæ,

de-

denunciatum. Nec ultio longè dilata fuiſſet, niſi Turc. Imperatorem mors præpropera A. 1647. rapuiſſet.

e. Defuncto Uladislao Poloniæ Rege, dum Regnum ejus, per Franciſcum Bethlenium Conſiliarium, cum grandi ad redimenda Magnatum ſuffragia, argenti ſummâ Varſoviam miſſum, ambit, An. 1648. 11. Octob. ætatis 55. fato fungitur Albæ; vbi ab vxore Suſanna Lorándfi & filiis, ſollemnibus exequiis honoratus, in Templo S. Michaëlis, An. 1649. 10. Januar. reconditus eſt. Struxit ac reædificavit ſuæ fidei Templa, ornavit Scholas, donavit Eccleſiis campanas multi valoris, *cet.* fuiſſetque Princeps omnium dignus laude, niſi Bonis Privatorum licentiùs inhiaſſet. *Bethl. l. c.* *Symbolum* Patris (§. 113. *n. b.*) ſibi adoptaverat. Vitam Georgii deſcriptam dedit *Jo. Szalárdi*, publica hodiedum luce carentem. *Cfr.* §. 275. *n.* 52.

§. CXIX.

15. GEORGIVS II. RÁKÓTZI, prioris filius, è Capitaneo Váradenſi & Generali Hajdonum (liberorum militum) in Ditione Transſilvanica, Anno adhuc 1642. 19. Febr. concordibus Nationum ſuffragiis, præſcriptis XIV. Conditionibus, (*Appr. Conſt. P. III. T. I. A. VI.*) nominatus, 4. Mart. in primario Albenſi Templo inauguratus, ac à Turcis eodem

S. 119.

anno confirmatus; An. 1649. 23. Jan. Albæ in actualem dignitatem ſuccedit: ſed itidem à Turcis, expeditione Polonica offenſis, An. 1657. Magiſtratu movetur, & ex accepto vulnere in prælio cum Turcis An. 1660. 22. Maji commiſſo, Váradini 8. Jun. moritur, hora prima ante lucem; vnde per filium FRANCISCVM, electum Transſilvaniæ Principem, Etſedinum indeque Sáros-Patakinum deductus, ibi An. 1661. 24. Apr. ſepultus eſt.

a. An. 1642. Georg. I. Rákóczi, indictis Albam Comitiis; ac Conſiliariis, Comitibus, Regaliſtis, *cet.* in ſecretius ſuum conclave arceſſitis ſingillatim, filium Georg. II. formâ præſtantem & erecti (o ſi recti!) ingenii virum ac bellicoſum, in Principem eligendum enixè commendavit: is igitur, *vt mala Interregni & periculum liberæ electionis vitentur, ea lege Princeps electus eſt, ne vivente Patre, Gubernationi ſe immiſceat. Art.* Miſſi Conſtantinopolim Legati, *Steph. Serédi*, *St. Sulyok*, *Thomas Baſa*, & *Judex Regius Száſzvároſenſis* cum Literis 8. Mart. expeditis. Igitur Mehmet Kapueſi Paſſa, cum clavâ & vexillo à Turca miſſus, 8. Jul. (non IV. Nonas Mart. vt vult *Timon*) Albam adpulit, electum recenter Principem confirmaturus. *Halleri Diar.* An. 1643. duxit Georgius in vitæ ſociam, SOPHIAM BÁTHORI *de Somlyó*, cum eaque, 3. 4. & 5. Febr.

die

§. 119. ...

diebus, sollemnes Albæ nuptias celebravit; quas in *Hall. Diar.* probè descriptas legimus.

b. Offensos austeritate tenacitateque Patris Provinciales, multos muneribus plures promissis deleniit. Tributum quoque 15000. aureorum, per tres annos à genitore suo neglectum, regalibus superadditis muneribus, Portam Ottomanicam placaturus, sine tergiversatione persolvit. Adplaudebant igitur cuncti regimini ipsius, & supra prædecessorum gloriam, ac opes, feliciter omnia, tam domi, quàm foris ipsi adfluebant. Transalpinæ & Moldaviæ Wajvodæ annuum ipsi pendebant Tributum, & Legationibus cunctorum fermè Principum Europæorum decorabatur. Tot obsequiis fortunæ delinitus Princeps, vix secundam poterat temperanter ferre fortunam; quin potiùs compotationibus ac luxu tota personabat ejus aula. *Betl. l. c.*

c. An. 1652. 4. Febr. ætatis suæ 29. *Sigismundus Comes Rákótzi*, germanus Principis frater (qui è Sereniss. Rheni Palatinorum Familia, *Henriettam*, nonnullos ante menses vxorem duxerat, eandemque tres post nuptiarum menses mortuam ac Sáros Patakini humatam amiserat) juvenis magnanimus & sapiens, variolorum morbo correptus, in humanis esse desiit, & 28. Apr. Albæ sepultus est. Anno sequente 1653. bellum inter Georgium & Basilium Moldaviæ Principem exarsit: Georgius, exturbato Basilio, Stephanum hujus Cancellarium substituit, qui ab Ottomanica Porta confirmationem accepit. Postea, Constantino Valachiæ Transalpinæ Principi, confoederato suo, à Szemeniis (hi fuère ex Natione Tra-

J.119.

cum collecti pedites, audax & expeditum, verùm inconſtans ac ſeditioſum militiæ genus) in vincula conjecto opem fert, Szemeniisque prædâ per ſcelus parta ditatis An. 1655. profligatis, & pſeudo-principe ab iis impoſito capto ac palo infixo, reſtituit.

d. Bello inter Polonos, ac Chamum Tatarorum Præcopitarum Principem, & ipſi, contra proprium Regem adhærentes Kozakos, exorto; Polonis auxilia non rogatus mittit: Transſilvani, confecto bello, non indonati rediêre; *Franciſcus* præterea Principis filius, compluresque, è Magnatibus Transſilvanis, Polonicæ Nobilitatis Albo inſerti. Gliſcebant interim, turbantibus cuncta rebellibus Coſacis, á finibus autem Pruſſiæ Svecis irrumpentibus, denuò in Polonia bella; auxilium ac ſocietatem armorum Rákóczii utriusque ambientibus, Polonis inſuper, nomine Regis ſui, adoptionem filio ipſius ſub certis conditionibus offerentibus. Rákóczius deſiderio Coronæ Polonicæ ardens, dum inter eum ac Polonos conveniri nequiviſſet, invitatum ac tandem deluſum ſe expoſtulans, injuriam illatam (vt prætendebat) armis ulciſci decrevit; ideoque Carolo Guſtavo Sveciæ Regi ac Kozacis opitulatur. Ad Polonicum itaque Bellum, An. 1657. Januario, intenſa bruma, ſe, cum exercitu 25000, ſuperante, accingit. A Porta Ottomanica & Chamo Tatarorum *Mehemete Gira*, qui ex hoſte amicus Polonorum factus erat, miſſæ & iteratæ Literæ prohibitoriæ; ſed ſurdas eæ pulſarunt aures. Fruſtra à Rom. quoque Imperatore dehortatur. Incaſſum etiam á ſignis infauſtam expeditionem præſagientibus monetur. *Vid. Jo. Bethl.*

S. iig.

Lib. 2. §. 3. Suum enim fatum Principem trahebat. Obſtinatus itaque, adjunctis Kozacis ac Svecis, longè latèque diu graſſatus, *Cracoviam*, tradentibus Svecis, occupat, præſidioque 3000. militum, ſub Commendante *Joanne Betlenio*, munit; Briſtiam deditione captam, *Andreæ Gaudì*, Colonello ſuo cuſtodiendam tradit: qui confecta tandem pace, incolumes dimiſſi, in Transſilvaniam rediêre. Vlteriùs progreſſus, confœderatis ejus, tanquam cautioribus, ad tutiora regreſſis, ſolus cum ſuis relictus, diu per avia oberrans, exercitu fame fermè confecto, circumvolantibus Polonis, juxta præſcriptas ab ipſis conditiones pacem facere cogitur, indecora pactione, grandi pecuniæ ſummâ promiſſâ, vadibusque velut in pignore, *Stephano Apafi* & *Georgio Gyeröfi*, uſque ſummæ præſtationem relictis. Tum inminentis cum toto ſuorum robore Chami Tatarorum rumore perterritus, *Joanne Keményio* (quem fruſtra pro itineris comite ſollicitaverat, exercitum Transſilvanicum incolumem ſervare volentem) ſupremo ſuo Generali, in Podolia, cum exercitu relicto, cum 300. circiter comitiva, Máramaroſinum, tandemque Etſedinum (ubi conjux filiusque ejus erant) inglorius redit. Exercitus verò ad 5000. circiter redactus, cumque *Joanne Kemény* relictus, ac à Polonis & Kozacis proditus, á 60000. circiter Tatarorum multitudine, cum Chamo exiſtente, circumventus, fameque ac innumeris malis enervatus, & à Szemeniis Rákoczii ſtipendiariis non ſolùm deſertus, ſed & proditus, 30. Jul. univerſis aut cæſis, aut captis, profligatur. Legi de his, ſed non ſine lacrimis, poteſt *Epiſtola Apologetica Joannis Kemény*;

ejusdemque *ad Principem* A. 1657. 6. Aug. datæ in Caſtris Tataricis in Moldavia poſitis *Literæ*; & quæ habet *Jo. Bethl. Lib.* 2. §. 3. Interea, Polonorum nonnulli, Dominium Rákoczii Munkátſenſe in Hungaria invadentes ac deprædantes, hæc muris adſcripſêre: *Vicem pro vice reddo tibi bone vicine.*

e. Transſilvaniam redux invenit viduam, lacrimantem, confuſam & Turcarum indignatione perterritam. Generalibus Comitiis *Szamos-Ujvárinum* indictis, vt tot miſerorum, quorum captivitatis cauſa exſtitiſſet, miſereretur, & Turcæ ulterius contra eum ſævire volentis furorem, nullis parcendo ſumtibus lenire ſatageret, orabatur: ſed ne tot quidem malis edoctus, obſtinato animo, ſe ad utrumque negotium ultra 30000. Imperialium non habere juramento confirmat. Legatus *Matthæus Balog* ad Tatarorum Chamum expeditur. Superveniunt paucos poſt dies, cum Mandatis Imperatoris Turcici propria manu ſubſcriptis, (quorum Hungaricam verſionem poſſidemus) Literis præterea Chami Tatarorum ac Budenſis Purpurati, Legati; quibus Transſilvanis imperabatur, vt in locum Rákotzii, propter inobedientiam, motumque contra Polonos Turcæ amicos bellum, damnati, alium patrio ritu Principem eligerent. Superadditæ interim, niſi parerent, atroces minæ extremaque pericula. His ſe explicare Rákóczius deſperans; Comitia Albam indixit, doloresque ſupprimens, in FRANCISCI RHÉDEI, novi Principis electionem mox aſſenſit. Sed à Statibus, in eam itum eſt, 1. Nov. An. 1657. ſen-

ten-

§. ııg. .xii.2.

tentiam, vt pro Rákotzio in Porta Ot. intercedatur, vbi veniâ impetrata, *Rhedeius* ad priſtinum redeat parendi ſtatum. Interea Rákóczius, in Bonis ſibi vi pactorum conceſſis, tanquam privatus vivat, directioni reditibusque publicis percipiendis nullo ſe modo inmiſceat, neque Principis titulum uſurpet; omnibus Principatûs exercitiis in Rhédeium translatis. Hæc bona fide ex utraque parte ſancita. Status verò Transſilvaniæ Rákóczio *Aſſecuratorias concedunt*, vbi inſcribuntur Bona, *Görgény pro Thal.* 22000, *Gyalu* 40000, *Csanád*, *Soroſtély*, *Monoſtor*, *Hóldvilág & Csergöd utraque* 24000. *Fagaras in ea ſumma, qua Regnotenus fuerat inſcripta. Inſuper in Bonis propriis*, *Balásfalva*, *Radnót*, *Székelyhid*, *Taſnád*, *Bábolna*, *Kódor*, *Örményes & aliis*, *quæ poſſidebat*, *contra univerſos illegitimos impetitores tuitio aſſumitur.* Art. An. 1657. 1. Nov.

f. Diſſolutis Comitiis, & Rákótzio in privata ſua Bona ſecedente, promovendis ejus negotiis, extraordinarius ad *Portam* Legatus *Franciſcus Kereſzteſi*, (quo jam ante *Franc. Sebeſi* ex ejus voluntate iverat) & ad Purpuratum Budenſem *Sigism. Bánfi* mittuntur: ſed iis, ne proferre quidem nomen Rákóczii apud gentem Turcicam, odio ejus mirum in modum flagrantem permittebatur. Interea Rhédeius milites præſidiarios in arcibus finitimis fiſcalibusque in nomen ſuum & Provincialium jurare mandat: ſed ii, inſtigante Rákóczio, juramentum præſtare recuſarunt, auctore imprimis Franciſco Gyúlai Vice-Capitaneo Váradienſi. Eum ſequutus Ladislaus Ujlaki, Vice-Capitaneus Boros-Jeneienſis. Argumentum verò

rò totius Tragœdiæ à Jeneienſibus ſumtum. Poſt electionem enim Rédeii, præter ſpem omnium, Boros-Jenö cum pertinentibus ad eam pagis poſtulari à Turcis incipit. Lætus arripit occaſionem Rákóczius (non ſuam, ſed Transſilvaniæ cauſam jam acturum præ ſe ferens) & Jeneienſibus auxilium promittit, tituloque Principis uti incipit; tum ad omnes Status, Comitatus, Sedes & Civitates, vt Princeps ſcribit, eosque ad arma ſecum contra Turcam capienda hortatur. Rhédeius, ex conſenſu Conſiliariorum Generalia Comitia Megyeſinum ad d. 9. Jan. 1658. indicit: ſed jam factionibus plena erant omnia, & nonnulli manifeſte Rákóczium ſequuti. Exarantur Literæ & è Comitiis per *Dionyſium Bánfi* mittuntur ad Rákóczium in Gyalu commorantem, quibus rogatur, vt Principatu cedat, Turcamque ad excidium Patriæ ne provocet. Rediit Legatus, promiſſa ab eo varia, ſi recipiatur, ſin minus, varias minas, immò exitium Provinciæ reportans. Offerebat inter cetera, vt ſi ipſo recepto, hoſtis Transſilvaniam ingrediatur, in publica congregatione, flexis genibus, tale, quod Statibus placuerit, mortis ſubire genus ſe paratum futurum. Cujus promiſſi nulla vel apud infimos fides erat. Achatius Bartſai, cum comitibus legationis denuò ad eum mittitur, ſed duriore ſucceſſu: retentis namque Legatis, contractum interea temporis exercitum, contra Comitia Megyeſinum celeriter ducit, nocteque ſupervenit. Tum, quia aliter facere non poterant, (contra ſentientium enim oculis præſentiſſima obverſabatur mors) tamquam volentes, Legatione in campum miſſa, ita tamen, vt nun-

quam

§. 119. XVI. 3.

quam se arma contra Turcam capturos apertè declararent, 24. Jan. Principem receperunt, Articuloque, jubente Rákótzio, inseruerunt, *ex eo eum receptum, quod Turca per ejus amotionem, non tam Principem ulcisci, quàm Regnum, cujus finitimum propugnaculum in Jenö sibi dari poscebat, in partes ruptum, jugo suo penitus subdere compertus sit.* Sic, Princeps *Rhédei* in propria Bona incolumis dimissus est.

g. His in Porta Ott. auditis, novi à Budensi & Tömösvárensi Purpuratis Legati, novæ missæ litteræ, ostenditur admissa culpa, jubentur status deserere Principem: nisi obedierint, adduntur minæ, & quod non amplius culpa soli Principi, sed totius Provinciæ fraudi, dolosisque mendaciis imputatur. Perterritus his Rákóczius, Comitia Albam M. Apr. indicit: ad hæc venerunt à *Joanne Keméný* ex vinculis Crimensibus Literæ ad status, per Reverendum *Stephanum Selyei* ex eadem solutum captivitate, quibus de apparatu minisque Tatarorum regnicolas præmonebat. Movebantur interim in perniciem deplorandæ Transsilvaniæ, ex Europa Asiaque exercitus Turcici: hinc extremum ferè Patriæ excidium proximè præcedanea Comitia ad M. Majum Albam à Principe convocantur. Primaria Comitiorum causa erat, adventus Tatarici Budensisque Legatorum, qui ex superabundanti, priùs gratiam, quàm pœnam offerebant. Sed jam exercitus Turcici finitimis imminebant; Transsilvani etiam, jussu Principis, in armis erant. Vniversi tamen Status 29. Maji declarabant, impares se esse ad gerendum contra Turcas bellum;

&

§. 119.

& 30. Maji finem Comitia habebant. Rákótzius interim, versùs Jenö exercitum ſuum, contra Purpuratum Budenſem (*Chinan Paſſa*) hominem mollem, nihilque ea de re, ut Rákótzius eum invadere præſumeret, cogitantem, ac vix tertiam militum ſibi ſubjectorum partem ſecum habentem, duxit, facilemque victoriam adeptus eſt.

b. Sed moverat jam molem Aſiæ Europæque Supr. Vezirius, arcique *Jenö*, cum centum circiter armatorum millibus imminebat; ex parte altera, Chamus Tatarorum, Purpurato Siliſtrienſi, Principibusque Tranſalpinæ & Moldaviæ, aliquot item Kozacorum millibus adjunctis, innumerabilem penè in ruinam exiguæ hujus Provinciæ trahebat exercitum. Timore perculſi Transſilvani, *Acatium Bartſai* cum ſociis, deprecaturi per eos extremum Patriæ excidium, Legatos ad Supremum Vezirium deſtinant. Ii Vezirium juxta Jenö adeunt. Totam interea Transſilvaniam innumera Tatarorum ipſisque adjunctarum Nationum colluvie igne ferroque vaſtante. Quis hic (*inquit Jo. Betlen Lib.* 2. §. 7.) innumeras Transſilvaniæ clades, ruinas, excidia Caſtellorum, Oppidorum, captivata vel crudeli data neci utriusque ſexûs centum (ad minimum) Chriſtianorum millia, [*Toppeltinus* 40000. *Transſilvanorum habet*] integras Regni regiones uni quaſi igni involutas, irritas fugas, deprehenſos receſſus, ardua montium ac ſcopulorum indagata, innumeraque alia belli mala, animo complecti aut calamo depingere poſſet? Majorem melioremque Transſilvaniæ partem periiſſe in fa-

favillaſque redactam dixiſſe ſufficiat. *Ita ille*, & Tractatus ſub titulo: *Innocentia Transſylvaniæ*, in 4to plag. 3½ editus, quó excuſantur Status Transſilvanici, omniſque culpa perditæ Transſilvaniæ transfertur in Rákótzium. Dum hæc gererentur, & cum arce *Jenö*, Oppida *Kárán-ſebes* ac *Lugas* circumjacensque regio occuparentur, Rákóczius ipſe latibula ac receſſus ſilvarum cum ſuis pro ſalute quærebat. Poſt hæc Transſilvani miſericordiam à Supr. Vezirio per Legatum Bartſaium implorant, & ita Chamus Tatarorum evocatus, vaſtatioque Provinciæ prohibita: ſed non ſecùs, niſi ingenti inpoſita ſummâ, ſcilicet 500000 Thálerorum, vt docetur *Compil. Conſt. P. IV. T. XII. A. IV.* quorum tamen poſtea 20000. Apaſio Principi, ob fidelitatem ad Portam, condonata. *Ibid.* & annuo Tributo cum 50000. Thaleris aucto; impoſito inſuper (contra obſervatam hactenus liberam electionem) in Principem *Acatio Bartſai*.

i. Poſtquam Rákóczius cum Bartſaio, manutenentibusque eum Turcis, aleam Martis aliquoties tentaſſet, ad extremum An. 1660. 22. Maji, non ad Cibinium, vt putat *Horatius Turſellinus in Epiſt. Hiſtor.* ſed inter *Gyalu* & *Fenes* vltra Claudiopolim, cum exercitu Turcico, quem Szejdi Purpuratus ducebat, manum conſeruit, ubi fortiſſimi militis munia ſtrenuè obiit, ac acceptis 4. vulneribus; (quorum unum lethaliter cerebrum leſerat) carpento impoſitus, Váradinum deductus eſt, ibique, poſtquam fató ſuo, ac calamitatibus Transſilvanorum, totam Europam complevíſſet, mortuus. Status Transſilvaniæ, Bona

Rá

Rákóczii privato in Tranſſilvania jure tenta confiſcarunt, partimque redemtioni captivorum ex Polonia & Tataria (imputato meritò illi illegalis & vetitæ expeditionis Polonicæ crimine) deſtinarunt, partim autem bene meritis Proceribus donarunt; (*Hiſt. Diplom.*) quæ tandem An. 1665. *Sophia Báthori* Principis Vidua, inter 4. ſua poſtulata incaſsùm per Legatum ſuum *Matth. Marczibán* ſibi reſtituenda urſit, docente *Jo. Betlen in Hiſt. MS.*

k. FRANCISCVS RÁKÓCZI, Georgii II. filius, An. 1645. natus, An. 1652. (non 1655, vt multi habent) 18. Febr. in immatura ætate Princeps eligitur, *& de præſtanda juramenti depoſitione aſſecuratur; cum ſumma tamen cautione, ne liberæ electionis jure Regnum recedat; ipſique 17. Conditiones præſcribuntur, cui Joannes Kemeny pro Gubernatore declaratur. Art.* Sed ob adverſam Patris fortunam in Hungariam migravit. Fuit igitur Princeps titulo tenus ad An. 1676. quo in Hungaria (*Munkátſini* aliqui, alii *Makovitzæ* An. 1676. mortuum ſcribunt) vitam poſuit; liberis *Juliana* & *Franciſco* (*Vid.* §. 126. *n. a.*) ex *Helena Zrini*, Petri Croatiæ Bani filia, relictis. Hic Franciſcus, Rebellibus, *Petro Zrini*, *Franciſco Nádaſdi* aliisque, contra Leopoldum Imper. ſe ſociaverat: quamobrem vitam amiſiſſet, niſi intercedente matre, certis conditionibus, á Rege Benigniſſimo incolumitatem impetraſſet. A. 1665. apud Rom. Imperatorem Status Tranſſilvaniæ urſerunt, auditique ſunt, vt *Franciſcus Rákótzi* Principis titulo, quo hactenùs ſub Rege Leopoldo in Hungaria gaudebat, amplius uti interdiceret;

J. 120.

ret; cum talium titulorum inane nomen, multis plerumque præbere ſoleat anſam Regnorum periculis.

§. CXX.

16. FRANCISCVS RÉDEI, Vir pius & mitis, Supremus antea Comes Máramaroſienſis, An. 1657. 3. Nov. urgentibus Turcis, 20. Conditionibus præſcriptis, in locum Rákótzii ſubleƈtus, trium ſolummodò menſium interludio Principatum tenuit: anno enim 1658. 24. Jan. (non 29. Dec. ut vult *Timon*) miſſos fecit honores, ac in Hungariam conceſſit.

a. Erat Princeps claris Natalibus, vtpote cujus Proſapia ſex ſeculorum orbes inſigni jam Nobilitatis ſplendore emenſa erat, & quæ etiam tertio Hungarorum Regi, ABÆ, Natales dederat. Ortus verò eſt *Franciſcus* ex ea Linea, quam inchoavit *Nicolaus Rédei* (benè etiam ex antiquâ conſvetudine *Rhédei*; minùs reƈtè autem *Rhédai*, ſcribitur) *de Kis-Rhéde* & *Szent-Márton-Rhéde*, Genitor *Nicolai Rhédei*, qui vulgò *Mikótza* diƈtus eſt, Avus *Petri Mikótza Rhédei*, Proavus *Jacobi*, Abavus *Nicolai Dóſa Rhédei*. Atavus *Nicolai*, Tritavus *Ladislai Rhédei*. Ladislaus hic, ex Conſorte Tori, *Elizabeta Retski*, ſuſcepit Filium natu minorem, *Paulum Rhédei de Kis-Rhéde*, cui nati ſunt Filii duo: 1) *PAULUS RHÉDEI de Kis-*

Rhéde, Transsilvaniæ Thesaurarius, qui hanc usque ad ætatem se propagavit, in *Transsilvania* per *Joannem* Filium, natu majorem, cujus Posteri sunt *Illustrissimi DD. Comites RHEDEII de Kis-Rhéde*; in *Hungaria* per *Stephanum Rhédei*. 2) *FRANCISCUS RHEDEI de K. Rhéde*, Comitatuum Bihar & Máramaros Comes Supremus, Genitor *FRANCISCI* Transsilvaniæ Principis: cujus vnicus Heres, *LADISLAVS RHEDEI de Kis-Rhéde*, Comitatûs Máramaros Supr. Comes, in juvenili ætate fatis concessit, hancque Propaginem terminavit. Susceperat Ladislaum, Princeps Franciscus, ex *Drusiana Bethlen*, Principis *Stephani Bethlen* Filia.

b. Vide §. 119. *n. f.* quæ de Francisco nostro, longiori Principatu digno; imò, vt habet *Betlenius*, L. 2. §. 4. *omnium Judicio, reliquis Regni Magnatibus hoc Honore digniore*, notavimus. Numi ejus, cum consvetis & Illustr. Rédeianæ Familiæ Insignibus cusi, rariores sunt.

§. CXXI.

17. ACATIVS BARTSAI, Statuum Præses & Supremus Comes Húnyadensis, ex Illust. ac perantiqua Familia BARTSAIORVM *de Nagy-Bartsa* oriundus, non spontaneâ Provincialium electione, sed jussu Turcæ, An. 1658, Princeps recipitur, cum XXI. Conditionibus, *Compil. Const. P. II. T. I. Art. I.* insertis; at An. 1661, M. Jun. innocens interficitur.

a. Prin-

S. 121. XX.

a. Princeps Bartſaius duxerat originem ex perve- tuſta Proſapia Bartſaiana de N. Bartſa, quæ circa An. 1216. *Marcum Bartſai* Banum Croatiæ dedit; poſt quem ea de Gente floruerunt *Thomas* & *Petrus Bartſaii*, tandem, circa 1370, *Saul*, *Sombracus*; *Rubin* & *Helena* Bartſaiades. Uno ferè dein ſeculo, anno videlicet 1454, conſpicuus fuit MICHAEL BARTSAI, pater JOANNIS, avus pariter JOANNIS, proavus ANDREÆ, abavus CASPARIS circa 1572. florentis, atavus ANDREÆ, tritavus STEPHANI, qui genuit ALEXANDRVM BARTSAI, patrem *Abrahami*, ACHATII noſtri Principis, *Andreæ*, *Caſparis*, *Alexandri* & *Annæ*, Conjugis Petri Budai, ex *Anna* Palatitz; nec non *Petri*, *Michaëlis* & itidem *Abrahami*, ex Ruſoriana.

b. Non occultis largitionibus, vt putarunt nonnulli, à Vezirio Principatum obtinuit; ſed metu mortis compulſus eum ſubiit, dum Legatione fungeretur. §. 119. *n. b.* Tum igitur præſidio 2000. Turcarum, *Haczi Muſtaphæ Bego* commiſſorum ſtipatus & Transſilvaniam ingreſſus, Comitia Schæsburgi celebravit; quibus receptus quidem eſt à Statibus, ſed tandem An. 1658. 6. Nov. M. Váſárhelyini Articulariter Princeps declaratus. Ibi ſimul concluſum eſt: *Quicunque Transſilvanorum ſervitio Principis Rákócii addicti erant, ſub amiſſione omnium Bonorum, ad præfixum redeant diem.* Bartſaium interim aperto Marte Rákótzius perſecutus eſt. Hinc in Comitiis, An. 1659. 24. Maji Sabeſi celebratis, *Art. XI.* interdicitur, ſub pœna amiſſionis Capitis & Bonorum, ne quisquam ad Aulas Principum Georgii & Franciſci

§. 121.

Rákótziorum veniat, mittat aut nunciet. *Art. XIX.* Donationes Georgii Rákotzi, poſt ceſſionem regiminis, & electionem Rédeii emanatæ, caſſantur. Item, *Art. XXIII.* Articuli A. 1657, 17. Jan. in *Visk* Hungariæ, ſub Expeditione Polonicâ conditi, & Inſciis Statibus, nomine Franciſci Rákotzi impreſſi, abrogantur; & Tranſſilvania in Expeditionem illam nunquam conſenſiſſe declaratur.

c. Perſequente Rákótzio, Temesvárinum, ad *Csengi Zádé Ali Paſſam* Bartſaius An. 1659. ſe contulit. Interea Rákótzius (ex Hungaria intraverat) 24. Sept. in Comitiis Maros-Váſárhelyenſibus armis coactis, à Statibus vi adactis, denuò in Principatum reſtituitur. *Art.* (Sed Articuli horum Comitiorum An. 1660. 5. Jul. in Conventu Schæsburgenſi invalidantur) Bartſaius An. 1659. M. Nov. à Purpurato Budenſi, *Szejdi Ameth*, & exercitu Turcico, per *Portam Ferream* introducitur: Rákótzii exercitus ad Várhely vincitur, poſteaque versùs Dés expellitur. Tum, cum mille peditibus, quingentisque equitibus, expedito Cibinium Bartſaio, Purpuratus Tömösvárinum regreſſus, in hyberna exercitum diſtribuit. Rákótzius abſentiâ Turcarum animatus, obſidione ſtrictâ Cibinium cingit; ubi dum 6. Menſes hæret, miſſus eſt Szejdi Paſſa, cum exercitatiſſimis Turcis liberatum obſidione Bartſaium atque Nobiles. Adpropinquante eo, Rákótzius nocte obſidionem ſolvit, moxque inter Gyalu & Fenes vincitur. §. 119. *n. b.* An. 1660. 14. Jul. obſidione cinctum eſt Váradinum, & d. 30. Aug. ſub 8. deditionis punctis, Turcis traditum.

d. Bar-

S. ier. 122.

d. Bartſaius, morte Rákótziana non diu felix, invenit æmulum *Joannem Kemény*, Generalem Armorum Georgii II. Rákotzi Præfectum, nuper è vinculis Tataricis liberatum; vt mox referemus. Kemènyio in Principatum ſuccedente, Bartſaius in arcem *Görgëny*, quam cum adnexo Dominio & Szent-Péter ac Suk, vi pactorum, in ſuſtentationem, vita durante, irredemtibiliter, acceperat, ac inhabitabat, Præſidium Keményii admiſit, paucosque poſt dies, Princeps Bartſaius, (cujus fratrem Andream Bartſai, arcis Fagaraſenſis Commendantem interficiendum Keményius curaverat) ſecluſâ à ſe vxore, cuſtodiæ commiſſus eſt. Menſe Junio An. 1661, Purpuratus Budenſis per *Ferream Portam* ingreſſus Provinciam, igne ac ferro crudeliſſimè, ob electum Keményium, graſſari incipit. Keményius, exercitum Turcicum ad liberandum ex areſto Bartſaium veniſſe putans: *Franciſcum Kövér* Siculum, Dapiferorum Magiſtrum ac *Jonam Váradi* Capitaneum cum certis expedit equitibus; qui eductum Görgényino (tanquam in arcem Kovár translaturi) Bartſaium, in itinere innocentem (non ob tyrannidem, vt quidam falsò putant) occidunt. Poſtea in pago Répa per ruſticos humili funere tumulatur. An. 1684. 8. Mart. Art. 17. Fagaraſini, *vniverſæ Donationes, Collationes & Privilegia Bartſaii invalidantur.* Reliqua de hoc Principe fusè legi poſſunt apud *Jo. Betlenium.* Symb. *Deus providebit.* — Korna telke vd. P. 2. p. 64

§. CXXII.

18. JOANNES KEMÉNY *de Ma-*

§ 122.

gyar - Gyerö - Monoſtor, filius *Balthaſaris* ex *Sophia Tornya*, An. 1607. M. Dec. Bükköſini natus, An. 1660. 24. Dec. (teſte Articulo; non verò 1661. 1. Jan. vt vult *Timon*) in Conventu Száſz - Régenenſi, (non Biſtricenſi) Bartſaio ſpontè Principatui renunciante, Princeps eligitur, & præſtito utrinque juramento, cũ XXI. punctis Conditionum, *Compil. Conſt. P. II. T. I. A. V.* inauguratur: qui apud *Nagy - Szölös*, An. 1662. 23. Jan. in prima impreſſione à Turcis facta, pedibus equorum obteritur.

a. *Keményius*, poſt diuturnos carceris Crimenſis ſqualores, (§. 119. *n. d.*) Tranſalpinam adpulit ad Principem *Mihne*, qui armis Principem Bartſaium invadere parabat, ſed à Keményio placatus eſt: Batſaius tamen longiorem ejus apud Mihne Wajvodam moram, in malam interpretatus partem, Principatuique ejus inhiare, ſe verò tot, vt putabat, corrivalibus, imparem, credens, ipſi in Tranſalpina adhuc moranti, per Literas, Principatum obtulit. Keményio in Transſilvaniam reduce, eidem multis laudibus commendato, iterum Principatum, in campo Kereſztes, coram univerſis Provinciæ copiis confert. At Keményius, ſimultates Rákóczium inter & Bartſaium gliſcentes pervidens, in Hungariam egreſſus, nunquam vivente Rákóczio in Transſilvaniam regreſſus eſt.

b. Rá-

§. 122.

b. Rákóczio vitam & Principatum ponente, Magnatibusque ac quibusdam Siculis, imprimis autem exulibus Transſilvanis, qui Rákóczianas ſequuti partes, reditum in patriam deſperarant, continuis Keményium legationibus urgentibus, & ipſomet Keményio donati ſibi in Campo Kereſztes Principatûs non inmemore, tot ſe offerentes occaſiones arripuit; & aſſumtis exercitûs Rákócziani antea profligati (§. 119. *n. i.*) reliquiis in Hungaria delitefcentibus, Transſilvaniam petit ac Principatum obtinet. Qua ex ratione Siculi Keményium ad Principatum ſollicitaverint, patet e *Jo. Betlen. Rer. Trans. L. II. §. X.* Scilicet, An. 1660. Siculi Sedis (cumprimis) Csik, vt & Sedium Sepſi, Kézdi ac Orbai; *Caſpare Bartſaio* germano Principis Acatii fratre & Locumtenente, auſteritate ſua violationeque Legum, ſeditioni anſam præbente; debitum Principi Bartſaio obſequium exuerunt; & Csikienſes *Michaëlem Kálnoki*, incolæ verò Sedium Sepſi, Kézdi & Orbai *Stephanum Dónát*, Capitaneos à Principe Bartſaio ſibi præpoſitos in vincula conjecerunt, immò *Donatum* & ſtrangularunt. Princeps Bartſajus interea ex Hungaria ab Ali Paſſa redux, ad ſedandam rebellionem, exercitum ſub Generali *Caſpare Bartſaio* (qui hoc anno in Curia ſua Örményes à militibus Keményii interfectus eſt) mittit: is multis Siculorum in Sedibus Sepſi, Kézdi & Orbai ſuſpendio mulctatis, pluribus naſo ac auribus amputatis, priſtini eos memores fecit officii. Magna tunc miſeræ plebis multitudo etiam inter *Barót* & *Köpetz* vicos, in prato *Cseme* dicto, (ad cujus marginem etiamnum cæſorum tumulus conſpicitur) cæſa; complu-

§. 122.

res naſo auribusque mutilati dimiſſi. Hoc facto alienati à Bartſaio Siculi ad Keményium facilè inclinarunt.

c. Iſmaël Purpuratus Budenſis, contra Keményium, tanquam invita Porta Ottomanica Principatum adeptum, Transſilvaniam invaſerat §. 121. n. c. quem per eos dies Ali Baſſa (*Crudele ſemper Transſilvanæ nationi Ali Paſſæ nomen!*) exercitu ſubſequitur numeroſiſſimo, inque Diſtrictu Hátſzeg caſtra figit. Tataris Butſákenſibus inde ad intercipiendum Keményium præmiſſis, lentiori ipſe gradu procedit, & iteratas (vt etiam extra limites Tranſilvaniæ fecerat) ad Status Provinciæ transmittit Literas, quibus liberam Principis alterius electionem ejusque confirmationem offert, & ab incendiis ac populationibus deſtiturum ſe promittit. Verùm interceptæ à Keményio Literæ, ad quos deſtinatæ erant, non pervenêre. Keményius, inſiſtente ejus veſtigiis Tatarorum exercitu, in Hungariam, alpes Máramaroſenſes ſuperàns, ſe contulit, cum exercitu Germanico, quem expetitum à Rom. Imperatore in ſuccurſum ſuum venientem ſperabat, ſe conjuncturus; Tataris interim multis hominum millibus in captivitatem aſſertis, cædeque & incendiis graſſantibus.

d. Subſequutus interea Ali Paſſa, per longitudinem Transſilvaniæ, antecurſores ſuos, cuncta clade complevit; Száſzvároſo & Sabeſo Civitatibus, metu ipſius deſertis, in itinere incenſis, Albam Juliam, An. 1658. deſolatam, amplius evertit. Poſt reliqua facinora, quæ Transſilvani & vicini Hungari centum annis luxêre, locatis in-

inter Oppidum Dés & arcem Bethlen caſtris, Tatariſque & univerſo equitatu Biſtricium ac M. Váſarhelyinum verſus emiſſis, integras regiones in favillas redegit, centenos & amplius vicos uni quaſi igni involvens; cœſisque potiori ex parte adultis, imbellem utriuſque ſexûs Chriſtianorum multitudinem in captivitatem adſerit. Miſſis præterea ad Saxonicales aliasque Civitates Literis, reſiſtentibus exitium, ſe dedentibus incolumitatem promittit: quæ tot cladibus admonitæ, miſſis Legatis, deditionem fecêre. Principatum poſtea *Stephano Petki*, Conſiliario Keményii Sediumque Siculicalium Csik, Gyergyó & Káſzon Capitaneo Supremo, ſed renuenti, offert: quo Ali in furorem converſus, Sedes Maros & Udvarhely Vulcano tradit. Paucis poſt diebus *Michaëli Apafi*, in caſtris ad M. Váſarhely poſitis, Principis impoſuit munus.

e. Interim, Imperator Rom. exercitum 20000. armatorum, ſub Generali *Montecuculi* miſit, cui Keményius, juxta Majtin Hungariæ, conjungitur; lætique & alacres versùs Transſilvaniam iter continuant: ſed cognito Turcarum numero majore, impoſitoque præſidio Claudiopolim (quæ, cum Szamos-Ujvár, Görgeny, Fagaras & Déva, nondum ſe Ali Paſſæ dediderat) mœſti & victis ſimiles, 5000. circiter ſuorum fame morboque abſumtis, Hungariam versùs retroceſſêre. Nihil Ali de regreſſu Keményii, nec hic de illius intentione quidquam ſcientes; eodem plane die Novembris, An. 1661, quo Keményius Hungariam verſus iter reflexit, Apafius per Ali Paſſam Transſilvaniæ Princeps declaratus eſt.

f. Poſt hæc, motis Ali Radnotino caſtris, admonitos fruſtra Siculos adgreditur, ferroque & flamma crudeliſſimè in Sede Udvárhely graſſatus, eam ad obedientiam cogit. Fixis dein ad Oppidum Udvarhely caſtris, adversùs Siculos Csikenſes, ſelectos ex toto exercitu tam pedites, quàm equites, unà cum Tataris expedit; ipſe cum Apafio juxta Udvarhely eventum rei exſpectans. Qui eo penetrantes, totam regionem enſe & igne vaſtarunt; ipſo Stephano Petki non ſine difficultate verſus Gyergyó evadente. „Quis „ hic (*verba ſunt Joannis Betlenii*) tot Chriſtia-„ norum millia cæſa vel capta, ſtupra cædibus, „ cædes ſtupris intermixtas, incendia, popula-„ tiones, aliaque graſſantis barbari facinora ani-„ mo complecti, multò minus deſcribere poſſet?

g. Sub idem tempus, Princeps Keményius certis à *Montecuculi* (*n. e.*) cohortibus impetratis, Transſilvaniam ingreſſus erat; qui juxta Szamos-Újvár caſtra habens, ingentis hujus cladis rumore perculſus, arci *Fagaras* non ſatis munitæ, qua regreſſurum Paſſam conjectabat, muniendæ, quadringentos armatos miſit. Paſſa proinde Fagaraſinum versùs tendit; ſed propinquæ forte hyemis anguſtia excluſus, poſt levem arcis obſidionem, Cibinium versùs ſe confert: quo juxta Civitatem caſtra tenente, *Mich. Apafius* Generalia Comitia *Kis-Selykinum* indicit, quibus in Principem inauguratus eſt.

h. Inminente hyeme, *Ibraimo* Paſſa cum præſidio ad defenſionem Apafii relicto, Ali ipſe Temesvarinum redit, & exercitum in hyberna diſtribuit. Apafius verò, vxore Cibinii relicta, Megyeſinum,

cum

§. 122. Q...

cum memorato præſidio, ſe confert. His cognitis, certisque Germanorum ſubſidiis obtentis, Kemènyius An. 1662. 3^{tia} Jan. Transſilvaniam versùs, de *Bikſáda*, ubi hybernaverat, movit. Quibus patefactis Apafius Schæsburgum cum ſuis tranſiit; quem dum Keményius obſidet, *Kutsuk Memhet Paſſa*, ab Ali Paſſa ad requiſitionem Apafii miſſus, duobus, ſed lectiſſimis equitum millibus, in ſuccurſum venit. Keményius itaque versùm vicum *Hétur*, indeque *Nagy-Szölös* d. 22. Jan. progreditur; Kutſuk Paſſa interim cum Apafio Schæsburgi conjungitur. Die ſequente, imminente prandii hora, Paſſa, cum exercitu, Keményium nihil de prælio cogitantem, (putabat enim Paſſam quietem aliquamdiù capturum) juxta Nagy-Szölös adgreditur. Princeps Keményius, Heros fortiſſimus, lapſu equi á ſuis obtritus perit; cujus cædes tunc vel filio Simoni incognita, ex ſpoliis tandem ejus, relationeque ſuorum innotuit. Corpus nec tempeſtivè quæſitum, nec deinceps repertum eſt uſquam.

i. *Simon Kemény* Principis filius, cum aliquot Proceribus An. 1662. 10. Mart. Art. 17. in Nota convictus, An. 1663. 24. Sept. Art. 9. à Nota abſolvitur, & Bona ipſius privatis collata reſtituuntur. Reliqua, quæ ad vitam & res geſtas Keményii pertinent, traduntur, in *Jo. Betl. Rer. Transſilv. Lib. III.* & in *Vita Joannis Keményii*, ab ipſomet lingua Hungarica conſcripta; nec non in *Stephani Gyöngyöſi* (Hungaricorum Poëtarum facilè Principis) verſibus vernaculis, ſub titulo: *Kemény János Hiſtoriája. Conf. §. 275. n.* 30.

k. An.

k. An. 1662. 10. Mart. Comitiis in *Görgény-Szent-Imre* inſtitutis, Articulo 16. *Collationes Principis Keményii, eo, quod vi Principatum invaſiſſet, nec à Turca Confirmationem obtinuiſſet, in perpetuum caſſantur: at Articuli libertatibus Regnicolarum non præjudicantes in loco relinquuntur.*

§. CXXIII.

19. MICHAEL I. APAFI *de Apa-Nagy-Falva*, ab Ali Paſſa, Boſnenſi Vezirio Princeps adpellatus, An. 1661. 20. Nov. inauguratus, multùm bello Rom. Imperatorem inter & Ottomannum ardente; innumeriſque adverſitatibus fatigatus, poſtquam à Turcis inſolentiſſimè Transſilvaniam tractantibus receſſiſſet, & AVSTRIACÆ PROTECTIONI Provinciam ſubmiſiſſet, An. 1690. 15. Apr. mortalitatem exuit.

a. Rejectus à Stephano Petki *Ali* Paſſa (§. 122. *n. d.*) ſciſcitari tandem à Legatis Civitatum & Circulorum incipit, in caſtris ad Maros-Váſárhely ſitis, utrum quempiam è Magnatibus Transſilvanis Principatu dignum in locis ſibi jam ſubjectis degentem ſcirent? Qui poſt longas meditationes, Magnatem quendam *Michaëlem Apafium*, grandi non pridem ære è captivitate Crimenſi (§. 120. n.) redemtum, in proprio Caſtello Ebesfalvenſi degentem referunt. Lætus Paſſa audit hæc dicentes, certaſque, cum Magna-

gnate quodam, ad eum arceſſendum mittit cohortes. Qui nihil unquam de tali meditatus dignitate, audito Paſſæ nuncio, extabeſcit; conjux verò partui vicina, utrum ſe vel maritum (de cujus ſalute deſperabat) defleret, planè ignorat. Egreſſus itaque ingenti animi angore, ne territorium quidem proprii tranſierat Caſtelli, dum citato eques curſu ſuperveniens, primogenitum peperiſſe vxorem ſuam *Annam Bornemiſza* (præter quam, quòd Mulierem Turcicam, quæ ſummam redemtionis ejus è captivitate præſtitiſſet, eadem adhuc in captivitate duxiſſet, falſa eſt criminatio: vt evicit indubiè *Franc. Páriz Pápai* in Epiſtola ad *Hoffmannum*, qui in voce *Transſilvania*, ab inimicis Apafii doctus, eandem conſignaverat criminationem) hilarius annunciat: quo, utrum lætus aut triſtis audiret, hærente, comites Turcæ felicem fortunatumque eum futurum Principem ominati ſunt. *Jo. Betl. Lib. III.* §. 17.

b. Apafius caſtra Ali Paſſæ ingreſſus, honorificè, tanquam Princeps excipitur, in tentorium ſollemniter erectum deducitur, certusque Janizarorum numerus eidem adjungitur. Ne verò facultas eligendi Principem penitùs ademta Statibus videretur, *Thomam Baſa* Conſiliarium, *Franciſcum Kaſſai*, Nobilesque ac Legatos Civitatum in caſtris præſentes, Principem è ſuorum numero eligere juſſit; nomine Imperatoris Turcici ſolita ſe daturum promittens Inſignia: à quibus facile de Apafio conſenſum. Subſecutis dein Comitiis Kis-Selykenſibus, (§. 122. *n. g.*) juſſu Turcæ, ſollemniter à Statibus receptus & inauguratus eſt, juxta XXIV. Conditiones, *Compil. Conſt. P. II.*

§. 123.

T. I. Art. V. insertas. Ibi simul, vt ad 30^mum ab expiratione Diætæ, diem, Transsilvani, qui hactenùs Principi Keményio adhæsêre, sub amissione omnium Bonorum redeant, cautum est.

e. Keményio sublato, arces Transsilvaniæ, præter *Bethlen*, *Szamos-Újvár*, *Kövár* & Civitatem *Claudiopolim*, præsidio D. Leopoldi Imperatoris suffultas, Principi Apafio deditionem fecêre. Claudiopolim longo postea temporis intervallo *Kutsuk Passa* cinctam tenuit: inhumanis interim ille quoslibet tractabat verbis; rusticis præterea ingentem extorquebat commeatum; sed nec his contentus, torquebantur & omnibus plerique Bonis exuebantur. Divisi in tota Transsilvania Turcæ, vbi vel meticulosos, vel debiles nancisci poterant, equis aliisque rebus exuere pro nihilo ducebant, & paulatim vires sumente audacia, humilium quoque thoros involabant. Exutas denique Bonis omnibus regiones, tributum tale, quod impossibile erat, præstare *Kutsuk Passa* cogebat; dumque inexplebili ejus desiderio satisfieri non poterat, verberibus miseros homines afficiebat crudelissimis. Impositum præterea Transsilvaniæ erat 80000. Imperialium Tributum, quod Ottomanica Porta non sine minis administrari jubebat. Extraordinaria proinde Comitia Princeps An. 1663. M. Febr. in Oppidum *Szász-Kézd* cogitur indicere, vbi propositis rerum extremitatibus, non rusticis, (vti alias moris erat) sed prærogativa nobilitari hactenûs usis Tributum impositum est. Exeunte Majo, *Kutsuk Passa*, per *Ali* Passam, cum potiori exercitûs parte in Hungariam evocatur. *Jo. Betl.*

d. Su-

3. 113.

d. Supremus Turcarum Purpuratus *Amhet Passa*, cum ducentis circiter millibus armatorum, bellum Rom. Imperatori An. 1663. infert, & Budam versùs movet. Chami quoque ſive Principis Tatarorum Præcopitarum filius, cum decem circiter ſuorum millibus, utriusque præterea Valachiæ Principes, per Transſilvaniam tranſeuntes, Budam versùs properant, rapinisque ac cædibus in tranſitu graſſantur. Non ſine minis, Porta Ottom. etiam Apaſio & Statibus Transſilvaniæ ſuſcipiendam hanc expeditionem mandaverat: at mutatis rerum circumſtantiis, expeditioni huic militia Transſilvanica minime interfuit. Supremus verò Purpuratus, datis ex obſidione Arcis Novæ (*Erſek-Újvár*) ad Apafium Literis, in Hungariam venire jubet, Hungariæque deditionem facturæ Regem eum creaturum promittit. *Jo. Betlen in MS. Hiſt. Continuatione.*

e. Apafius igitur, vnica, ante præfixum Comitiorum *M-Váſárhelyenſium* terminum, die diſcedere coactus, puncta á Statibus ruminanda, Magiſtro Prothonotario *Martino Sárpataki* in ſcriptis tradit, Menſeque Sept. demandatum ſuſcipit iter, (prodigiis infauſtum illud portendentibus, *Vid. Jo. Betl. MS.*) *Stephano Nalátzi* V. Mareſchallo, & Nobili Matthæo Balog ſibi adjunctis. Maros-Váſárhelyini deinde, 24. Sept. Articuli conditi ſunt, ſub confirmatione trium Conſiliariorum & Principis Locumtenentium, ſcil. *Stephani Petki* de Királyhalma, Comitis de Küküllö, *Pauli Béldi* de Uzon, Comitis Szólnok Interioris, Sedisque Háromſzék Judicis Regii ac Exercituum Generalis Supremi, nec non *Andreæ Literati*

Flei-

Fleiſcher Judicis Regii Cibinienſis & Comitis Nationis Saxonicæ.

f. Ad Arcem Novam Apaſius pervenerat, ſplendidèque ac munificè acceptus erat à Supremo Purpurato; cujus juſſu datis An. 1663. 22. Oct. ad Status & Comitatus Hungariæ Patentibus, ſpontè ſe Turcæ ſubmittentibus immunem malorum belli vitam offerebat. At Comes *Franc. Veſelényi* Hungariæ Palatinus d. 31 Octob. & *D. Leopoldus* Rom. Imperator 10. Nov. contrariis evulgatis Literis, eosdem Status à Turca alienarunt. Poſtea Apaſius à Turca dimiſſus, Danubio non ſine vitæ diſcrimine trajecto, in Transſilvaniam ſe retulit. Poſt reditum, præſidiarii gregarii arcis *Székelybid* (ſubſecuto tempore demolitæ) in Hungaria, ab Imperatore Rom. ad Apaſium, ſub certis conditionibus, defecêre; quos Milites quoque gregarii Claudiopolitani, Officialibus ſuis, An. 1664. M. Febr. ejectis, ſub 5. Conditionibus ſequuti ſunt.

g. Pro recuperatis proximè memoratis arcibus laudes quidem & ſplendida promiſſa à Turcis Apaſius reportavit: aſt contrarium expertus eſt. Scilicet, in punctis deditionis arcis Váradienſis An. 1660. 3. Aug. cautum, juramentoque *Ali* Paſſæ confirmatum erat, ne præter arcem Váradienſem, ab antiquoque eidem adjunctas poſſeſſiones, vllæ arces, Caſtella, Oppida, Villæ aut poſſeſſiones partium Hungariæ Transſilvanis adimantur, *Betl. Lib. III. §. 8.* quibus tamen violatis, præter *Váradinum*, atque *Jenő*, *Káránſebes*, *Lúgos*, immò Bihar, Karaſzna & Szólnok

Me-

Mediocrem Comitatus, Comitatuum quoque Kolos, Doboka & Szólnok Mediocris posteriores partes, aliaque loca, (quibus omnibus dimidia Transsilvaniæ contribuentis pars abstrahebatur) armis Turcæ ad deditionem cogebant & possidere satagebant. *Conf.* §. 103. *n.* 4. incursionesque in Transsilvaniam faciebant, & Tributum (quasi provinciarum accessione ditata fuisset. *Conf.* §. 103. *n.* 4. *e.*) extorquebant. Sic, Principe Claudiopoli commorante, Turcæ Præsidiarii Váradienses per decem fermè dies Tributum in vicinia Vrbis extorquere, eosque, qui solvendo non erant, captivare haud verebantur. Exacerbatus tot eorum facinoribus Apafius, *Dionysium Bánfi* cum 5. Cohortibus ad abigendos eos expedit; qui dicto parens, in Oppido *Bánfi-Húnyad* deprehensos, solis verborum minis, (nam, nisi extrema necessitate urgente, armis uti prohibitum erat) redire Váradinum compellit. Pariter pagus *Kájántó* dimidio Claudiopoli distans milliari à Turcis Váradino irrumpentibus depopulabatur: sed *Georgius Vér* cum certis cohortibus à *Stephano Ebenio* Vrbis Claudiopolitanæ Supremo Capitaneo expeditus, captivos fermè omnes, sub radicibus alpium Zilahensium, tumultuaria pugna initâ, in libertatem adseruit. Imminuto his rerum difficultatibus tributo, alienum aliquoties æs à potentioribus Magnatibus mutuari Princeps inopia ærarii pressus, ad explendum Turcæ graviter comminantis desiderium, sicque tutandam Transsilvaniam, coactus est; teste *Articulo I. Tit. IX. & Art. VII. Tit. XII. Part. IV. Compil. Const.* aliisque. Pro occupatis interea injustè pagis ac locis, Transsilvaniæ re-

ſtituendis, incaſſum iteratis toties vicibus Legationes multo argento inſtructas, largitionesque Sultano & Purpuratis profuſas, expedivit, vt prolixe docet *Jo. Betlen in Hiſt. MS.* Augebat miſeram Principis & Transſilvaniæ ſortem, quod aliquamdiu Vrbs Claudiopolis, nonnullæque aliæ arces & regiunculæ, à milite Auſtriaco occupatæ, nihil huc contribuerint, *Art.* & quod aliquoties iidem milites Germani, vt & Hungari, Duce cumprimis *Georgio Kökényesdi*, ex Hungaria in Transſilvaniam irrumpentes, grandem pecorum numerum abegerint, ſtupraque cædibus & cædes ſtupris miſcuerint, *cet. Jo. Betl. l. c.*

h. Princeps leniſſimus, tam eorum, quos Principatui inhiare videbat, quàm eorum, quos eundem ambire, à ſimulatoribus adductus, putabat, intuitu, multum inquietabatur. Horum, *Gabriel Haller*, ad Turcas Legatus, falsò apud Principem proditus fuerat. *Paulus* quoque *Béldi* incuſatus, & Articulariter proſcriptus, licet à nonnullis diſertè excuſetur: in Porta tamen Ottomanica fruſtratus ac ibidem cum ſociis An. 1678. 22. Apr. in vincula conjectus, miſere vitam finiit. *Nicolaus Zólyomi*, Davidis (§. 117. *n. b.*) filius, poſt varias viciſſitudines ſuique honoris & bonorum jacturas, ad Turcas profugus, arcium nunquam hactenus à Turcis poſſeſſarum, tributisque duplo majoris promiſſione Principatum quærebat; quem vix non obtinuit. Quantas expenſas, quantos metus, Apafius ſupportârit, ne Zolyomius (brevi poſt fato functus) inveſtiretur, docet abundè *Jo. Betl. MS.*

i. Apa-

i. Apaſius à quibusdam Hungariæ Magnatibus turbulentis diù ſollicitatus, An. 1677. *Michaëlem Teleki*, cum mediocri exercitu adverſus Rom. Imperatorem in Hungariam expedivit; qui non diù, nec feliciter, ibi moratus, rediit. Nec mens unquam Apafio fuit, bellum contra Rom. Imperatorem gerendi; ſed potiùs confœderationes cum Eo fovebat continuas: eas quidem occultas; ne à Turcis deprehenſus, ſe ac Transſilvaniam in diſcrimen vocaret. *Jo. Betl. MS.*

k. Prævaleſcentibus tandem in dies AVSTRIACORVM armis, ac *Turcis* pedetentim pluribus Hungariæ regionibus pulſis, Protectionem D. LEOPOLDI pro ſecuritate Principis & Provinciæ, Status Transſilvaniæ amplexi ſunt; vt docet TRACTATVS, An. 1686. 28. Jun. *Viennæ* ſub XXI. Punctis, in ſecreto, à Commiſſariis Cæſareis & Legatis Transſilvanis, exaratus; quorum vnicum erat, *ne idem Tractatus unquam Turcis, etiam poſt factam pacem, reveletur.* Apafius verò in actuali ſuo Principatu confirmatur, & electio Michaëlis Apafii junioris rata habetur. Hoc Protectionis Inſtrumentum, Legati *Joan. Haller*, *Matthias Miles*, *Sigismundus Pernyeſzi* & *Mich. Intzédi*, ſub propriis, & Cæſareorum Commiſſariorum, *Ferdinandi* Principis *à Dietrichſtein*, *Hermanni Marchionis Badenſis*, & Comitis *à Stratman* ſubſcriptionibus expeditum. 28. Jul. reportarunt. An. 1687. 27. Oct. Tractatum denuò, ſuper Protectione Transſilvaniæ, iniit Sereniſſ. Dux Lotharingiæ CAROLVS, cum Celſiſſimo Principe Apafio & Inclitis Provinciæ Statibus, in XXX. Puncta, duorum Capitum: hoc pera-

§. 123.

cto, idem Dux Lotharingiæ, cum exercitu Cæsareo, Transsilvaniam intrat, inque hyberna militem (cui præter annonam & victualia 700000. Flor. promittuntur) distribuit, ac eo præsidiis munit. Porro, An. 1688. 9. Maji. Declarationem Status Transsilvaniæ D. LEOPOLDO Rom. Imperatori, operâ Exc. Dñi Comitis *Antonii Caraffa* Generalis in Transsilvania Commendantis Cæsarei, submisêre; qua se à Protectione Turcica, *ad Regem Hungariæ, à quo fatorum invidiâ segregati erant*, redire promittunt, in Privilegiis & Libertatibus, signanter libero Religionis exercitio se conservandos postulantes. Quam Declarationem atque postulata, Divus Imperator, Resolutione An. 1688. 17. Junii Viennæ emanatâ, benignissimè confirmavit. Sic hyberna Cæsareanorum in Transsilvania, intacta Principatûs Apafii dignitate, continuantur.

I. Apafius morbis debilitatus, morteque conjugis quæ An. 1688. obierat, in acerbissimos luctus & melancholiam conversus, A. 1690. 15. Apr. Fagarasini, vbi Comitia celebrabat, annum ætatis agens 58^vum^, de vita migravit, & *Alma-Kerékini* sepulturam invenit. Hæredem unum, reliquis fato functis, reliquit, *Michaëlem II. Apafium.* Princeps, à teneris ungviculis lenissimus neminique molestus, & tam naturâ, quam propter diuturnas carceris Crimensis molestias, ad dexteram usque patientiam demissus erat: sed ipsius bonitas, in privata persona forsan encomiis celebranda multis in Transsilvania contentionibus & innoxiis cædibus (exemplo in longam erit ætatem magnus Heros *Dionysius Bánfi*, tali cæde in-

indignus, An. 1674. nocte concubia, licet nunquam legitimè convictus, in arce Bethlen capite minutus) ansam præbuisse, & Fiscum ad extremam redegisse paupertatem visa est; quum levibus subinde ex causis integros vicos & eorum portiones possessionarias nonnullis donasset. Hinc nihil est, cur mireris Articulum XVI^tum Anni 1667. 20. Apr. Albæ conditum, quo *universæ Donationes* (paucissimis exceptis) *Apafii, post Cancellariatum Joannis Bethlen emanatæ, nisi & Cancellarius vel Secretarius subscripserint, cassantur.* Inter Principis laudes non ultimum est, eum *Theologiam Vendelini* Lingva hungarica donasse, & An. 1674. 4. Claudiopoli, typis commisisse. Insuper memorat D. Felmer *Vehiculum vitæ Mich. Apafii*, ab eodem hungaricè conscriptum.

§. CXXIV.

20. MICH. II. APAFI, An. 1681. in inmatura sua ætate, à Provincialibus, in Templo Albensi, Princeps (sed non ante 20mum ætatis annum ad gubernationem admittendus) inauguratus, ac postmodùm sollemniter à Turcis receptus fuit: sed dum anno ætatis 14to Patre orbatus, Principatum ab EMERICO TÖKÖLI actùtum invasum, variisque difficultatibus pressum, gerere haud posset; D. LEOPOLDO Imperatori, an-

nuentibus Transſilvaniæ Statibus, tradidit, domiciliumque Viennam, vbi An. 171[illegible] defunctus eſt, transtulit.

a. Erepto humanis Apafio patre, belli claſſicum in Transſilvania intonuit. EMERICUS namque TÖKÖLI, unus Hungarorum malecontentorum, multarumque in Hungaria turbarum faber ac ad Turcas transfugus, exercitu Ottomanico, è Turcis, Tataris, Valachis, Gallis, Germanis, Hungaris & Transſilvanis conflato ſtipatus, juxta Paſſum *Törtsvár* (§. 16, *n.* 2.) impreſſionem per invia alpium molitus, adligatis equorum caudis arborum ramis frondoſis & arbuſculis, quibus miles inſidens, ſe equumque dirigeret, per præcipitia nunquam hominum veſtigiis notata Alpium *Zerneſtenſium* (& nominanter, locum *Padina Lupuluj* Valachis dictum) in Diſtrictum Barcenſem, miranda in ævum audaciâ, clanculùm penetravit; tormentis & impedimentis per ſcopulos transvectis. Factum An. 1690. M. Aug. Hærebat interea *Sigebertus Heisler Generalis* Cæſarearum Legionum (quarum 4. tunc ſecum habebat, 3-bus ad Portam Ferream relictis) Director, cum exercitu Germanico & Transſilvanico ad Paſſum Bozza § 16. *n*- 2. Audito Tökölii adventu, ad campum Zerneſtenſem ſine mora exercitum duxit, aciemque hoſti obpoſuit. Alam *dextram* Marchio *Doria* moderabatur; *ſiniſtram* Generalis *Magni*, Aciem *mediam* (*Corps de Bataille*) Colonellus *Nord-Kermer* dirigebat; toti denique exercitui *Heisler* præerat. Pugnatum eſt An. 1690. 21. Aug. poſt medium ſolem

lem

lem, inter *Tohán* & *Zerneſt* fortiter. Primum impetum hoſtis in Cæſareanos & Transſilvanos fecit, (Siculis primam pugnæ aleam vehementi conatu experiri volentibus non ſatis conſultè retentis) tanto à Germanis igne exceptus, vt protinus 9. vexilla & 200. circiter equites amiſerit. Nihil tamen eo Turcæ territi, ſed quaſi in rabiem acti, Marte crudeli noſtros adgreſſi, eos in fugam convertêre. Magnam Germanorum ac Transſilvanorum cladem vel inde conjicias, vt omnes fermè Generales vel cæſi, vel capti fuerint. Capti fuêre, *Doria*, *Magni* & ipſemet *Heisler*, qui An. 1691. cum vxore Tökölii, *Helena Zrini* Viennæ detentâ, & 7000. aureis, redemtus eſt. Cæſus inter ceteros, Heros inmortalis memoriæ, Generalis & S. R. I. Comes MICHAEL TELEKI de Szék, cujus corpus exanime vix inter cæſos cognitum, candida involutum veſte, ſepulcroque impoſitum, *Tökölius* in arcem Görgény, Heroinæ *Judithæ Vér*, conjugi doloroſæ, transmiſit humandum.

b. *Tökölius*, adepta tam memorabili victoria, Cibinium versùs exercitum duxit, adque Paguin *Groſz-Au*, (Hung. *Kereſztyén-Sziget*) quo Comitia indixerat, pervenit. Ad inſtituta ibidem die 12. Sept. Comitia, non ſolùm miles fermè omnis Transſilvaniæ, ſed & Magnates numero ſi metu perculſi, paucis cum juvene Principe Apafio Claudiopolim ſe recipientibus, ſe adgregabant. Emericus proinde Tököli, Inſignibus Principalibus (§. 103. *n.* 3.) à Turca ornatus, ab eodemque in locum Apafii ad Rom. Imperatorem deficientis ſublectus, Princeps ſollemni pompa

 in-

inauguratus est; vacantibus interea longè latèque per Transsilvaniam Turcis, Tataris & Valachis, excursionibus atque prædis. At, merito *Kölesérius* Tökölium *Umbratilem Principem* nominavit: *Ludovicus* enim *Marchio Badensis*, Belgrado in Transsilvaniam properavit, & 24. Sept. per Portam Ferream ingressus, vestigiis Tökölii institit; quem nusquam aciem opponere ausum, Mense Octobri, non paucos Transsilvanos prædasque secum ducentem, per Passum Bozza expulit. Incassum tandem Tököli omnem movit lapidem, quo Principatum raperet, in Imperio Turcico mortuus. Vide hæc omnia fusiùs in *Hist. MS. Michaëlis Cserei de Nagy-Ajta*, qui pugnæ ad Zernyest interfuit. Non longo post tempore, *Lud. Marchio Bad.* Viennam iturus, Transsilvaniæ Cæsareo Præsidio munitæ defensionem Generali *Friderico Véterani* commendavit.

r. Rejecto Tökölio, successio ad Principatum, Apafio II. retenta est: sed, quod annum ætatis 20^{mum} nondum attigisset, ex eoque, per Leges, Provinciæ administrandæ impar esset, de Tutoratu ejus ac educatione, ab Augustissimo provisum est. Ne verò interea Status Transsilvaniæ suspenso essent animo; *Diploma Leopoldinum*, An. 1686. (§. 123. *n. k.*) promissum, ad preces Statuum An. 1690. 16. Octob. datum est: quod, donec Princeps adolesceret, certis ordinationibus, 18. Articulis comprehensis, omnimodam Provinciæ securitatem promittebat. Hanc igitur Clementiam & in restituta pace Imperatoris Rom. Benignitatem Status Transsilvanici recognoscentes, non modò Diploma acceptant, sed promta volunta-

te

J. 124. S.

te in Imperatoris fidelitatem, coram Comite *Friderico à Falkenſtein* Commiſſario Cæſareo, homagium præſentes deponunt An. 1691. 10ma Jan. abſentibus verò in Congregationibus Circulorum (h. e. Comitatuum & Sedium) 1. Mart. deponendum, ſub pœna amiſſionis Bonorum & Nobilitatis injungunt *Artic.* In eodem Conventu, GEORGIVS BÁNFI de Loſontz, conſenſu Imperatoris in Tranſilvaniæ *Gubernatorem* eligitur. Eodem 1691. anno, d. 4. Dec. pauló aliter (ſicque aliud) *Diploma* pro Transſilvanis expeditum eſt, quod vulgò *Diploma Leopoldinum minus* vocari conſvevit. An. 1692. 15. Mart. in Conventu Publico, Diploma memoratum, Status Diætaliter & gratulabundi acceptant. Eadem Congregatione, Gubernator *Georgius Bánfi*, Generalis Militiæ Tranſſilvanicæ *Gregorius Bethlen*, Cancellarius *Nicolaus Bethlen*; Theſaurarius *Joannes Haller*, & Conſiliarii, per Comitem à Veterani, vi Diplomatis, publicè ad Officia introducuntur, quibus certæ per Status Provinciæ Conditiones præſcribuntur. *Vid. Art.* Anno autem 1693. 29. Apr. Viennæ, *Inſtructiones* & *Formulæ Juramenti* (quas poſſideo) pro Gubernatore, Cancellario, Generali, Theſaurario & Conſiliariis Gubernialibus, expeditæ ſunt. An. 1693. ad Aulam Imperatoriam, cum quibusdam Poſtulatis, Religionis aliaque negotia complectentibus, miſſus erat *Petrus Alvintzi*; qui *Reſolutionem* (*Alvintzianam* dictam) eodem Anno, 14. Maji Laxemburgi Benigniſſimè à Clementiſſimo Imperatore datam retulit. His ſimilibusque abundè de Transſilvaniæ ſecuritate proſpectum erat.

§. 124. 4.

d. *Mich. II. Apafi*, An. 1694. matrimonium cum CATHARINA, *Gregorii BETHLEN* Filia inivit, eodemque anno, devotionem in Aug. Imperatorem teſtaturus, cum Generali Militiæ Cæſareæ in Transſilvania Præfecto, Comite *Frid. Veterani*, ad Aulam citato, Viennam petivit: redierunt eodem anno ambo. An. 1696. venit rursùs ad Aulam Apafius, quem ſequuta mox eſt conjux, amboque Viennæ, quoad vixêre, manſerunt. An. 1697. facta eſt Propoſitio nomine Cæſaris ad Apafium; qui Transſilvaniam Eidem Auguſtò tradendam eſſe, cum certis conditionibus, annuit. Et dum res hæc pendet, Anno 1699. facta inter Romanorum & Turcarum Imperatores, *Carlowizii* in Sclavonia, pace, Apafius Diploma Turcicum An. 1681. ſibi datum, cum Principatu Transſilvaniæ Cæſari reddidit, ab Eademque Sacratiſſima Majeſtate, Titulum S. R. I. Principis, & annuatim 10000. Flor. penſionem, cum nonnullis aliis Cæſaris Beneficiis, accepit, taliterque Viennæ domicilium fixit, donec An. 1713. vitam cum morte permutavit, inſequente Viennæ itidem mortem ejus An. 1724. conjuge ſua *Catharina Bethlen*. Exſangvia eorum corpora in Transſilvaniam (vt vivis placuerat) delata, in Pagi Apafiani, *Almakerék*, (Comitatus Albenſis ſuperioris) dicti, Templo, in loculis ſepulcralibus ſuper facie terræ jacent hodieque inhumata; at digna ſepulturâ nunciante publica famâ, ab Illuſtriſſima Comitum de Bethlen Familiâ, propediem honoranda. Sic, Rempublicam nunquam geſſit.

§. 125. 126..

E. De (Hæreditariis Transſilvaniæ) Principibus AVSTRIACIS.

§. CXXV.

Principes AVSTRIACI, h. e. Auguſtiſſimi Romanorum Imperatores & Apoſtolici Hungariæ Reges, qui Transſilvaniam, poſt mortem *Ludovici II.* abs Hungaria avulſam, ſed denuò cum ea, reliquisque Auſtriacis Ditionibus connexam (non tamen more antiquo eidem incorporatam & quaſi ſubjectam, vt putant nonnulli) poſſederunt, ſunt: 1. LEOPOLDVS. 2. JOSEPHVS I. 3. CAROLVS VI. 4. MARIA THERESIA cum CORREGENTE Marito AVGVSTO FRANCISCO I. felicis recordationis. 5. JOSEPHVS II. CORREGENS & Rom. IMPERATOR AVGVSTISSIMVS.

§. CXXVI.

1. LEOPOLDVS MAGNVS, Rom. Imperator, An. 1687. pedem tulit in Transſilvaniam (§. 123. *n. k.*) An. 1692. firmiùs fixit, & demùm An. 1699. Principatum integrè adeptus eſt: quem licet

in turbis à *Franciſco II. Rákóczi* excitatis ſat moleſtum tenuit; futuræ tamen ejus felicitati tranquillitatique Diplomatibus, Decretis, Reſcriptis & Inſtructionibus Benigniſſimè adèo conſuluit, vt meritò alter Principatûs Transſilvaniæ Fundator dici queat. An. 1705. 5. Maj. æt. 65. Regnorum 47. ingentem Animam cœlo maturam Datori ſuo reddidit. Symb. *Conſilio & Induſtriâ.*

a. Quæ Divus Imperator geſſerit, clari tradiderunt Hiſtorici; qua autem occaſione quoque modo Transſilvaniæ Principatum adeptus fuerit, §. 124. monuimus. Jam quæ *Franciſcus Rákóczi* contra Leopoldum geſſerit, qualiterque is Princeps dici voluerit, breviter referamus. *Franc. II. Rákóczi*, prioris (§. 119. *n. k.*) filius, genitore orbatus, genitricis ſuæ ac Vitrici *Emerici Tököli* (§. 124. *n. a.*) auſpiciis, in arce Munkátſenſi, educatus fuerat; quâ a Rom. Imperatore occupatâ, Viennam cum Matre & Juliana Sorore, An. 1688, ductus fuit. Ex ephebis excedens, ac Academicis è peregrinationibus in Hungariam redux, è Principali HaſſiacaDomo connubium impetravit. Hoc imprimis conjugio, & ex denegato ſibi (tali toro aucto) à Rom. Imperatore, S. R. I. Principis titulo, motus, oppreſſam Hungariæ libertatem obtendens, dum abs Hungaris malè contentis & Aulæ Gallicæ Legato, ſpe adipiſcendi Principatûs lactaretur, armis titulum quærendum exiſtimavit. Anno igitur

§. 126.

tur 1700. 1ma Nov. dedit ad Galliæ Regem Literas illas infelicissimas, quibus Legato suo *Longuevalio* creditis, Gallorum subsidium sollicitabat. At Longuevalio (Centurione Badensis Legionis in Sarosiensi Comitatu Hungariæ hybernantis) Aulæ Viennensi hanc (& alteram post) Legationem aperiente, Rákoczius An. 1701. in Hungaria captus & Neapolim Austriæ (al. Neogradium, Germ. Neustadt) deductus, custodiæque arctissimæ inclusus est. Dum ibi actum ferè de vita sua esse sentiret, promissâ 20000. Fl. summâ, *Lehmannum* Capitaneum Cæsareum, tum custodiæ Præfectum expugnavit: is Rákócium vili indutum veste, saccumque avenâ plenum humeris bajulantem, elabi & in Poloniam (vbi *Nicolaus* Comes *Bertséni* eum præstolabatur) fugere sivit; at ipse capite diminuto & corpore in 4. partes secto Rákóczii crimen expiavit, Vid. *P. Timon Epitom. Chronolog. ad An.* 1700 - 1702. & *P. Franc. Car. Palma Notit. rerum Hungaricar. Part. III. p.* 251. In Hungaria interea seditio in dies clam gliscit; cujus auctores An. 1703. senescente Junio, Rákóczium & Bertsénium ex Polonia evocant, universamque Hungariam uni quasi belli flammæ involvunt. Serpsit idem eodem anno malum in nostram quoque Transsilvaniam, magnamque Rákócziani de Cæsareanis, tam in Comitatu Húnyad, quàm ad vicum Bontzida, victoriam reportarunt. Sed An. 1704. Colonello *Barone de Tige* (Baron Tisch) Cæsareanum ducente exercitum, ad vicum *Hóldvilág* juxta majorem Küküllö ampliùs mille Siculos una dies perdidit. Parem, Mense Sept. victoriam

riam *Generalis Rabutin* juxta Cibinium reportavit. *Vid. Mich. Cserei Hist. MS.*

§. CXXVII.

2. JOSEPHUS I. Augustus, Leopoldi Magni filius, immortalis gloriæ Princeps, Provinciam, quam procellis *Rákóczianis* reperit jactatam, falce mortis inmatura, An. 1711. 17. Apr. in florentissima sua ætate demessus, Matri Augustæ, ELEONORÆ MAGDALENÆ THERESIÆ, Divi Leopoldi Viduæ reliquit pacandam. Symb. *Amore & Timore.*

a. JOSEPHO Rempublicam capessente, pacatiora videbantur tempora, ideoque plures ad Imperatorem redibant: unde An. 1705. 15. *Dec. Art.* 10. præstandi homagii necessitas Diætaliter illis imponebatur, qui à Ràkoezio ad Imperatorem deficiebant. Sed versa protinùs belli aleâ, *Malecontentorum* in Transsilvania prævaluerunt arma. Sic igitur, 1707. Franc. Rákóczi Transsilvaniam ex Hungaria ingressus, in Comitiis ad d. 28. Mart. Maros-Vásárhelyinum indictis, Articulariter, sub XIX. Conditionibus, Princeps creatur. Acta horum Comitiorum, XXVI. Articulis comprehensa & typis mandata legebantur, eorumque vigore, IX. Consiliarii, II. Prothonotarii & XIII. Tabulæ Judiciariæ Adsessores creati conspiciebantur. Eosdem Articulos, illegali-

galiter emanatos, Gubernium Regium Cibinio inclusum, vt & Magnates Nobilesque Caesaris adhaerentes partibus, cassarunt, carnificique traditos, jussu Baronis de Tige, Vulcano dederunt, electionem Rákóczii invalidam declararunt, *cet.* Rákóczius postea, M. Majo, in Hungariam revertit, ibique *Ónodensibus* in campis famosum celebrat Conventum, quo iterum Transsilvaniae Princeps declaratur. Sed quo eventu? Caesareanus in dies exercitus evadit superior, reprimuntur Rákócziani, Principatu exuitur Franciscus, potitur Provinciâ Domus Augusta; sed proh dolor! JOSEPHVS Augustus humanis eripitur priùs, quàm pax consumaretur optatissima.

b. Compacta è ferro & flamma aetas, qua Rákóczii asseclae Augustissimam Domum Austriacam fatigabant, & Hungariam aeque ac Transsilvaniam calamitatibus complebant, lingvâ Hungarica, *Kurutz Világ* i. e. Cruciatus Mundus dicebatur, & *Malecontentus* quisque *Kurutz* audiebat. Non quod cruce fuisset signatus, quemadmodum Christiani adversus Turcam *sacrum bellum* instituentes cruce in vestibus signabantur, indeque *Cruciati* dicebantur §. XCIX. *n.* 18. sed quod (eorundem instar,) libertatis vindices jactantiùs se se dicerent. Tantum verò abest, vt nomen factis responderit, vt potiùs libertatis eos oppressores jure meritoque dixeris. Luxerunt acerbissimè praeteriti, sed centum adhuc anni venientes eorum facinora lugebunt. Hinc Rákóczianus, illinc Germanus miles (*Laboncz* dictus ab ejaculatione bombardarum; *lobbantás* siqui-

dem

dem Hungaris *inflammationem* & *ejaculationem* notet) prædas exercebat. Non hoſpes ab hoſpite tutus erat, nemoque honeſtus decenti incedere veſtitu, propter prædatores, audebat. Quo quis erat opulentior, eo infeſtiores ab utraque parte milites experiebatur. Ea certè erat ætas, de qua non indigniùs, quàm Auctor Libelli, *Magni Manes Tranſylvaniæ Principum* inſcripti de infelici dixit tempore, exclamandum mihi videtur: *Si qui adhuc ſuperſunt gemitus, ſi quæ in corde lacrymæ, quas ſuperiorum temporum effera barbaries nondum elicuit, Bonorum omnium digni lacrymis Tranſylvani effundite.* Plura de hac revolutione legi poſſunt in *Chronicis P. Andreæ Spángár S. J.* & *Joannis Kováts* Lingva Hungarica editis; & cumprimis in *Hiſt. MS. Michaelis Cserei*; nec non in Libello quodam Gallico *de Turbis Rákocianis* exarato.

c. JOSEPHO Auguſto è numero mortalium evocato, inter Franciſci Rákóczi aſſeclas *ab una*; ac Comitem *Joannem Pálfi* ab Erdöd Croatiæ Banum & Campimarſchallum, atque *Carolum Locher* de Lindenheim, quà Imperatoris Joſephi Plenipotentiarios, *ab altera* parte, ad Oppidum *Szathmár* certa *Conventio* decem Punctis (quæ multi poſſidemus) abſoluta, An. 1711. d. 29. Apr. initur, eâque Rákóczio & Aſſeclis *Gratia Amneſtialis* datur; quam d. 26. Maji, Imperatrix Vidua *El. M. Thereſia*, qua Filii ſui *Caroli* (§. 128.) Hiſpaniarum, Indiarumque Regis, *cet.* Regnorum & Provinciarum p. t. Rectrix, ſollemniter confirmat. Eamdem etiam *Carolus VI. Imp.* An. 1712. 30. Mart. confirmavit. Rákóczius contemtâ Gratiâ Cæſarea, multo auro

&

S. 122. ...

& argento, in Poloniam, inde Galliam ſeceſſit, ac poſt varios tandem errores ad Portam Ottomanicam confugit, An. 1732. 27. Oct. tabulam teſtamentariam in Rodoſto condidit, nec multo poſt, anno v. l. 1735. 8. Apr. Chriſtianè obiit, æt. ſuæ 59. Vid. *P. PALMA l. c. p.* 287. "Filios Rákotzii, *Franciſcum* & *Georgium*, commutato nomine in gratiam recepit Carolus Cæſar: Ille S. Caroli; hic S. Eliſabethæ Marchiones, appellati ſunt, uterque citra ſobolem exſtincti" *P. Palma l c. p.* 288. *Joſephus* verò *Rákoczi*, Franciſci natu major filius, paterni criminis exemplo, ad partes Portæ Ottomanicæ ſe receperat, ab ea protectionem obtinuerat, Manifeſtumque ſeditioſum (in quo Principem Transſilvaniæ & Ducem Hungariæ proterva jactantiâ ſe nominabat, Titulosque paternos, per ſententiam criminalem ſub dato 30. Apr. 1703, & Articulum 49^{num} 1715. abolitos uſurpabat) publicè ſparſerat, imo copiis quoque Militaribus Turcicis ſtipatus, contra Legitimum Principem arma ſumſerat; ut docent clarè, *Litteræ Patentes* Aug. Caroli VI. An. 1738. 6. Maji Laxemburgi exaratæ, quibus pretium in caput Joſephi Rákoczii conſtitutum erat: ſed Siſyphi ſaxum volvit, vitamque cum ſpe Principatus poſuit. Sequuti erant Rákoczium, in oblatæ Gratiæ Regiæ rejectione, Comes Nicolaus Bertſényi, nonnullique alii Malecontenti, qui Actis pacis Szathmárenſis roboratis, hoſtes Reipublicæ declarati ſunt, & bona eorum Fiſco addicta. Bertſényii tamen Poſteri, Anno 1761, notâ omni abſoluti, atque

$.128.-25\. 4.

in gratiam ab Aug. MARIA THERESIA ſunt recepti. *P. PALMA l. c. p.* 297.

§. CXXVIII.

3. CAROLVS VItus hoc Nomine Rom. Imperator, Leopoldi Magni Filius, jure Patrio ac Provincialium ſuffragiis ab An. 1711. Princeps Glorioſiſſimus; Principatui Clementiſſimè ſummoque ſubditorum emolumento adminiſtrato, An. 1740. 20. Oct. ad Superos arceſſitus, renunciavit. Symb. *Conſtantia & Fortitudine.*

a. Meritò quidam, CAROLVM, *Optimum Principem & Reſtitutorem Daciæ* dixit: glorioſiſſimis enim Ejus auſpiciis, Transſilvania & vicina Hungaria, hoſte gemino, domeſtico nimirùm ac extero, feliciſſimè liberata eſt, An. 1717, 20000. circiter Tatarorum per alpes Radnenſes furtim Transſilvaniam invaſerant, dieque 22. Aug. Diſtrictum Biſtricenſem & vicinas regiones igne ac populationibus vaſtantes, versùs Szathmár & Ugotſa Comitatus Hungariæ iter promoverant: verùm, ad ſua, versùs Máramaroſum (*Marmatiam*) ingenti præda ac captivorum multitudine reverſis, & à tumultuario incolarum valde exacerbatorum grege in alpe Borſenſi circumdatis, potior captivorum ac prædarum pars, nec non equi Tatarici, rarâ Chriſtianorum audaciâ eripiuntur. Ex hoc tempore felix adeo fuit eſtque Transſilvania, vt Tataros, quorum ſæpius antea

8. 129.

tea præda erat, non amplius in solo suo viderit, alis *Aquilæ* AVSTRIACÆ obvoluta. Præter innumera Fortitudinis, Clementiæ & Justitiæ monumenta CAROLI, tanto Cæsare Digna, perpetuam Sacratissimi Ejus Nominis memoriam conservabunt, *Arx Carolina* §. 260, & *Via Carolina*, quam per angustum Passum *Veres - Tornyensem* §. 16. *n.* 2. juxta Alutam fluvium, inter rupes petrasque, curante Comite *Steinville* Generali, 1716,, aperiri jussit.

§. CXXIX.

4. MARIA THERESIA, Caroli VI. Augusti Filia Primogenita, An. 1717. 13. Maji nata, vt omnium AVSTRIACÆ Ditionis Regnorum & Provinciarum, ita etiam Principatûs Transsilvaniæ *ex asse Heres*, cum Augustissimo quondàm Romanorum Imperatore cet. Domino Domino FRANCISCO I. Marito SVO Dilectissimo felicis recordationis, & Ditionis AVSTRIACÆ CORREGENTE, Transsilvaniam usque ad An. 1765. Clementissimè rexit. Nunc eam cum Romanorum Imperatore semper Augusto & CORREGENTE, Domino Domino JOSEPHO II. gloriosissime tenet.

a. Sacratissimæ Majestati, MARIÆ THERESIÆ, An. 1741. 2. Mart. Cibinii, Generalibus in Co-

§. 129. ...

mitiis, à Statibus Provinciæ, Homagium sollemniter præstitum est. Hujus rei memoriam exhibet *Moneta* Insignibus Hungariæ & Transsilvaniæ notata, in qua leguntur:

Coelo Numen habes, Terras Regina tuetur;
Sic Coelo & Terris Hungare tutus eris. Item:
Sub Cruce jam gemina, gemina est Patrona MARIA. Nec non:

Nec sævos metuent armenta leones. Item:

REGNANTI MARIÆ THERESIÆ, VT PRINCIPI SVÆ VOTIS SE IVRATI OBSTRINXERE DACI. Porro: *Inventore Libero Barone Joanne Lázár de Gyal. T. R. I. As.* (hoc est, de Gyalakuta, Tabulæ Regiæ Judiciariæ Assessore.)

b. Anno sequente, ad sacratissimam SUAM Majestatem, deputati Viennam ablegantur, v. l. Comes *Ladislaus Gyulafi de Rátót*, Sedis Udvarhely Supremus Judex Regius, Lib. B. *Georgius Pungrátz*, S. R. I. Comes *Michaël Teleki* de Szék, L. B. *Joannes Lázár* de Gyalakuta, *Petrus Binder* Senator Cibiniensis, & *Michaël Schüler* Consul Mediensis; qui demissa Statuum Transsilvaniæ Postulata AVGVSTISSIMÆ submittunt, *Resolutionesque* An. 1742. 20. Jul. impetrant Clementissimas. 1.) *Circa Jurisdictionalia.* 2) *Circa Politica & Oeconomica.* 3) *Circa Aulico-Provincialia.* 4) *Circa Siculorum Postulata*; quæ An. 1743. 21. Aug. Cibinii, in Generalibus Comitiis, publicè perleguntur.

c. Eo-

§. 129.

c. Eodem Anno, Aug. Rom. Imp. FRANCISCVS I. Dux Lotharingiæ & Barri, Magnus Dux Hetruriæ, *cet.* ad *Corregimen* à Statibus & Ordinibus Trium Nationum Principatûs Tranſſilvaniæ invitatur, quibus his reſpondet:

" Illuſtres, plurimùm & admodùm Reveren-
„ di, Spectabiles, Magnifici, Generoſi & Egre-
„ gii Domini! Recipio cum ſingulari conſola-
„ tione Literas ſub 2^da^ Octob. ad me datas,
„ per quas prætitulatis Dominationibus Veſtris
„ libuit me ad *Corregimen* Principâtûs Tranſſil-
„ vaniæ invitare: accepto offertum gratiſſimo
„ animo, & quemadmodùm Sua Regia Maje-
„ ſtas proſperitatem & incrementum hujus fide-
„ lis Principatûs ſummopere cordi habet; non
„ minùs & ego eo inclino, & ſalubrem Regi-
„ næ intentionem omnibus viribus promovere
„ conabor, qui de reliquo prætitulatis Domina-
„ tionibus Veſtris ſpecialiter omni benevolentiæ
„ ſtudio propenſius permaneo
Prætitulatarum Dominationum Veſtrarum

Viennæ 15. Dec. A. 1742. Benevolus
Franciſcus
m. pr.

d. An. 1743. 21. Aug. in Comitiis Cibinii habitis, Articuli conduntur, quorum IV^to^, Status & Ordines hujus Principatus, *Benignum & in ſuos Subditos ſvaviſſimum Auguſtæ Domûs Auſtriacæ Imperium* grata mente recolentes, *ſummè-fatæ Regiæ Majeſtatis Hæreditario Jure Succeſſionem, pro juſta, legitima, & ex SANCTIONIS PRAGMA-*

§. 130... 2.

TICÆ dispositione Eidem debitâ, agnoscunt, declarant & inarticulant, cum inserta *Formula Juramenti*, quod An. 1741. depositum erat. Tunc & ibidem, *Articulo Vto*, Imperatoria Majestas, Serenissimus Dux Lotharingiæ, in casu, quo Augustissimam M. THERESIAM præmori contingeret, Prolesque Regia, quam Successio Principatûs concerneret, inter minorennes esset, pro Gubernatore jure Tutorio & Paterno usuro declaratur, *cet.* Cui Articulo *Formula Juramenti*, quod, qua CORREGENS præstitit, inseritur.

e. AVGVSTISSIMA denique, Cujus *Symbolum* æquè ac Naturam constituit *Justitia & Clementia*, quæ gesserit providentissimè, loquitur Orbis universus, intelliget grata posteritas; at noster nunc sileat calamus tantæ materiæ impar, sufficiatque dicere, nunquam tam florentem, ac sub Umbra THERESIANA, Transsilvaniam extitisse. Conferri verò possunt §. XI. *n.* 3. §. XX. *n.* 2. CLXXXI. *n.* CLXXXII. *n.* CLXXXVIII. CXCI. *n.* 1. CCVII. 1. CCIX. 1. CCXVI. CCXXIII. *n.* CCXLIX. *n.* CCLIV.

§. CXXX.

5. JOSEPHVS II. Romanorum Augustus, Orbis Amor, Austriacarum Provinciarum Salus & Deliciæ, Regnorum omnium Hæres & Matris Augustæ CORREGENS, meliore, quàm olim *Trajanus*, jure, PRINCEPS DACICVS, nobis di-

§. 130.

dicendus. Anno ſi quidem 1773. 20. Maji hanc ingreſſus *Daciam*, fines ejus oculatiſſimè circumivit, Civitates & Oppida illuſtriora perluſtravit, loca ſtatumque omnem perſpexit clementiſſimè, pulcrèque, quantum videant oculi Domini, docuit, & 16ta Julii, pedem, non oculos, nec ſvavem SVAE Majeſtatis Sacratiſſimæ memoriam, retulit, omniumque animos ſecum traxit. *Principis eſt virtus maxima noſſe ſuos.* Martial. *Epigr.* 15. *L.* 7. De cæteris, Cæſaris optatiſſimi, per Hæreditarias ſuas Provincias, itineribus, vid. *P. Palma Notit. Rer. Hung. P.* 3. *p.* 425-429, Parcæ! Tanto IMPERATORI parcite!!!

NB. His, quæ à §. XCIV. hucusque habes, *Bone Lector*! præpone ea, quæ à §. CXLI. ad §. CLXVII. incluſive ſcripta reperies, & *Lineamenta Hiſtoriæ Transſilvanicæ* obtinebis.

CAPVT V.

DE IMPERANTIS SVCCESSIONE, JVRIBVS, PROVENTIBVS ET EXPENSIS.

A. *De Imperantis Successione.*

§. CXXXI.

Olim, post avulsionem Transsilvaniæ à Hungaria §. 102. PRINCIPES ejus, ab Inclitis Statibus ac ordinibus Trium ejusdem Principatûs Nationum, Principes eligendi Jure gaudentium, publicis seu generalibus in Comitiis, eligebantur, & à Porta Ottomanica, cui adhærebat Transsilvania, vt plurimùm confirmabantur.

Luculentissimè hæc docentur *Parte II. Tit. I. Approb. Const.* atque *Compilat. Const. P. II. T. I.* quibus locis, varias quoque Principibus præscriptas Conditiones Lector avidus inveniet.

§. CXXXII.

Postquam verò AVG. Rom. Imperator LEOPOLDVS, felicibus Turcam ar-

§. 132.

armis vicino Hungariæ Regno expulisset, Transsilvania etiam, ubi jam antea, An. videlicet 1685. suum paternam, ac validissimam illius protectionem amplectendi studium, per Legatos felici eventu confecisset, rediit eo, unde fatorum vi, & ambitiosis nonnullorum ausibus segregata erat.

1. Copiosè clarèque hæc omnia traduntur in *Diæt. Art. I. & II*, Anni 1744. Vbi, *Art. I.* deducitur, quod & *Tractatibus* An. 1687 ac 1688. & acceptatione Diplomatis, (§. 124. *n. c.*) An. 1691. & subsecutis Articulis, licet defectu potestatis plenam vim non habentibus, Transsilvania non solùm Leges de Protectione Turcica latas penitus abrogasset, sed etiam Serenissimo Regi JOSEPHO, tunc Legitimo Magni Parentis Successori, *Hæreditario Jure* regnaturo, spontè ac ultroneè semet subdidisset: pro majori tamen Fidelitatis contestatione, voto omnium, Leges omnes, Constitutiones & Statuta, sive in seriem Legum relata, seu aliter qualitercunque condita, Consvetudines item & Vsus antea habiti, quæ adhæsionem ad Portam Ottomanicam quoquomodo saperent, ejurantur, abrogantur, abolentur, & è Corpore Juris Transsilvanici, vigore articuli, expunguntur *Articulo* autem IIdo, omnes Articuli, Leges, Tractatus, Transactiones, Diplomata, aliaque Instrumenta, Liberam Principum Electionem, ejusdemque eligendi Juris reservationem, oblationem aut concessionem, tacitè vel expressè

§.133.

continentia, omnesque Consvetudines & Vsus antea existentes, quæ Liberam Principes Eligendi facultatem ac jus concedunt, tribuunt, statuunt & reservant, vel quocunque colore & prætextu id saperent, aut aliter qualitercunque prædeclarato HAEREDITARIO Altè dictæ DOMVS AVSTRIACÆ Juri & Successioni præjudicarent, tanquam publicæ securitati exitiosa, abrogantur, annullantur, abolentur, & è Corpore Juris Transsilvanici expunguntur, ac pro nullis, non scriptis, nec statutis, neque tractatis & transactis declarantur.

2. Hæreditaria successio exigit, vt Principatus quoque Transsilvaniæ, cum aliis Regnis Austriacis indivisibiliter possideatur; & *primo loco quidem à Cæsarea Regiaque Majestate CAROLO VI*^to^ *; dein in Hujus defectu, ab Augustissimo quondam Imperatore JOSEPHO; His quoque deficientibus, è lumbis Augustissimi olim Imperatoris LEOPOLDI Descendentibus.* Vid. Art. III. Anni 1744.

§. CXXXIII.

Hæreditarium hoc *Successionis Jus*, ad SEXVM etiam FEMINEVM, Anno 1722. communi Statuum ac Ordinum Trium Transsilvaniæ Nationum consensu derivatum est; servato tamen hoc ordine, vt 1. Masculi Heredes Feminis præferantur. 2. Primogenituræ ratio semper cum in Masculis, tum in Feminis habeatur.

1. Rem

§. 133.

1. Rem totam pulcrè docet *Art.* 3. *Anni* 1744. quo declaratur, quod Aug. quondam Imp. CAROLVS VI. non ſolùm Titulum *Principis Tranſſilvaniæ* ceteris Coronarum Inſignibus annumeraverit & aſſumſerit; ſed An. 1722. 30. Mart. (in Comitiis Generalibus ad diem 19. Febr. anni ejusdem indictis & continuativè celebratis) in caſu defectûs Virilis Sexûs, Feminei quoque ſucceſſionem, unanimi Statuum voto, motuque proprio viva voce ac uno ore, pro ſe ac ſucceſſoribus ſuis, omni Contradictione, Exceptione, Diſpenſatione ac Abſolutione aliisque beneficiis contrariis in perpetuum excluſis, à Tranſilvanis acceptatam, ac à ſacratiſſimo Imp. CAROLO An. 1723. 30. Dec. confirmatam, poſtmodum An. 1724. d. 24. Febr. ſollemniter pro Lege perpetua & *Pragmatica Sanctione* habendam in Generalibus hujus Principatûs Comitiis publicaſſet; & ſimul eadem *Sanctio Pragmatica* confirmatur, eique Articulo verbotenus inſeritur, hoc tenore:

" Nos Sacratiſſimi, Potentiſſimi & Invictiſſimi
„ Principis, D.D. CAROLI VI. Dei Gratia Electi Rom. Imperatoris ſemper Auguſti &c. &c.
„ *Principis Tranſſilvaniæ* &c. Regium Transſilvaniæ Gubernium, cæterique Univerſi Fideles
„ Status & Ordines trium Nationum ejusdem
„ Principatûs Transſilvaniæ, & Partium Regni
„ Hungariæ eidem annexarum, ad moderna
„ Generalia Principatûs hujus Transſilvaniæ Comitia ſolenniter congregati:

" Ad perpetuam Rei memoriam ſignificamus omnibus, quorum intereſt, aut intereſſe quoquo
„ modo poſſet, Noſtro & chariſſimæ Poſterita-

„ tis

9. 133.

„ tis noſtræ nomine, per Præſentes: Quod
„ poſteaquam intelleximus ex Illuſtriſſimo &
„ Excellentiſſimo Saç. Rom. Imp. Comite Domino
„ *Damiano Hugone à Virmont* Majeſtatis Suæ Sa-
„ cratiſſimæ Actuali Intimo, & Aulico Bellico
„ Conſiliario, Peditatûs Supremo Magiſtro,
„ unius Legionis Pedeſtris Tribuno, nec non
„ Armorum in hoc Majeſtatis Suæ Principatu
„ Hæreditario, & Valachia Cis - Alutana Præfe-
„ cto, in hac item Directore Supremo, & ad
„ moderna Generalia Comitia Deputato Suæ
„ Majeſtatis Çæſareo - Regiæ, Domini Domini
„ Noſtri Clementiſſimi Commiſſario Plenipoten-
„ tiario, non ſine ſingulari animorum exultatio-
„ ne, & inde concepta Conſolatione, non mo-
„ do in Nos, ſed in ſeram quoque Poſteritatem
„ noſtram redundatura Sacræ Cæſareæ Regiæque
„ Majeſtatis, D. Domini & Principis Hæreditarii
„ Clementiſſimi, in omnia Regna & Provincias
„ ſuas Hæreditarias Divinitus Sibi concreditas,
„ & ſubjectas, eum amorem, & juxta Pater-
„ nam curam, & ſollicitudinem, qua Auguſto-
„ rum Majorum more, in præſentiarum iis præ-
„ çipuè malis, quæ futuris ætatibus, dictis Re-
„ gnis & Provinciis Suis Hæreditariis, calamitates
„ & pericula inſuperabilia accerſere poſſent,
„ quantum Omnipotens Deus conatibus ſalu-
„ taribus, pro liberrima ſua in Reges, & Regna
„ Terræ Diſpoſitione Clementer adeſſe voluerit,
„ providentius occurrendum benignè ſtatuerit,
„ vt Divorum majorum Suorum ſolidis Inſtitu-
„ tis inſiſtendo, ea, quæ de Primogenituræ ra-
„ tione, in vim Legis perpetuò valituræ, & San-
„ ctionis Pragmaticæ conſtituêre, tum verò in-

„ ter

„ ter alia ſingillatim decrevêre, vt Stirpe Sua
„ Maſcula extincta, Feminæ etiam eodem Pri-
„ mogeniture ordine in Hæreditate ſuccedant,
„ itaque Deo benedicente fore, vt Regna & Pro-
„ vinciæ, tam hodie ab Auguſtiſſima Sua Cæſa-
„ rea Regiaque Majeſtate poſſeſſæ, quàm in fu-
„ turum quoque, opitulante Deo, Ditioni Suæ
„ acceſſuræ, ad mutuam & reciprocam defen-
„ ſionem, majoremque cum dignitate, & inde
„ ſecuturo terrore Hoſtium, ſecuritatem in omne
„ ævum nexu indiſſolubili coaleſcere & cohærere
„ valeant atque poſſint; Id quod totum uberi-
„ us & lucidius præfatus Ill. & Excell. Dñus
„ Commiſſarius Regius, & Plenipotentiarius
„ Majeſtatis Suæ Sacratiſſimæ, Nobis omnibus
„ ſimul congregatis, apertè & planè vivaque &
„ intelligibili voce, atque argumentis prorsùs
„ convincentibus declaratum teſtatumque reddidit.
„ Sacratiſſimæ Cæſareæ Regiæque Majeſtati, D.
„ Dño Noſtro Clementiſſimo ſuum huncce Prin-
„ cipatum Sibi Hæreditarium, immenſis labori-
„ bus & impenſis, multoque ſangvine, è gravi
„ Ottomanorum jugo plùs vice ſimplici vindica-
„ catum ſingulariter ſibi eſſe charum, eamque,
„ & planè diſtinctam, ejus rationem habere
„ ut inde cuivis ſenſato & cordato perſpectum,
„ exploratumque eſſe poſſit, quantum Principa-
„ tui huic Hæreditario, cum Partibus eidem an-
„ nexis, tanquam Antemurali furori jurati Chri-
„ ſtiani nominis hoſtis, præ ceteris obnoxio,
„ ſibique ſuis viribus tuendo minimè pari, ex
„ hac perenni Regnorum, Provinciarumque Suæ
„ Majeſtatis Sacratiſſimæ Hæreditariarum Unio-
„ ne, firmatoque in utrumque Sexum Primoge-

„ ni-

§.133. ...

„ niture ordine, & Publicæ Rei ornamenti ac
„ ſecuritatis, & privatis etiam Patriæ Civibus
„ emolumenti acceſſurum ſit, indeque nihil
„ dubitavimus, Nos præfatum Regium Suæ Ma-
„ jeſtatis Sacratiſſimæ D. Dñi Noſtri Hæredita-
„ rii Gubernium, cæterique univerſi Fideles tri-
„ um Nationum Status & Ordines, Ordinatio-
„ nem tam ſalutarem alacriter & fideliter, prom-
„ ptè, planè ac ſpontè unanimibus votis accep-
„ tare, nec non ex amore & zelo in ſacram
„ Suam Majeſtatem D. Dnũm Noſtrum Clemen-
„ tiſſimum, Benigniſſimum, univerſamque Au-
„ guſtæ Domus AVSTRIACÆ Poſteritatem,
„ Succeſſioni Nobis propoſitæ, vt videlicet in
„ Caſu (quem Divina Bonitas pro ſua in Gen-
„ tem Chriſtianam miſericordia avertere clemen-
„ ter dignetur) Maſculæ Stirpis Auſtriacæ ex-
„ tinctæ, Feminea quoque eodem, quo Maſcu-
„ li, Primogenituræ ordine, ſecundum Inſtru-
„ menta à Sua Majeſtate Sacratiſſima, & Glo-
„ rioſiſſimis Prædeceſſoribus Suis eatenus confe-
„ cta, nobisque hic communicata, in Principa-
„ tu hocce Auguſtæ Domus Auſtriacæ Hæredi-
„ tario Partibusque ei annexis ejusque Hæredi-
„ tati & Dominatui indubitato Jure ſuccedant,
„ quàm humillimè & fideliſſimè, voluntateque
„ gratiſſima ſubſcribere, atque de ſuper hocce
„ ſolenne & publicum Inſtrumentum, tum tri-
„ bus Nationalibus Sigillis, tum verò pro ma-
„ jori firmitate, & obſequii in hocce paſſu No-
„ ſtri, & Principatûs hujus perenni gloria, ſin-
„ gulorum quoque in Comitiis hiſce congrega-
„ torum Patriæ Civium Auguſtiſſimo & invi-
„ ctiſſimo Imperatori, Regi & Principi Noſtro,

„ Dño

S. 133.

„ Dño Dño CAROLO SEXTO, Dño D. Nostro
„ Clementissimo, Regnorumque & Provincia-
„ rum Suarum Hæreditariarum Patri providen-
„ tissimo, Ejusque Utriusque Sexûs Hæredibus
„ & Posteris, veluti & Augustissimo Dño, Dño
„ Nostro Principi, & ipsi Patriæ decorum, uti-
„ le & pernecessarium, in duplici authographo,
„ ritè & legitimè confectum, publicisque Prin-
„ cipatûs hujus Constitutionibus articulariter In-
„ sertum, alterum prædicto Illustr. ac Exc. Dño
„ Commissario ad hæc Comitia Regio Plenipo-
„ tentiario, in tesseram fidelitatis nostræ, ea,
„ qua par est reverentia & obsequio exhibere;
„ alterum verò in Archivo Principatûs hujus
„ summa curâ & custodia asservandum, vim &
„ robur Sanctionis Pragmaticæ, Legisque per-
„ petuæ, ac nullo unquam tempore, aut mo-
„ do, à quibuscunque mutabilis, sortiturum
„ deponere, omni quorumlibet contradictione,
„ exceptione, dispensatione & absolutione, aliis-
„ que beneficiis contrariis quibuscunque perpe-
„ tim exclusis, ea spe, & fiducia Vasallari, imo
„ propè filiali, freti, Suam Sacratissimam Cæ-
„ sareo Regiam Majestatem, Dñum Dñum No-
„ strum Clementissimum, Benignitatem Suam
„ Austriacam, & svavissimum in Subditos suos,
„ uti hucusque cum summa animi nostri Con-
„ solatione ac Devotione experti sumus, & actu
„ experimur Imperium ad omnes Masculos & Fœ-
„ mineos Hæredes, quam clementissime transmis-
„ surum esse, pro quo etiam atque etiam quàm
„ humillimè supplicamus, ac felix & perenne Im-
„ perium ardentibus ad Cœlum votis precati, ad
„ Utriusque Sexûs Augustæ Domûs Austriacæ Po-

„ ste-

§. 133.

„ steritatem permanebimus omnes, prout Nostro,
„ & Posteritatis nostræ nomine subscribimus æ-
„ ternum Fideles Subditi, & respectivè Servi.
„ Datum in Civitate Saxonicali Cibiniensi, die
„ 30. Mensis Martii, An. Dom. Millesimo Sep-
„ tingentesimo Vigesimo Secundo.

L. S. Comitatuum. | L. S. Nationis Siculicæ. | L. S. Nationis Saxonicæ.

Præsens Instrumentum, præter hæc Sigilla Nationalia, etiam 125. Sigillis & subscriptionibus, Supremorum Officialium Comitatuum, Sedium, *cet.* nec non Regalistarum ac Deputatorum Comitatuum, Sedium Siculicalium ac Saxonicarum, Civitatum, & Oppidorum Privilegiatorum, firmatum conspicitur; & ab Aug. Imp. CAROLO VI. An. 1723. 30. Dec. confirmatum.

2. Sic, postquam, *ob immortalia Augustæ Domûs Austriacæ in hunc Principatum, tanquam Christianitatis Antemurale, beneficia, innumeris curis & sollicitudinibus impensa*, Electitius Transsilvaniæ Principatus Hæreditarius factus est; opulentiorum quorumlibet Principatum ambientium factiones, emanatæque ex iis Provincialium discordiæ & mille Transsilvaniæ pericula, propitio Numinè, sublata sunt.

§. 134 - 136.

B. De Juribus Imperantis.

§. CXXXIV.

Jura Principalis *Majestatis* duplicia sunt: partim *Reservata*; partim cum Principatûs Statibus ac Ordinibus *communicata*.

§. CXXXV.

I. *Jura Reservata* Principis sunt vel *Ecclesiastica*, vel *Secularia*.

§. CXXXVI.

α. Ad *Ecclesiastica Jura* præcipuè referuntur: 1. *Beneficia Ecclesiastica*, puta: Episcopatum, Præposituram, *cet. conferendi* 1, solo Jure Confirmationis Beatissimo Pontifici Maximo relicto. 2. *Vacantium Beneficiorum* Ecclesiasticorum Fructus & *Proventus* percipiendi. 3. *Causas Religionis revidendi*, suborta dissidia componendi. 4. *Matrimonia* in Gradibus prohibitis *dispensandi*. 5. *Structuram Sacrarum Aedium concedendi*. 6. *Jus decernendi in Matrimonialibus* Religionum Protestantium *Causis*: est enim Princeps *Indisputabilis Supremus Judex in Causis Matrimonialibus subditorum suorum Religionum Protestantium*. Decret. An. 1731. 4. Dec.

§. 136. - vii.

1\. Fundamenta *Collationis Beneficiorum Ecclesiasticorum* in Hungaria, & consequenter in Transsilvania, *Imperanti*, non autem P. M. competentis, discimus disertissimè, è *Decreti Tripartiti Part. I. Titulo XI*^{mo}, ubi ea declarantur; 1mo. *Ratione Fundationis Ecclesiarum.* Quia Reges Hungariæ, cum soli fuerint omnium Ecclesiarum & Episcopatuum, Abbatiarumque & Præpositurarum in Regno Hungariæ (*cujus pars erat Transsilvania*) Fundatores; per ejuscemodi fundationem, omnem facultatem, juris patronatûs, nominationis, electionis, ac collationis beneficiorum, sibi ipsis adquisierunt & vendicarunt. 2do. *Ratione susceptæ Christianitatis.* Quia Hungari, & *Transsilvani*, per Institutionem proprii Regis eorum, Sanctissimi videlicet Stephani Regis, (§.96. *n.*2. §. 223.) conversi sunt ad Catholicam fidem, qui primus omnium, Episcopatus, Abbatias & Præposituras hoc in Regno fundavit, & harum omnium Ecclesiarum Prælaturas ac Beneficia viris idoneis contulit. Hinc *Rex & Apostolus* juste dici meruit, & per collationem Summi Pontificis, duas Cruces, pro Insignibus Hungariæ, obtinuit. *Conf.* §. 223. 3^{tio} *Ratione legitimæ Præscriptionis.* Quoniam Reges Hungariæ, à tempore S. Stephani I. Regis ad hæc usque tempora, semper in reali possessione Collationis hujusmodi Beneficiorum Ecclesiasticorum persistentes, tempus præscriptionis Jurium Ecclesiasticorum iteratis vicibus dudum transcenderunt. 4to Quia hoc Jus, tempore Sigismundi Imperatoris & Regis in Concilio Constantiensi corroboratum fuit.

vid. p. 576.

§. CXXXVII.

β. Ad *Secularia Jura* Majeſtatica pertinent: 1. *Jus Nobilitandi* ſingulares perſonas; Comitesque & Barones creandi; vt & illegitimè natos legitimandi * 2. *Jus Succedendi in Bonis* deficientium univerſorum Magnatum, ac aliorum Nobilium poſſeſſionatorumque hominum ** 3. *Jus adgratiandi* capitis damnatos, Bonaque in Fiſcum redacta Benemeritis conferendi. 4. *Jus indicendi* & dimittendi *Comitia*. 5. *Jus Ind.cendi Bellum, aut Pacem* condendi; Militem ſcribendi; Inſurrectionem mandandi; Legatos Belli aut Pacis cauſa mittendi. 6. *Jus Cudendæ Monetæ* *** aut in valore augendæ, exteræque legitimandæ. 7. *Jus Gladii* alicui Communitati *concedendi*. 8. *Nundinarum* & Fori hebdomadalis *Privilegia largiendi*. 9. *Jus novi Judicii* gratiam, *Privilegiorum* ritè & legitimè emanatorum *confirmationem*, novasque *donationes largiendi*, à *ſolutione tributorum* de præſenti *eximendi*. 10. *Triceſimas & Vectigalia conſtituendi*. 11. *Publicos Curſores* ſeu Poſtas *ordinandi*. 12. *Jus Magiſtratus* & Officiales *cet.* ordinandi, & reſpectivè, aliquem è candidatis confirmandi.

§. 138.

* Horum omnium *Taxæ*, in exhibito ab Imperante *Normali* consignatæ reperiuntur.

** *Jus succedendi Principis* in Bonis deficientium Nobilium, &c. eam habet vim, ut ultimus deficiens, sine Principali Consensu, de Bonis aviticis & per se non adquisitis, Testamentum condere non possit. Expressè hoc docetur *in Decreti Tripart. Part. I. Tit.* XXIIItio. Quo *Regia Majestas cunctorum Dominorum, Baronum, Magnatum, Procerumque & Regni Nobilium in Semine deficientium verus & legitimus Successor* declaratur.

*** Constat ex Articulis Diætalibus, ante centum annos, *cudendæ Monetæ libertatem* Incolis Provinciæ fuisse concessam, ast propter damna inde in publicum emanata sublatam. Testem introduco *Articulum XXVII*mum Anni 1674. sic sonantem: *Bizonyos ideig fel szabaditottuk vólt ez Hazában*, az Usualis Moneta *verettetésit, melyböl nem hasznát, hanem kárát láttuk lenni ez Hazának. Végeztük azért, hogy ennekutánna*, sub pœna Decretali, *senki pénzt ne verettessen. Paraszt ember penig ha veretne, 's rajta kapnák, halállal büntessék; melyreis minden helybéli Tiszteknek légyen szorgalmatos vigyázások, hogy a' kik valahun találtatnának a' hamis pénz verésen*, vigore præsentis Articuli, *érdemek szerént büntethessék meg. Az Arany, Tallér veretést ide nem értvén. Aztis penig tsak ott verhessék, az hol az* Articulus *meg-engedi.*

§. CXXXVIII.

II. *Jura* cum Statibus ac Ordinibus Trium Transsilvaniæ Nationum *Communica-*

nicata, præcipua ſunt: 1. *Jus Leges ferendi aut abrogandi*, & hoc quidem in Generalibus Comitiis. 2. *Tributum* ſeu Cenſum *augendi*. 3. Extraneos in Civitatem Statumque Transſilvanorum admittendi *.

* Admiſſio Extraneorum, *Indigenatus* dicitur, fitque dum Perſonæ Nobiles bene de hac Patria meritæ, earumque in Linea recta Deſcendentes, in Concivitatem Transſilvaniæ cooptantur, ac pro veris & indubitatis Indigenis declarantur; poſtquam juxta Formulam Novellaribus Transſilvaniæ Articulis Anni 1744. expreſſam, Juramentum deponunt, Taxamque mille aureorum niſi remittatur, ſolvunt. Multos Indigenatu donatos Articuli exhibent.

C. *De Proventibus Imperantis.*

§. CXXXIX.

Princeps Transſilvaniæ, *Proventus* ſeu *Reditus* habet: I. *Ex Tributo* ſive Cenſu, ſummam 1300000. Rh. Florenorum annuatim conſtituente [1]. 2. E *Triceſimis* & *Vectigalibus*. 3. *Ex Metallorum* & *Minerarum Fodinis*. 4. E *Salis Fodinis*. 5. E *Bonis Regiis*, ſive Principis Fiſco adſcriptis, quæ vulgò *Dominia Fiſcalia* adpellantur. 6. Ex *Decimis* inter Saxones, qua-

S. 139.

rum quarta pars eorundem Saxonum Parochis obvenit. 7. Ex *Arendis* Decimarum in Comitatibus.

1. *a.* Quoniam *modus* & *finis Contribuendi* antiquus, longé ab hodierno fuerit diverſus: non me operam perditurum, ſed laborem potius gratiſſimum, pro curioſis rerum patriarum inveſtigatoribus facturum reor; ſi, ex vetuſtis hujus Principatûs Tranſſilvaniæ Articulis Diætaliter concluſis, expoſuero antiquam Tributum ſolvendi formam, eamque cum hodierno compoſuero.

b. Tributum olim, pro numero *Portarum* (*Kapu-ſzám* & *Rovatal* vernaculè) exigebatur. Poſt Tranſſilvaniæ ab Hungaria ſeparationem, & notabiliter ab An. 1545. ad An. 1578. Contribuens quisqne aut Cenſitus Paterfamilias pro integra ſive *una Porta* habebatur. Vna verò Porta An. 1545. non plus, quàm 60. Denarios, i. e. 30. crucigeros, pro eodem anno præſtabat; ſed mox annis ſubſequentibus Den. 85, & poſtea, augeſcente ſenſim Tributo, ultra ſolvere debebat, docente *Art. I. Tit. II. Part. III. Approb. Conſt.* Dicto anno 1545. 25. Apr. in Conventu Tordenſi ſtatutum erat, vt cum una omnibus ſit Patria, & quæ ex ejus conſervatione reſultat utilitas, ad omnes æqualiter pertineat: hinc omnia onera, quæ conſervationem patriæ reſpiciunt; ſive defenſionem, ſive pecuniarum ſolutionem, ſive aliquid aliud temporis conditio poſtulaverit, tres Transſilvaniæ Nationes æqualiter perferant. *Art.* Sed an quispiam Libertinorum & Colonorum, uſque ad An. 1555. exemtus è Contributione fuerit, non conſtat. Eo-

dem

f. 139. Dé. k

dem verò An. 1555. juxta Conclusionem Statuum, in Conventu Maros-Vásarhelyensi, Festo S. Georgii factam, *nova fit Connumeratio*, ubi eximuntur à Censu: 1) Libertini Nobilium. 2) Allodiatores (*Majorosok,*). Mercenarii (*Béresek*) & reliqui servitores Nobilium, qui victu & amictu à Dominis Terrestribus sustentantur. 3) Domus noviter facta intra annum; combusta verò & reædificata intra 3. annos. 4) Mulier vidua, quæ vel orphanos parvulos habet, vel prole aut mercenario, rebusque sex florenos valentibus caret; at, quæ filium annor. 16. habuerit, dicatur. Modus denique colligendi Tributum erat, vt Magnates & Nobiles, à subditis quisque suis, ipsimet colligant, & singuli Tordam, ad fixum terminum, Exactori Regio administrent: qui non fecerit, executionaliter, cum taxa Executorum, è Bonis ejus desumatur. At Comitatus *Húnyad*, more veteri, proprium Exactorem in medio sui habeat. *Art.*

e. An. 1578. 27. Apr. in Comitiis Claudiopolitanis 2[da] decernitur *Connumeratio*, quæ his peragitur conditionibus: 1) Vt *non capita* Contribuentium, *sed facultas*, pro Calculo adsumatur, & duo Boves (qui sex Flor. Hung. æstimabantur) inter Libertinos, quatuor verò inter Colonos (subditos sive Jobbagiones) pro una integra Porta censeantur; Portæque unius Taxa sint Den. 99. 2) Oves solum 32. habens, nisi & pecora majora habuerit, ne conscribatur; sed qui simul tanta pecora, quæ quatuor aut plures jugales adæquent, possideat, conscribatur; & Facultas mobilis sex florenorum pro una Porta

§.199.

reputetur. 3) Qui oves 50. habet, licet aliis deſtitutus, cenſum intret. 4) In quolibet Pago Judex unicus ſit exemtus. 5) Darabontones, Mercenarii, Villici, Molitores & Curialiſtæ præbendarii à Cenſu liberi ſint. 6) Inquilini ſive ſint in Fundo Nobili, ſive Ruſtico, ſic & Popæ Valachorum, ſint extra Cenſum. 7) Combuſti Cenſum intrent, ſed ad tres annos ne præſtent. Nova domus ne dicetur intra annum. *Convenit hoc cum Lege Moſaica.* 8) Cælibes, ſervi conducti, & qui diſtinctam Dominis Terreſtribus ſervitutem non præſtant, ne cenſeantur. 9) Omnes Civitates, Oppida, Pagi, hactenus non cenſita, ſeu Fiſci, ſeu Privatorum ſint, Cenſum intrent. 10) Dominorum & Nobilium ſubditi (Coloni) ſeparatim conſcribantur, ſeparatimque onera portent; nec Homo unius ad juvandum alteri adigatur. 11) Cenſus, ad Faſſionem trium hoc fine Juratorum fiat; at Conſcriptoribus duo Supremi Judices Nobilium ad latus ſint. 12) Bona tam Fiſci, quàm Dominorum, in Partibus Hungariæ; ſic etiam Liberæ Civitates, parem Cenſum habeant. Siculi ſimili modo cum Comitatenſibus conſcribantur. Saxones ſummam illam, quæ ex Connumeratione Comitatuum cum incremento proditura eſt, more ſuo præſtent. Hac vice, præter 99. Denarios in rationem expenſarum Principis præſtandos, pro Turca Den. 150. Portatim impoſiti erant. Hæ Conditiones, inſtar normæ Contributionis, ad An. 1698. obſervabantur quidem; àt pro diverſis annorum circumſtantiis, pro Principis & Patriæ neceſſitatibus, pro bellicis expeditionibus, renovandis Fortalitiis &c. ſumma Tributi Portarum

va-

§. 109. Decl.

variabat. *Exempli gratia*: An. 1580. 17. Apr. *Albæ Juliæ*, Turcæ portatim *Denar.* 150. expensis Principis *Den.* 25. inter omnes Nationes æqualiter imponebantur. Anno eodem 1ma Novemb. Principi *Den.* 99. pro erectione domûs in Várad *Denarii* 50. penduntur. Anno. 1595. 16. Apr. Albæ Juliæ decernitur, vt Præsidio *Den.* 150. subsidio Curiæ Principalis *Den.* 99. inter Hungaram & Siculam Nationem æqualiter (quod & Saxones in summa æquali, sed non Portatim, verùm more suo solvant) præstentur. Eodem Anno 1595. 3. Dec. excusso Turcæ Tributo (§. 109. *n.*) Principi *Den.* 174, in subsidium Præsidii *Den.* 125. Portatim imponuntur. In *Articulis* Comitiorum An. 1599. 21. Mart. *Megyesini* celebratorum notatur, quod licet Contributio Præsidii Articulariter sublata fuisset: denuò tamen, sed ea solùm vice, adsumitur Portatim in *Denar.* 175. Non raró, (vt An. 1599. 20. Nov. & An. 1602. 10. Dec.) Contributio etiam Naturalium Transsilvanis imponebatur, scil. Farinæ, Avenæ aut Hordei, pecoris, vinique. Postquam *Bastæ*, *Michaëlis Wajvodæ* & *Mosis Székely* tempestatibus submersa Transsilvania (§. 109 & 110.) non amplius Leges Contributionis observare potuisset; Anno 1606. cautum erat, vt à Bove uno *Denarii* 32. solvantur; Patresfamilias autem pecore carentes *Denarios* 12, Viduæ *Den.* 6. ac quilibet vinitor à vase vini *Den.* 20. contribuat. Eadem fermè ratio fuit Anno 1607. vt & Anno 1608. 3. Mart. dum Contributio à Bove jugali, Vacca lactifera & equo helciato *Den.* 29, à Vacca sterili & juvenco trienni *Denariis* 10. ab ove, capra

vel porco *Den.* 1. &c. præſtabatur. Sed innumeris ſubortis difficultatibus.

d. Anno 1608. 21. Sept. *nova* (*tertia*) *Connumeratio* inſtituenda decernitur, fitque ea lege, vt *decem Patresfamilias*, ſeu habeant pecora, ſeu minus, *Portam unam ſeu Calculum conſtituant*; ſingulorumque Magnatum & Nobilium Jobbagiones ſeorſim cenſeantur, & ſi cujus Jobbagiones duobus aut tribus numerum denarium ſuperent, Portæ ſeu Calculo ejus adjumento ſint. (*Conf. Approb. Conſt. Part. III. T. II. Art. III.*) Exemti ſunt: Judices pagi, Darabontones, Molitores, ſervi Curiales, Viduæ attenuatæ, & Juvenes cælibes. Quantum verò, juxta normam recentem, Porta una contribuerit, pro An. 1608. non reperi; ſed An. 1609. (vt docet *Art.* diei 26. Apr.) pro ſuſtentatione Curiæ Principalis & pro neceſſitatibus publicis Portatim *Flor. Hung.* 9. præſtiti ſunt, quod & Incolæ Partium Hungariæ æqualiter præſtitêre: at Saxones grandem tunc ſummam extraordinariè dediſſe notantur. Statutum ſimul legitur, vt demùm & ipſi Saxones Portatim, vel ſecùs, ad inſtar aliarum Nationum contribuant. *Art.* Eodem Anno 1609. 9. Octob. Portatim Flor. 8. *Comitatibus* imponitur; (ſed numerus Portarum inter hos non conſtat) *Saxones* verò à Portis 2000. præſtant, ſcilicet, Portatim Flor. Hung. 8. *Siculi* nihil. *Obſervandum bene, bis, annuatim, Portas, circa hæc tempora contribuiſſe.* An. 1610. Portatim 10. Floreni fuêre ſoluti pro anni ſemeſtri priore, totidem pro ſemeſtri poſteriore, præter extraordinariam 3000. Flor. ad expenſas Legationum, Contri-

butio-

§. 139.

butionem, cujus unam *Siculi*, secundam *Comitatenses*, tertiam denique partem *Saxones* præstitêre. An. 1611. 23. Apr. 10. Floreni iterum Portatim imponuntur; sed anno eodem, 10. Octob. propter Legationem Turcicam Contributio augetur, & posteriori pro semestri *Flor.* 12. Portatim imponuntur, inter duas Nationes (exceptis *scil.* Siculis) æqualiter. An. 1612. 15. Maji, Contributio pro semestri priore Portatim à Flor. 10. inponitur; die verò 20. Nov. Portatim Flor. 11. determinatur. Articulariter simul tunc statuitur, ne ampliùs præter publicam consvetam Contributionem, titulo Legationum, aut munerum mittendorum, quidpiam repartiatur. Annis quoque subsequentibus, pro utraque, h. e. *vernali* & *autumnali* Contributione Floreni 20. (aut nunc paulò plures, nunc pauciores) exigebantur, usque ad An. 1666. quo Tributo per Turcam in triplum aucto, ne Nobilium quidem immunitati indulgeri potuit; Portis verò Thaleri 17. binis vicibus impositi fuêre. Thalerus autem valebat *Denarios* 180. id est, 90. Crucigeros (Ducatus *Den.* 360.) vt docet *Art.* 14. Anni 1666. 1. Febr. Augebatur postea plerosque in annos Tributi summa, testibus *Articulis*. Anno 1686. 12. Apr. *Articulo I.* ordinaria Contributio pro Turca & Præsidio, Portatim Flor. 60. præstita-est; sed nec hac sufficiente, juxta *Articulum I.* ejusdem Anni, d. 12. Aug. denuò Floreni 40. Portatim soluti fuêre. Nobiles unius sessionis præterea, & Parochi Saxonum, Officiales Fisci, &c. grandem summam præstitêre. *Hoc anno Flor. Hung. 4. & Den. 50. Ducatus unus valebat.* An. 1687, Mens. Novembri,

ad

§. 139.

ad intertentionem Militis Auſtriaci Tributum imponebatur Portatim Flor. 200. Tritici Cubuli 15. Avenæ Cub. 20. Vini Urnæ 80. pecora majora pro carne ñro 4. Fœni currus 15. Stramina ab omnibus Tranſſilvaniæ Portis in concreto Curr. 2000. *Loca* inſuper *Taxalia*, tam Pecuniam, quàm Naturalia, magna omninò quantitate adminiſtrarunt. Anno 1689. 5. Jan. Articulo 2^do^, Contributio aucta eſt, & cuilibet Portæ, *Flor.* 250. perſonis extra Portas poſitis ſeu non cenſitis *Flor.* 25. impoſiti ſunt. Statutum inſuper, vt Nobiles integræ Seſſionis & Aratri *Flor.* 25. mediæ Seſſionis *Flor.* 10. Pecoribus & Bonis carens *Flor.* 2. ſolvant. Naturalia prætcrea Portatim repartita, ſcil. Tritici *Cub.* 6. Avenæ *Cub.* 10. Vini *Urnæ* 25. Carnis *Centenarii* 3. Fœni *cur.* 5. Perſonæ denique antea non Contribuentes ad Tributum adſtrictæ ſunt; v. l. 1) *Parochi* & *Ludimagiſtri* Hungarorum, vt Proventuum partem viceſimam ſolvant. 2) *Servi* & *Ancillæ* Nobilium, mercedis partem decimam; quam Heri debeant adminiſtrare. 3) *Molitores* univerſi, capitatim, ſuper Maruſio *Flor.* 2. ſuper minimis fluviis *Den.* 50. Super mediocribus *Flor.* 1. Den. 50. 4) *Paſtores* pecudum *Flor.* 1. 5) Zingari cujusque ſtatûs *Den.* 50. 6) Officiales Camerales, v. l. Triceſimatores, Proviſores, &c. duplum ſummæ, quam juxta *Compil.* *Conſt.* deberent.

§. Beneficio quidem *Articulorum* facile eſſet, at longum, per ſingulos annos, modum & ſummam Contributionis Portarum, connotare; ſufficit quoque in genere hæc ſcire: *a*) Poſt emana-

na-

2.139. ...

natum *Diploma Leopoldinum* (§. 124. *n.c.*) *Tributum* seu *Quantum Diplomaticum*, An. 1692. in *Rhn. Flor.* 400000. imponebatur, vocabaturque *Militaris Contributio*, quòd pro intertentione *Militiæ Cæsareæ* penderetur; sed præter *Militarem* hanc *Contributionem*, Extraordinaria quoque semper (aliquando semel, nonnunquam bis terque, uno anno) imponebatur, pro necessitatibus publicis, pro sallaristis &c. testantibus passim *Articulis*. Hoc verò, quod adsero, non pro Seculi XVIImi fine solum, & præsentis initio, sed etiam pro annis subsequentibus, intelligendum volo. Cum ante An. 1754. præter Bellicam seu *Militarem*, etiam in Cassam *Provincialem*, pariter & *Domesticam* Tributum pensum fuerit. Sed & Quantum Militare Diplomaticum, ob bella gravissima & necessarium Patriæ tutamen, ex pacto Imperatoris cum Transsilvaniæ Statibus, insigne incrementum accepit. *Ex. c.* An. 1698. ad integrum millionem auctum est, sed ea lege, vt omnes expensæ ordinariæ & Contributiones Naturalium summam intrent. Pro Annis 1700, 1701 & 1703. *Rh. Fl.* 800000, pro An. 1702. *Rh. Fl.* 750000. impositi fuere. *b*) *Contributio Militaris*, nunc parata *pecuniâ*, nunc Naturalibus seu *Victualibus* pensitabatur; nonnunquam autem utrisque simul, vt exemplum habemus (inter plurima) Anni 1714. 6. Jan. *Art. I.* quo in Tributum Militare, in *Rh. Fl.* 600000. inpositum, pependerunt: *Comitatus Rh. Fl.* 163300. Tritici *Cubulos* 13483, Avenæ *Cub.* 19567. Fœni *Currus* 10333. *Siculi*: Rh. Fl. 86000. Trit. Cub. 5834. Avenæ *Cub.* 8866. Fœni *Curr.* 4334. *Saxones*: Rh. Fl. 181700. Trit. *Cub.*

13583.

§. 139.

13583. Avenæ 20367. Fœni Cur. 10383. *Taxalistæ*: Rh. Fl. 24546. Trit. *Cub.* 1002. Avenæ 1500. Fœni *Cur.* 750. Reſtabant tamen Rh. Fl. 100000. quæ Summa partim anticipatis præſtationibus defalcabatur; partim Trit. *Cub.* 30000. compenſabatur. *Articulo* 2do ejus anni, Extraordinaria Contributio pro ſalariſtis & neceſſitatibus publicis imponitur, & præſtant, *Comitatus*: Rh. Fl. 15321. *Vaſa* Vini 51. Carnis *Centenarios* 24. Pecora mactabilia 20. Trit. *Cub.* 1032. Avenæ *Cub.* 1669. Fœni *Cur.* 555. *Siculi*: Rh. Fl. 8387. *Vaſa* Vini 20. Carnis *Cent.* 10. Pecora mactabilia 10. Trit. *Cub.* 439. Avenæ 689. Fœni *Cur.* 235. *Saxones*: Rh. Fl. 20087. Vini *Vaſa* 51. Carnis *Cent.* 24. Pecora mactabilia 20. Trit. *Cub.* 1033. Avenæ 1670. Fœni *Cur.* 555. *c*) Ad *Portas* Tributum penſitatum fuiſſe diximus, ſed quot Portæ in Transſilvania numeratæ fuerint, per Paucos annos mihi innotuit. Quot An. 1667. numeratæ fuerint, docet Edictum 45. *Compilat. Conſt.* Anno verò 1692. 15. Mart. *Articulo* 4. conſtat 2550. Portas fuiſſe, præter Loca Taxalia. *d*) *Loca Taxalia* dicebantur Civitates & Oppida, quæ non ad Comitatum aut Sedem, in cujus medio aut territorio erant, contribuebant, ſed ſeorſim & plerumque ſine connumeratione ad Portas, per proprios Regios Perceptores adminiſtrabant. Taxalia Loca fuêre: *Claudiopolis*, *Forum Siculorum* (hodie Maros-Váſárhely) *Alba Julia*, *Abrud-Bánya*, *Vizakna*, *Kézdi-Váſárhely*, *Sepſi-Szent-György*, *Vajda-Húnyad*, *Bereczk*, *Ilyefalva*, *Csik-Szereda*, *Hátſzeg*, *Udvarhely*, [Item: *Egeres*, *N. Almás*, *M. Szereda*, *Kis-Marja*, *Bánfi*-

+ vid. p. 576.

§. 139.

ſi-Húnyad, *Szék* & *Kereſztur*, quandoque his adnumerabantur] quibus noſtra fermè ætate, *Armenopolis* & *Eliſabethopolis* acceſſerunt. Loca hæc hodieque peculiares ſuos habent Perceptores Regios, nec cum circumjacentis Circuli incolis Tributum ſimul penſitant. *e*) Variæ viciſſitudines Patriæ *novas* nonnunquam, at eas temporarias, *Contribuendi normas*, introduxerunt. *Exempli cauſſa*, An. 1663. 24. Sept. Articulariter Statutum erat, vt omnis Venditor in Foris à merce Flor. 1. valente *Den.* 5. à merce *Den.* 20. valente *Den.* 1. ſolvat, ſed infra nihil. Sic etiam in Triceſimis ab omni Re & Pecore ex *Flor.* 1. præter conſuetum vectigal *Den.* 5. ſolvantur, etiamſi pecunia parata eſſet, *cet.* Hæc Conſtitutio intra annum duret. *f*) Nobiles ordinariam quidem Contributionem nunquam præſtiterunt, in extraordinariis tamen concurrere, & ſæpiculè ſubditos ſuos adlevare, debuerunt *g*) Ruſtici *in Comitatibus* degentes Tributo obnoxii ſemper fuerunt, ſicut & libertini atque Cives. *Siculi militares*, temporibus antiquis ab omni immunes Tributo, ætate Principum ſæpiùs tributarii fuère. *Saxones*, inſtar Civium omnes habiti, ſæpè ſanè ad Portas non connumerabantur, ſed integram ſummam ipſis obvenientem & collectam, more ſuo præſtabant. Parochi quoque eorum, quia Decimas poſſederunt, non rarò magnam ſummam, aut tantam, quisque eorum, quanta *annua Taxa* ſeu *Cenſus Cathedraticus* erat, pendebant. Sæpè etiam Valachorum Popæ. Rarò Hungarorum Parochi, pauxillis gaudentes proventibus. Exordio Seculi ſuperioris, vice haud ſimplici, acris erat contro-

ver-

§. 199.

versia, inter Hungaros & Saxones de numero *Portarum*. Durum enim Nationi Saxonicæ videbatur, quod plures in 11. ejus Circulis Portæ numerarentur, quàm in 7. Comitatibus Transsilvanicis. Scilicet, in memoratis Comitatibus 1300. circiter, in 11. Circulis (i. e. Sedibus & Districtibus Saxonum) 2400. Portarum numerus, usque ad An. 166[illegible] erat. Et licet circa annum 1665. defalcatis ex parte Saxonum 400. Portis & An. 1691. Portis 500, discordiam sublatam Hungari putarent: nihilo tamen minus Alma Natio Saxonica contenta haud exstitit. Anno proinde 1692. 21. Jul. Claudiopoli, *Accorda inter universos Trium in Transilvania Nationum Status & Ordines super repartitione Contributionis & numero Portarum inita* est, sub conditione Confirmationis Regiæ; & determinatum, ut Saxones à Portis 1400, Comitatenses à Portis 1000, contribuant. Accorda seu Contractus hicce, eodem Anno, die 25. Sept. Articulariter à Tribus Nationibus adprobatus est. Eadem occasione simul conclusum erat, ne amplius Parochis Saxonum, (imò nec Valachorum in Regio Fundo habitantium) separatim amplius Contributio imponatur; *sed videat ipsa Universitas Saxonica, quomodo dictos Pastores in suarum Portarum sublevationem adplicabit.* + *Græci* denique & *Armeni*, *Judæi*, separatim ab olim Tributum pependerunt. *b)* Fines Tributi erant, ut Princeps intertenea-tur, Militia alatur, Fortalitia curentur, Legati instruantur, *cet.* & cumprimis, ut (ante An. 1687.) Turcarum iræ ac arma avertantur. Vide quæ §. 103. *n.* 4. *a. b. c. d. e.* hanc in rem connotata sunt.

vid p. 576

f. Post-

§. 129.

f. Posteaquam Aug. Domus Austriaca pacatis in Transsilvania rebus uti cœpisset, licet ad An. 1754. usque, parùm à norma priore modus Contribuendi discedebat; si quidem universa Transsilvaniæ Contributio *in tres* dispertita, juxta Nationum unitarum numerum, *partes*, denuò per *Comitatus Hungarorum* & per *Sedes Siculorum* ac *Saxonum*, Oppidatim atque Vicatim Tributariis imponebatur incolis, modusque ille *Calculus* vulgò adpellabatur: at, An. 1750. facta totius Principatûs hujus *Conscriptione domesticâ*, cum ejusdem Combinatione opus Institutum est præclarissimum, quo *Contributionis peræquatio* conficeretur. Hoc proinde scopo, An. 1754. *M. Oct.* Ill. Comes D. D. GABRIEL DE BETHLEN Actualis Camerarius & Aulicus Consiliarius, atque Regius Commissarius Plenipotentiarius venit Viennâ Cibinium, cum *Propositione Regiâ*, sibi ab Augustissima Aulâ demandatâ, & in publico Statuum Conventu *novum Contributionis Systema*, quod *Bethlenianum* dici consvevit, compositum est. Hoc hodieque Systema essentialiter obtinet, antiquis omnibus contribuendi modis longè longèque præstantius. Tecum, Bone Lector! amabò, reputa: Dum *Colonus & Tributarius quisque*, ab Anno 1545. ad An. 1578. pro *integra* censebatur *Porta*: tum Tributi non plus opibus valens, quàm angusta pressus pauperie, pendebat. Dum, ab An. 1578. ad An. 1608, *duo* Libertinorum, & *quatuor* Colonorum Rusticorum *Boves unam* constituebant *Portam*; eoque modo nullæ aliæ Contribuentium facultates in censum veniebant: eveniebat omninò rursùs, vt inæquales personæ æqualem Censum subirent. Dum, ab

§. 139.

An. 1608. plurimos in annos, *decem Patresfamilias*, ſeu habuerint pecora, ſeu minus, pro *Calculo* ſeu *Porta una* determinabantur, ſi propriis diſtinctis Seſſionibus & agris inſtructi fuiſſent: (licet plerumque plures, non nunquam pauciores ad unam Portam pertinuerint) hæc quoque norma, onus unius in alterum transferebat; Articulorum ſi quidem vigore ſtatutum fuerit, vt *Contributio, ſi cujus* Domini Terreſtris *Jobbagio ſolvendo non ſit, per alios ejus Jobbagiones potentiores; ſi tales non habeat, per ipſummet Poſſeſſorem deſumatur. Sed ſi nec is ſolvendo ſit, cum præmonitione Fratrum & Vicinorum* (quos præemtio concernit) *Conſenſu Supremi Commiſſarii, Jobbagiones tales, ad annos 10. irredemtibiliter oppignorentur.* Nec minus hac in Norma incommodum erat, vt ſterilium incolæ regionum, cum cultoribus terrarum frumenti vinique feracium æquipararentur. Quamobrem in controverſiis ſuper numero Portarum, An. 1692. Comitatenſes Saxonibus opimâ plerumque terrâ gaudentibus, conſiderandas proponebant Comitatuum partes in *Campeſtribus* ſitas, ſilvis, vineis, molis bonaque aqua carentes; vt & Loca omnia ſubalpenſia & alpenſia ſterilia & vineis deſtituta. Quod & de Siculia tota intelligendum volebant. Has & ſimiles omnes difficultates liteſque, ſuſtulit feliciſſimè *Syſtema Contributionis*, Clementiſſimis Auguſtiſſimæ M. THERESIÆ auſpiciis An. 1754. concinnatum. Juxta hoc enim, ſolvitur Tributum. I. *De Capite*, quod vulgò CAPITIS TAXA vocatur; ita quidem, vt ſi Cenſus *Contribuentis pagani* conſtituat in ſumma 7. Florenos Rhenenſes, aut infra, tum duos Rhenenſes de capite præſtat; ſi

vcrò

J. 140.

verò 7. florenos superet, crescit etiam Taxa Capitis. Alia in *Civitatibus Artificum*, & *Opificum est ratio*; e. g. Cives Coronenses facultatibus probè instructi 10. Florenos, qui dicuntur *Taxa Civica*, pendunt. II. TAXA FACVLTATVM, & quidem 1) *Immobilium*, vt sunt: Agri, & Fœneta. At hæc pro diversitate Locorum, quæ Contribuentes inhabitant, variat: in considerationem enim venit agrorum fertilitas æquè ac emporiorum proxima aut remota distantia; hinc sunt Classes, prima, secunda, &c. In Classe prima uni jugero Agri imponuntur 40. cruciferi, jugero verò Fœneti crucif. 20. 2) *Mobilium*; ita, vt sic taxa annua unius Bovis jugalis aut Equi helciati crucif. 24. Juvenci cruc. 15. Porci cruc. 5. Ovis ac capræ cruc. 3. unius alvearii apum cruc. 3. Cucurbitæ destillatoriæ, (vt Chymici loquuntur) qua Spiritus Vini ac frumenti coquitur, circiter 60.

2. De Proventibus Fiscalibus, Vid. §. 199.

D. *De Expensis Imperantis.*

§. CXL.

Expensa sive *Impensa* Principis multiplex est: nullum si quidem Magistratum, nullamque Personam in servitio Imperantis constitutam, in triplici Administrationis Statu, v. l. *Provinciali*, *Militari*, & *Camerali* reperias, cui non proprium à Principe salarium impendatur.

§. 140.

a. Juxta triplicem in M. T. Principatu Statum seu Administrationem, tres *Cassæ* numerantur, *Provincialis* v. l. *Bellica* & *Cameralis*.

b. Habent verò Solutionem, 1) E *Cassa Provinciali*: Incliti Status Provinciales, v. l. Exc. ac Ill. D. Domini Consiliarii Excelsi Regii Gubernii, vt & Secretarii Regii, Registratores, Expeditor, Protocollistæ, Concipistæ, Jurati Notarii & Actuales Cancellistæ Provinciales, omnesque Personæ ad Excelsum R. Gubernium pertinentes. Inclitæ Tabulæ Regiæ Judiciariæ Præses, Proto-Notarii, Adsessores, Protocollistæ. Continuatum Tabularum Judiciariarum in Comitatibus & Sedibus Siculicalibus, Præsides, Adsessores & Officiolantes. Sedium, Civitatum & Oppidorum Saxonicalium Officiales, Senatores & Officiolantes. Oppidorum Nobilium (*Thorda* & *Dees*) Locorumque Taxalium & Oppidorum Privilegiatorum Officiales, Senatores & Magistratuales. Ante erectas An. 1764. *Tabulas Continuas Judiciarias* Comitatuum & Sedium Siculicalium, nullam in iis Circulis Pensionem Adsessores Judiciorum habuêre. At ex eo tempore, Adsessores majorum Comitatuum & Sedium Rh. Flor. 200. (minorum quorundam pauciores) obtinent. Supremi verò Comites & Judices Regii Rh. Fl. 1200. (antea 1000.) habent, Supremi Judices Nobilium Rh. Fl. 300, totidem & Perceptores Regii, Vice-Comites & Notarii 250. Scribæ 60. Janitores 40. *cet.*

c. 2) E *Cassa Bellica*, Militaribus omnibus solutio præstatur. Per Cassam Provincialem, *Quantum*

Mili-

p. 583.

.§:ÿyi.

Militare æquè *ac Provinciale* percipientem, in Cassam Cæsareo-Regio-Bellicam pecunia subministrari solet, vt patet copiosiùs è *Puncto* V^to^ *Regulamenti Militaris An.* 1759. 1. *Nov. emanati.* In casu verò, quo remotioribus à Cassa Militari locis Miles excubaret, ex mutua inter Provincialem & Militarem Commissariatus cointelligentiâ, pecuniaria competentia Militis in Cassam Circuli adsignari potest, occasione Generalis Computûs in sortem Quanti Militaris acceptanda. *Ibid.*

d. *Camerali* seu *Thesaurariali e Cassa* solutiones obveniunt Cameralistis omnibus, seu Magistratibus & Personis, Camerali in Statu, servitio fungentibus. Pensionistis. Personis bene meritis. Patribus Plebanis quibusdam. Nonnullarum Ecclesiarum Helveticæ Confessioni addictarum Parochis. Aliis denique nonnullis. Sic Imperantis Clementia, *Proventus* Principales, maximam partem, *convertit in Impensas.*

SEGMENTUM II.

DE SVBDITIS M. P. TRANSSILVANIAE.

§. CXLI.

Subditi M.P. Transsilvaniæ, 1. Quoad *Nationum*, 2. Quoad *Prærogativarum* differentiam, distinctè nobis considerandi veniunt.

§. 142, 143.

CAPVT VI.

DE SVBDITIS TRANSSILVANIS QVOAD NATIONEM.

§. CXLII.

Nationes Tranſſilvanicæ, aliæ dicuntur *Unitæ*, aliæ *Toleratæ*, hoc eſt, ſollemnis illius Unionis, quâ priores connexæ ſunt, minimè participes. De *his* poſteriùs, nunc de illis, pauca commemoremus.

A. *De Nationibus Unitis.*

§. CXLIII.

Hungarorum, *Siculorum* & *Saxonum*, *Nationes*, *Unitæ* dicuntur, à celebri *Unione* & Societate, quam, ad mentem Conventionis trium Nationum An. 1545. 25. Apr. Tordæ initæ, (§. 139. *n.* 1. *b.*) anno cumprimis 1613. tres hæ Nationes, præeunte Gabriele Bethlen Principe, inter ſe pepigerunt imò renovarunt, & Annis ſequentibus non confirmarunt ſolum [1], ſed An. 1653. etiam inter Leges (Approb. Conſt. P. III. Tit. I.) retulerunt.

§. 140:

1. *Unio* Trium Nationum, An. 1630. 25. Jan. *Albæ Juliæ* Art. I. cum expressis Conditionibus & Formula Juramenti confirmatur, & decennio quovis renovanda decernitur. Anno 1649. denuò confirmatur. Eodem modo An. 1653. quo *Approbatis Constitutionibus*, cum *Conditionibus suis*, *& Juramenti Formula* ad mutuam conservationem directis inserta. Iterùmque An. 1681. 10. Jun. *Art.* 5^to^ cum Natione Saxonica renovata fuit, statutumque, ut Instrumentum super ejusmodi renovatione sub tribus Sigillis confectum, in Capitula reponatur. Et nunc fata quidem Natio An. etiam 1686. 12. Aug. *Art.* 12^mo^, duas alias in vim hujus Unionis assecurandas habuit, super eò: *Quod homines illarum in extremis, quæ tunc Patriæ imminebant, causa mutuæ tuitionis intra muros receptura esset, appromissa ex earundem quoque parte mutua Unionis observatione. Conf.* §. 155. *n.* Et vt reliqua taceamus, Lex illa de Unione sub gloriosissime regnante Majestate etiam per *Art.* 6^tum^ Diætæ Anni 1744. abrogatis tamen iis, quæ in ea Juri Majestatis derogabant, & Religioni Romano Catholicæ præjudicabant, salva perstitit in sequentibus. + Quod porrò *Approbatarum Constitutionum Partis III. Tit. I.* Articulum unicum subsequentemque super Unione Juramenti Formulam, huicque subnexas Unionis Conditiones attinet: non est, neque fuit Consilium Statibus Articulum hunc in moderna litera relinquere, sed adhuc sub initio Diætæ conventum jam super eo fuerat, ut in parte Juri Majestatis derogante, inter præmissos de Majestaticis Articulos abrogarentur; quas nunc etiam in tantum hisce pro sublatis declaramus. In quantum verò

+ 562.

§. 143.

Religioni Romano Catholicæ præjudiciosi in iisdem recapitulari videntur, in tantum inter Articulos eidem Religioni præjudiciosos abrogari statuimus; reliqua parte, *qua libertatem liberi exercitii receptis Religionibus permitterent, & Nationum receptarum mutuam Jurium, & Legum conservationem spectarent cet.* in salvo relictis. Qua hac Lege se se conservarunt dictæ Nationes, & ad hæc usque tempora durârunt. Illudque Institutum à Divo etiam Leopoldo hac in parte laudem meruit, ut sic Regium servitium, & Publicum hujus Principatûs, Civitatemque solidante illa Constitutione, quæ ipsa Lex fundamentalis est, in vigore relicta, singulis vi hujus vinculi convivere liceat; & in præattactæ Juramenti Formulæ locum subinsertam substituimus, *juxta quam teneatur quivis legitimam ætatem assecutus, vel Indigenatum, votumve in publico sortitus, aut Officium quodvis gesturus Juramentum deponere.*

FORMULA JURAMENTI.

„ Ego N. N. Juro per DEUM vivum & æter-
„ num, quod Sacræ Regiæ Majestati MA-
„ RIÆ THERESIÆ, Hungariæ & Bohemiæ Re-
„ ginæ, Archiduci Austriæ, Principi Transsilva-
„ niæ Hæreditariæ, & Siculorum Comiti, Ejus-
„ que Hæredibus & Successoribus Regibus Hunga-
„ riæ, & Principibus Transsilvaniæ, nec non Se-
„ renissimo Principi Domino Dño FRANCISCO
„ STEPHANO Duci Lotharingiæ & Barri, Ma-
„ gno Duci Hetruriæ, Suæ Sacræ Regiæ Majesta-
„ tis Conjugi, tanquam Corregenti, sincerus, re-

„ ctus

§. 143.

,, ctus & fidelis ero; ſi quid contra Sacræ Regiæ
,, Majeſtatis, Ejusque Hæredum ac Succeſſorum
,, ſacras Perſonas, vt & ſummè fatum Sereniſſi-
,, mum Principem, Suæ Sacræ Majeſtatis Regiæ
,, Conjugem, & Corregentem, Juraque & Do-
,, minatum, quempiam moliri, machinari, vel
,, attentare viderem, audirem vel intelligerem, id
,, nullo modo celare, vel occultare, ſed tempe-
,, ſtivè revelare, detegere, omnibusque modis
,, prævenire, ac pro viribus meis præpedire tene-
,, bor & volo; omnia etiam Jura, Indulta, Im-
,, munitates & Privilegia Trium Nationum Prin-
,, cipatûs Transſilvaniæ in communi, vel particu-
,, lariter indulta, Legesque & Conſtitutiones re-
,, ceptas & approbatas, absque Nationum & Re-
,, ligionum receptarum reſpectu conſervare anni-
,, ſurus, neque palàm, neque occultè machina-
,, tionibus, aut conſiliis, Statum, Formamque
,, Reipublicæ hujus intervertere, immutare ten-
,, taturus, in Comitiis vel Diætis, quidquid pro
,, ſervitio Principis, emolumento Publici, & Pa-
,, triæ hujus tranquillitate, poſtpoſito cujusvis pri-
,, vati commodo, utile aut commodum viſum
,, fuerit, meo votô viribusque ſecundaturus; quin
,, vel unius privati oppreſſionem, precibus & vo-
,, to coram Inſtantiis, debitâ reverentia, reſpective
,, verò demiſſiſſimis, coram etiam Auguſtiſſimo
,, Principis Throno promoturus, omniumque &
,, ſingulorum juſtis cauſis pro æquo & juſto, ſuc-
,, curſurus ero; Ita me DEUS adjuvet.

§ 144.

§. CXLIV.

I. HUNGARORUM NATIO Transſilvanica, *Unitarum* ſive *Receptarum prima*, ejusdem cum Hungaris Pannoniæ originis, circa An. 962, in Daciam hanc & Pannoniam è Scythia immigravit, ex eoque terram armis occupatam poſſidet.

a. Quo curatiùs, Nationis Hungaricæ origo, avitæ ſedes, & has in terras adventus, è latebris protrahantur; triplex nunc, Gentis ejusdem originis, è Scythia egreſſus, breviter, pro inſtituto noſtro, repetendus eſt. *Primus* v. l. HUNNORUM, à quibus Siculi Transſilvani propagati ſunt; ſecundus, HUNNO-AVARUM; tertius HUNGARORUM: cum tres hæ Gentes, nominibus quidem diverſæ, ortu tamen & genere unæ eædemque fuerint; quamvis *BEYERUS in Epiſtola ad MATTHIAM BELIUM*, & *FISCHERUS in Quæſtionibus Petropolitanis*, Göttingæ An. 1770. 8. editis, diverſas adfirment.

b. 1. De HUNNORUM origine, multa apud Scriptores falsâ nituntur auctoritate; plurima inficetis fabulis ſcatent. Eos, qui Hunnos à Germanis profectos eſſe ſibi perſvaſerunt, vt & JO. ECCARDUM, Sclavicæ illos nationis populum fidenter adfirmantem, convulſos eruditè apud *R. P. GEORGIUM PRAY S. J.* p. 5. 6. reperimus. Non abſimiliter *JORNANDEM*, cum ſuis ſequacibus, qui Hunnos á ſpiritibus inmundis

J. 144.

dis exortos perhibet ex feminarum conſuetudine, quas Filimer Gothorum Rex, quod incantationibus deditæ fuiſſent ex ſuo exercitu ejecerit. Refellit etiam, quem cum laude memoravimus, PRAY, THUROCZIUM vehementer fluctuantem, & nunc ex genere *Japheti*, mox ex proſapia *Chami* Hunnos exortos tradentem. Nos, hoc in argumento, ea cumprimis amplectimur, quæ felix & caſtigatiſſimus Scriptor PRAY in *Annalibus veteribus Hunnorum*, *Avarum & Hungarorum*, complexus eſt.

2. HUNNOS, ex Japheti nepotibus progenitos, unam ex primis Coloniis fuiſſe, qui poſt lingvarum confuſionem campum *Senaar* deſeruere, dubitandum non eſt. Hi, per Armeniæ & Georgiæ montes eluctati in Tatariam penetrarunt, & Imperium Sinis coævum, circa An. ante nat. Chriſti 2207, teſtibus Annalibus Sinicis, fundarunt, plagasque Sinis ad ſeptemtrionem oppoſitas coluerunt, atque incurſionibus ſuis muri Sinici exſtructioni anſam præbuerunt. Certiora tamen Hunnici imperii initia ad An. ante nat. Chriſti 210. referuntur, quo *Teumanus* primus omnium Imperatoris nomine apud Hunnos claruiſſe, & bello Tataros adortus memoratur. *Teumano* ante Chr. An. 209. à filio Meteo cæſo, idem *Metens* in regno ſuccedit; qui Tataros profligat, finitimas gentes ſuperat, & titulum *Tan-Jo* (quaſi *Coeli filium* dicas) ſumit, quo deinceps Hunnorum Imperatores uſi ſunt. Poſt varias Hunnos inter ac Sinas viciſſitudines, Meteo rebus humanis erepto, filius ei *Laochamus* anno 174. a. n. Chr. ſuccedit, isque Imperatorem Sinarum

§. 144.

tributarium ſibi reddit. *Laochamo* An. 158. a. n. Ch. *Kiuntchingus* ſucceſſit. Quæ ille, & ſucceſſores geſſerint; qualiterque armis Sinarum & turbis civilibus, Imperium Hunnicum diſtractum, ac Sinarum clientelæ deditum ſit, diſertè laudatus PRAY. pag. 22 - - 43 litteris conſignavit.

3. HUNNORUM res, à nato Chriſto ſenſim labaſcere cœperunt, & Imperium eorum, quod nunquam deinceps coaluit, anno Chriſti 48. in Septemtrionale ac Meridionale diviſum eſt; ſuisque ſeorſim *Tanjois* utrumque ſubmiſſum. *Hunni meridionales* Sinis, quorum ſub clientela fuerunt ſatis felices, ſe dediderunt. *Septemtrionales* contra, ægrè ſe, ſoluto quotannis, ex fœdere, tributo, tuiti ſunt. Anno verò 61. Hunni meridionales odio armisque in Septemtrionales commoti, eo funeſta conſilia promoverunt, vt Sinæ bellum illis indicerent, ita feliciter An. Chr. 90. & 91. geſtum, vt victi memorabili clade Hunni ſeptemtrionales, finem Imperio in Aſia fecerint, &, magna eorum parte *Tataris Sienpiis* ſe permiſcente, & ſub Tribuum præfectis in occidentem progreſſi, multos poſt errores, in provincia *Baſchiriæ* ſedes collocaverint. Hunni iidem ſeptemtrionales,. a convulſo in Aſia imperio, ſuas licet in eadem Aſia res aliquamdiu tuiti, à *Sienpiis* tamen *Tataris* penitùs in occidentem propulſi, Europæ pedetentim adpropinquarunt, & poſtea à *Tataris Topais* rejecti ſunt ad Volgam fluvium: quo transmiſſo, Alanos ad Tanaim ſedes habentes vicerunt, & terras, quæ à Volga ad Tanaim porriguntur, inſederunt, indeque nominis ſui famam Europæ primùm intulerunt.

Hinc;

§. 144.

Hinc; nec ex *Juharia* Moſcoviæ, vt perperam nonnulli re tur; poſtquam aliquamdiu morati fuiſſent, ſive à Tataris orientalibus à tergo itidem urgerentur, vt Sinici Scriptores perhibent, ſive copia, quod annales noſtri contendunt, tanta jam eſſet, quæ ditione illa, ſterili aliàs quoque, commodùm capi non potuerit, conſcripto decies centum & octoginta millium exercitu, BELAMBERIS (quaſi dicas *Bal ember*, i. e. ſiniſter homo) *Regis*, non ſex Ducum, vt Annales patrii volunt, auſpicio, Tanaim, & in Europam Anno Salutis 374. transmiſêre.

4. An. 375. Alanos Hunni domuerunt; Anno verò 376, communi cum Alanis, velut armorum jam ſociis, conſilio & viribus in Gothos (qui *Oſtro-Gothi*, i. e. Orientales Gothi nuncupantur) Daciam colentes (§. 10. *n.* 1.) moverunt, ac prælio victos in poteſtatem redegerunt: pars tamen ad *Wiſi-Gothos*, i. e. Occidentales in Thraciam *Valentis* gratia receptos, conceſſit; ceteri ſub Hunnorum arbitrio fuêre, manſeruntque incorruptâ propemodùm fide deinceps conſtantes, quoad diſſidentibus Attilæ filiis, jugum excuſſiſſent; hoc fidei præmio, quod victorum Hunnorum venia, regulos ex gente ſua legendi jus, ad Attilana ferè tempora, haberent. Defuncti hoc bello Hunni, Pannoniam An. 377. occupant, & Gothis in Thracia An. 378. adversùs Romanos ſe conjungunt; ſed An. 379. ab iis vincuntur. Bellum celebre ad An. 380. á patriis Scriptoribus literis conſignatum legimus, inter Hunnos & Romanos geſtum, ad Vrbem *Potentianam*, primam, vt perhibetur, Romano-

mano-

§. 144.

manorum in Pannoniis Coloniam, quam HIDIUS S. J. in Libello *de Celebrioribus Pannoniæ Urbibus*, Tyrnaviæ An. 1701. edito, ad pagum *Adony*, haud procul *Budâ* dissitum, locat. Et Sanè BONFINIUS, ac cum eo NIC. OLAHUS in *Hungaria cap.* 2. post hoc prælium; quo ex Hunnis 125000. ex Romanis 210000. trucidatos THUROCZIUS perhibet, rursùs pugnam Hunnos inter & Romanos coortam narrant, in qua illi interfecto *Matrino* Duce Romano, & in fugam conjecto *Detrico* Veronensi, victores fuerint. Multa quidem in narrationibus hujus argumenti, nec tempori, nec veterum testimoniis congruunt: non videtur tamen bellum id penitùs fictitium; sed ad posteriora, quæ post Attilam consequuta sunt, tempora, verisimiliter figendum. Vide PRAY p. 75. Hunni, qui, ubertate soli allecti, suas jam sedes stabilierant, An. 383, à Gratiano Imperatore in Galliam contra Màximinum evocantur: sed morte Gratiani interveniente, à Valentiniano juniore auro deleniti, in Pannoniam, nunc fœdere quoque sibi concessam, non attactis Gallis, per Germaniam revertunt, ac in Gothos rebelles movent, eosque profligant.

5. *Balambero* A. 387, vt crdibile est, vitâ functo, CHARATON honore Imperii ornatur, quo regnante, circa An. 397. per *Nicetam* & *Theotinum* Religionis Christianæ apud Hunnos initia quædam facta memorantur. Post *Karatonem*, ULDINUS, aliis *Vldus*, circiter An. 400. rerum apud Hunnos potitur; quem circa 411. BENDEGUZ, Græcis MUNDZUCHUS dictus, Attilæ genitor, in dignitate sequitur. Hic, ma-

gnam

S. 144. XXVI. 4.

gnam Hunnorum manum, duce *Rugilâ* (Ruga, Rouga, Rhoilo) An. 426. ad obſidendam Conſtantinopolim, adversùs Theodoſium mittit: ſed Rugas fulmine icitur, & peſtis ſubſequuta maximam Hunnorum partem conſumit. An. 428. fratres OCTAR ſeu *Uptar* & RUAS Mundzucho ſucceſſêre; ſed An. 431. Octare mortuo. tota imperii moles in Ruam recidit. Poſt Ruam, germani fratres ETHELE ſeu ATTILA & BLEDA ſeu BUDA Theophani *Bdela*, filii Mundzùchi, An. 434 regni poſſeſſionem adeunt; quorum opera pax inter Hunnos & Romanos, penſo Hunnis in ſingulos annos tributo, conciliatur. An. 445. Attila fratrem Bledam perimit. An. 449. à THEODOSIO ad Attilam, in Pannoniam adornatur legatio, cui caput MAXIMINUS conſtituitur, addito Legationis ſocio PRISCO RHETORE, qui eam legationem in litteras retulit: verùm Hiſtoria ejus, præter Excerpta quædam, aut in Archivis latet, aut, quod proniùs eſt, periit. Ideoque ingens ubique in ipſis Attilæ rebus eſt perturbatio ac temporum negligentia, & quidquid in iis eſt lucis, debetur id Scriptoribus alienis, qui calamitates gentis ſuæ litteris commendarunt. Quanta, *Attila*, cum ſuis Hunnis bellicæ virtutis ac fortitudinis, ſed & ſeveritatis, in oriente & occidente, dederit documenta, peregrinus in faſtis Europæis ſit oportet, quem ea fugiunt. Compoſité complexus eſt laudatus aliquoties, ſed & donec ſcientiæ erunt, laudandus, PRAYUS, *Annal. P. I. Lib. IV.* Prælium Attilæ anceps & omnium fuit cruentiſſimum, in campis *Catalaunicis* Belgicæ ſecundæ, cum Aetio Romanarum Legionum Magiſtro,

§. 144. ...

giſtro, circa An. 451. commiſſum, in quo 180. pugnatorum circiter utrinque millia deſiderabantur. Relicto *Catalauno*, plurima incendii inſtar loca permeavit, totque gentium onuſtus ſpoliis, in Pannoniam rediit. Hoc, vt CALLESIUS in *Annal. Eccl. Germ. T. I. Lib. V.* perhibet, reditu, nec Anno 383. Hunni, quos Catalaunica urebat clades, *D. Urſulam* & ingentem cum ea *Virginum* multitudinem, quæ metu Attilæ, *Coloniæ Agrippinæ* refugium quærebant, trucidarunt: unde *undecim millium Virginum martyrio coronatarum* memoria nata eſt. An. 452. Attila, reparatis copiis, in Italiam, majore quam antea exercitu, profectionem ſuſcipit; caſtra ad *Aquileam* defigit, qua captâ, per reliquas Venetiarum Urbes Hunni graſſantur: *Ravennatibus* tamen Attila pepercit, & Romanis, *Leone* P. M. eum placante, clementem ſe præbuit, nec Urbem attigit. An. 453. in Daciam exercitum reduxit, ſuasque in orientem convertit curas, & tributa à Martiano exegit. An. 454. dum nuptias cum *Hildegunda*, Herrici Francorum Regis filia (Sponſam hanc *Hildeconem* aliqui, alii *Mykoltham*, Regis Bactrianorum filiam fuiſſe perhibent) celebraret; ipſa nuptiarum nocte, copioſo è naribus ſanguine in fauces exundante, quinquagenario vix major, licet domeſtici propemodùm omnes ad 124. annos ætatem ejus adducant, ſuffocatur. Uxoris, etſi plures eum habuiſſe conſtet, unius duntaxat, cui *Crecæ*, aut *Reccæ* nomen fuerit, memoria conſignata eſt. Filios tres ſuperſtites reliquit, quibus hæc nomina, ætatis ordine, fuere: *Ellak*, natu maximus, vivo patre Acatziorum ad Pontum Euxinum Rex; *Dengizich* & *Ir-*

nach.

J. 1444.

nach. Chabam enim & *Aladarium*, nec non 60. filios a nonnullis memoratos, pro ſuppoſititiis, cordatiores Scriptores habent: & quidquid Annales de *Chaba* conſignarunt, accipiendum eſt de *Dengizich* ſive *Dengezits*, quem *Chabam* vel potiùs *Kabam*, quod nomen *fatuum* apud Hungaros ſonat, Hunni nominarunt, propter inprudentem cum Romanis & Gothis conflictum, quo Hunni victi, & ipſe *Dengezits* capite minutus eſt.

6. Regnum Hunnorum, à morte Attilæ, filiorum ejus ſeorſim regnandi libidine primùm adflictum, tum penitùs perditum eſt. Licet enim nusquam filii manum inter ſe conſeruerint: ſed eorum diſſidio Reges, qui famoſiſſimo Attilæ paruerant, utendum rati, jugum excuſſêre. Hos inter *Ardaricus* Gepidarum Rex, primus fuit; qui conſerto in Pannonia prælio, cæſo *Ellako*, Hunnos profligavit, & Valachiam, Moldaviam, Transſilvaniam, Hungariamque Tibiſcanam, quæ Danubium inter ac Tibiſcum Jazigia dicebatur, Gepidarum poſſeſſioni ſubjecit. Tum Gothi Pannoniâ potiti ſunt. Poſt *Ellakum*, *Dengezich*, (*Denzik* quibusdam, *Dintzic* Jornandi) Hunnis regiâ poteſtate præfuit, qui cum Gothis infeliciter ad Sirmium An. 455. confligens, ultra Iſtrum à Valemiro rejectus eſt. Latebant poſtea Hunni, partim in *minore Scythia*, h. e. eâ, vt opinari licet, regione, quæ ad Danubii oſtia Peucen inſulam reſpicit, (*P. Faſſching* Mœſiam fuiſſe ex Jornande putat) partim in veteri Gothorum ditione, aleamque belli cum Romanis, An. 457. exitu parùm felici tentarunt. Anno denique 469. *Dengizich*, collectis Hunnis ſuper-

§. 144.

ſtitibus, & adſcitis nonnullis gentibus, eos adverſum Gothos duxit extremùm fortunam periclitaturus. Venit ad *Baſſianam*, cui *Báts* hodie fortaſſis nomen eſt, Pannoniæ Civitatem; quam *circumvallans, fines ejus cœpit prædari*. teſte *Jornande*: ſed rejecti à Gothis Hunni & inglorii pulſi ſunt; cumque per Thraciam redirent, in *Anagaſtum* militiæ magiſtrum inciderunt, à quo *Dengizich* victus & cæſus, finem occupatis à Belambero in regionibus Hunnorum Imperio, poſtquam ſeculum prope integrum ſtetit, impoſuit. Poſt hoc prælium, Attilanæ Hunnorum reliquiæ, ſparſæ in varias partes fuêre. Pars in Thracia, in Dacia Aureliana ſeu Mœſia §. 9. *n.* 1. & in Illyrico ad caſtrum *Martenam* teſte *Jornande* conſedit; pars major in Scythiam minorem rejecta fuit, ubi rerum potiti, in *Cuturguros* & *Uturguros*, à duobus *Cuturgur* & *Uturgur* (Syllaba terminalis *Ur*, hodiedum lingvâ noſtra *Dominum* ſignificat) Principibus, fratribus illis germanis, regnum inter ſe partitis, diviſi ſunt. *Uturguri*, cum ſuo, cujus nunc meminimus, in avitas ſedes, hoc eſt, trans Paludem Mæotidem, unde Hunnos primùm in Europam inmigraſſe, pro certo habetur, rediêre. Quæ forſan migratio occaſionem patriis Scriptoribus præbuit, ut Hunnos, convulſo Attilano imperio, penitus in patrias ſedes, duce *Chaba*, rediiſſe, ſibi perſvaſerint. Vid. *Thuroczius P. I. Cap.* 23. Sed, ut eruditiſſimè PRAY advertit, multiplex in *Thuroczii*, claſſici ferè in hac ſententia auctoris error cubat: cum *Chaba*, quem *Dengizichium* fuiſſe ſuperiùs innuimus, neutiquam ex Honorii filia naſci potuerit; nec regno ejectus à morte

At-

§. 144.

Attilæ, cum 15. millibus illis Hunnorum, qui de ipſa cæde reſidui perhibentur, ad Honorium in Græciam fugiſſe quiverit, tanquam multo ante, quam Attila regno potiretur, mortuum; nec Honorius Orienti, ſed Romæ imperaverit; nec denique in Scythiam redux, avum ſuum *Bendeguz* vivum invenerit: tantum enim abeſt, vt is avitam ſedem repetiverit, vt potius, teſte *Priſco* & *Jornande*, in Europa è vivis exceſſerit. Sed redeundum ad *Uturguros*, quorum Rex *Gordas*, icto cum Juſtiniano fœdere, Chriſtianis Sacris Conſtantinopoli initiatus, ubi domum rediit, à fratre *Muagere*, regno & vitâ exutus eſt. Quantum ad *Cuturguros*; ii in *minore Scythia*, vbi *Irnacbus* filius Attilæ natu minimus, poſt fata *Dengizicbii*, partim bona Romanorum orientalium veniâ, partim ſua induſtria, ſedes ſibi & Hunnorum reliquiis, in Cuturgos & Uturgos poſtea, ut diximus, diviſis, ſtabilierat, reſederunt. Uturguri denique & Cuturguri, obortis inter ſe diſſidiis, circiter medium Seculi VI^{ti}, ab *Avaribus* ex Aſia prorumpentibus, primùm quidem nonnihil profligantur, ſed protinùs cum iisdem in unam gentem coaleſcunt: unde gens coalita, *Hunno-Avarum* nomen induit.

7. Non hic omittendum, *Hunnos*, Sinis olim *Hiong-nü* dictos, ex *Honn* vel *Houny*, quod nativa eorum lingva Domum, vel Patriam ſonat, vt reor, nuncupatos; quod fortè ſe hæreditariarum terrarum poſſeſſores profiterentur. *Japheti* verò poſteros eſſe, extra dubitationem eruditis poſitum eſt: cum ex eo Scythiæ populi deſcenderint. Unde, delendum profectò *laterculum genealogicum* cenſemus, in quo

§. 1444. 4.

congéstis, ex cassis cerebris, nominibus, progenies Hunnorum, immò & *S. Stephani Regis*, usque ad *Chamum*, filium Noë, producitur, vt videre est apud *Thuroczium P. II. Cap. I.* ex quo eam *Bonfinius* in Decadis I. Lib. 9. transtulit. A *S. Stephano* usque ad *Almos* sive *Almum*, maneat tamen genealogia inviolata. Nec Attila unquam, aut sanè inscienter, titulum famigeratum, dum viveret, usurpaverit: *Attila, Bendeguz filius, Magni Nemrod nepos, in Engaddi nutritus; Dei Gratia Rex Hunnorum, Medorum, Gothorum, Dacorum; Metus Orbis, Flagellum Dei.* Nemrodum namque à Chus, Chami filio, produsse constat.

§. 1. AVARES, seu ABARES (Hungaris: *Abár-Magyarok*, è quibus *Abaris Scytha* ortus creditur) *Hunno-Avares* postmodùm dicti, nomine *Geougenorum* olim in Asia cogniti, & ex eodem, quo Hunni, Japheti genere prognati, atque à Gothica & Sclavica origine remoti, primordia imperii sui Asiatici, *Mokolio* auctore, Sinis ad septemtrionem positi, ad a num Christi 310. in Sinicis Scriptoribus, referunt. Fuêre aliquamdiu in clientela *Tatarorum Topaorum*; qua excussâ, miris incrementis ditionum fines, per partem Siberiæ ac omnem Tatariam protulerunt, Regesque suos, abrogato *Tanjoi* titulo, *Chaganos* seu *Chanos* dixerunt. Sed distingvendum est inter *Veros* & *Pseudó-Avares*: *illi* à Turcis devicti, magis introrsum ad orientem, aut septemtrionem, non item in Europam recessêre; hi, *Ogoricæ* potentissimæ Hunnorum gentis tribus, à suis *Var* & *Chuni* principibus *Varchuni* nuncupati,

§. 144.

pati, quos *Simocatta* Pſeudo-Avares vocat, ſunt noſtri *Avares*, Latinis Annaliſtis *Hunno-Avares*, quorum res in Pannonia, Illyrico & Dalmatia geſtas Scriptores conſignarunt. *Avarorum quoque Hiſtoria, ex laudato toties PRAYO repetenda.*

2. Avarorum potentia ſenſim in Aſia labaſcente, circa medium Seculi VI^ti, à populis preſſi, Europæ adpropinquant, & cum Hunnis Attilanis in unam gentem conflantur. An. 553. cum rege Longobardorum ALBOINO, bellum adversùs CUNIMUNDUM Gepidarum regem gerente, perpetuum fœdus pepigerunt, & devictis Gepidis, ex icto cum Longobardis fœdere, Daciâ potiti ſunt. Sic Gepidæ ſuperſtites eorum imperio ſubjecti. Evocatis An. 566. in Italiam ex Pannonia, à NARSETE Longobardis, Pannoniæ quoque poſſeſſione, An. 568. ex percuſſo fœdere, Avares potiuntur, Hoc, vt videtur, anno, Hunnorum Attilanorum reliquiæ, quæ in Illyrico ad Martenam conſederant, Avaribus ſe ſe junxêre. Occupatâ Pannonia, primùm in Romanorum provincias incurrunt; bellum poſtea cum JUSTINO Orientis Imperatore gerunt cruentum, quod fœdere, An. 575. confecto, terminatur. An. 578. tam *Kagano*, quàm JUSTINO, vitam terminantibus, *hic* TIBERIUM, ille KAGANUM II. habuêre Succeſſores. KAGANUS II, *Kurs* ille Hiſtoricis, de quô in terra Jazygum Hungariæ hodieque, locus quidam *Kárſz Király árka* nominatur, An. 579. *Sirmium* Romanis eripuit. Poſt, cum MAURITIO Imperatore funeſtiſſimum geſſit bellum, Conſtantinopolim uſque ferro ac flamma vaſtans omnia,

atque 12. captivorum millia à Mauritio non redemta, uno interfici jubens die. An. 610. novus Avaribus imperare cœpit *Chaganus*, quem, Imperium orientis tenente *Heraclio*, incaſsùm A. 626. Conſtantinopolim obſidione cinxiſſe legimus.

3. Poſt hæc, Avarorum inclinaſſe potentiam, claris docemur Hiſtoricorum teſtimoniis; propria tamen de gente ſuos habuerint Chaganos, quales fuêre: IRINGUS & JUGURRO An. 779. THEODO ſive THUDUNUS An. 795. cui CHÁJA, eique mox THUDUNUS II. ſucceſſit; quo regnante, ferunt, CAROLUM M. quandam Pannoniæ partem occupaſſe, annoque 803. Avarum nationem ſubjugaſſe; popularem tamen iis Regem, THUDUNUM III. Chriſtianis initiatum ſacris permiſiſſe; immò Evangelii Miniſtros ad eos miſiſſe haud paucos, & eorum curis Chriſtianam ibi propagaſſe fidem. Memoriæ denique proditum eſt, Galliæ Regi Avares ſubfuiſſe, quoad vice tertia, Hungari ex Aſia boreali erumpentes, & Avarum fratrum ſocietatem ineuntes, jugum gallicum excuſſerint.

d. 1. HUNGARI, ex eadem, cujus meminimus, Scythica Japheti proſapia orti, eademque ferme patriâ uſi, non à caſtro Hungariæ *Hungu*, vt quidem anonymus Belæ Regis Notarius contendit, ita dicti ſunt: cum iidem, jam tum, cum adhuc in Aſia morarentur, à Latinis Scriptoribus ſub *Hunugarorum* nomine cogniti fuerint; poſtea etiam *Ugri*, Græcis *Ungri*, perperàm vero *Hepidano*, *Agareni*, dicti. Græcis quidem & Sinicis Scriptoribus paſſim *Turci* cognominati:

8. ...

ti: cum & Turci Hunnicum genus fuerint. Hungarorum imperii in Aſia limites fuerunt ampliſſimi. Dividuntur in *orientales* & *occidentales*. Hungari *occidentales* rursùm in Aſia dividuntur, cumque Sinis alterna fortuna & bellum habent, & pacem colunt. Ab Cattiba Arabum Duce cladem accipiunt. Inteſtinis motibus agitantur. Ab Arabibus ſæpiùs profligantur. Ab Hunnis Hoeikeis versùs Volgam protruduntur. Fluvium transgreſſi, à Patzinacitis vincuntur. Pars ad orientem, versùs Perſidem, pars in occidentem ad Daciam defertur. NB. Hungari occidentales ſive Dacici, longo ſatis tempore cum iis, qui versùs Perſidem abierunt, conſvetudinem foverunt. *Vid. PRAY. p.* 312.

2. Hungari noſtri, licet nullum Ducem ſupremâ præditum poteſtate ante *Arpadum* habuerint, ſi quid teſti *Porphyrogenitæ* deferendum: at, quod ſuis Ducibus & agminum ductoribus, tanto in exercitu, carere haud potuerint, certiſſimum eſt. Circa illud tempus, quo juxta Volgam agerent, eos, æquata poteſtate, habuiſſe Duces, quos *anonymus Belæ Regis Notarius Cap.* 2. nominat, non repugno quidem, ſed liberum unicuique eatenus judicium relinquo. Fuerint verò illi, quos memoratus Notarius *ſeptem principales perſonas* nuncupat, & *Hétumoger* (quaſi dicas *Hét Magyar*, i. e. ſeptem Hungaros: cum Hungarus vernaculè *Magyar*, fortè à *Magogo*, aut à *Magore* quodam, vt quidam volunt, dicatur) vocatos perhibet: *Almus*, *Eleud*, *Cundu*, *Qund*, *Toſu*, *Huba*, *Tuhutum*. Sed veriſimillimum eſt, hos in continuata pedetentim migratione, aut vita functos; aut

ſenio nimiùm confectos: & conſequenter in locum eorum, dum intenſis viribus Dacia, & mox Pannonia, debellanda erat, novos Duces ſubl ectos fuiſſe. Eos, hoc ordine nobis Annales domeſtici ſiſtunt: *Arpád*, filius *Almos*, *Gyula*, *Kund*, *Szabólts*, *Urs*, *Leel* & *Verbóltz*. Ab his tandem Pannonia poſſeſſa legitur, ita quidem, vt *Arpád* in tractu Albæ Regalis, *Verbóltz* ad lacum Balaton, *Urs* in ora Savienſi, *Kund* & *Szabólcs* ad Tibiſcum, *Lebel* ad Galgotzium, *Gyula* in Transſilvania, conſederint.

3. Hungari Ducum nominatorum ſigna ſequuti, à Volgâ moverunt, & anno Chriſti 862. aut non multo poſt, in Daciam, h. e. Moldaviam & Transſilvaniam adpulerunt, eodemque Anno *Arpadum*, qui ſuprema toti genti præeſſet poteſtate, Ducem elegerunt. Hungaros eo tempore 210000 numeratos in caſtris fuiſſe Faſti vulgares adſerunt. Poſt ſumtam in Dacia quietem, An. 889. noſtri Tibiſcum ac Iſtrum versùs pedes promoverunt. Poſtmòdum bellicis undique virtutibus famam nominis per Europam diffuderunt. Opem *Leoni*, cognomento Sapienti, Orientis Imperatori, contra Simeonem Bulgariæ Principem; ac *Arnulpho* Occidentis Imperatori, An 892, contra *Svatoplugum*, (qui aliis *Svates*, item *Sventopulcher* & *Sweutibaldus* cluit) Maroti filium, Moraviæ Principem, ſumma fortitudine tulerunt. Pulſo, quem nunc diximus, Svatoplugo An. 892, ac ad vitam monaſticam, ſi verum eſt, redacto, (in monte namque *Sober* Comitatûs Nitrienſis, trium Eremitarum conſortio, omnibus ignotus vixiſſe fertur. *Vide va-*

§. 144. [illegible]

riantes de ejus morte opiniones apud PRAYUM p. 331. 332.) ampliùs Hungari ſuam in Pannonia poſſeſſionem promoverunt. His peractis, horrendâ Carinthiam, Italiam ac Bavariam clade An. 900. affecerunt; donec Imperator Ludovicus, Arnulphi filius, magna ab iis pecuniæ ſummâ pacem emit non diu duraturam: anno ſiquidem 902. denuò Bavariam, ubi Dux celebris Hungarorum *Cuſſal* prælians occidit, vaſtaverint. Sub idem tempus, *Arpado*, primario Hungarorum Duci vitâ functo, filius ZOLTÁN ſuffectus eſt; binique ſimul exercituum Duces, *Durſák* & *Bugát* creati: quot hi quantasque reportaverint victorias, tanquam alienum à noſtra narratione prætermittimus. *Zoltanum*, Filius TOXUM ſeu TOKSUS in Imperio ſequutus eſt, cujus iterùm facinora recenſere noſtri non eſt inſtituti. *Tokſó* Patri filius GEJZA (aut rectiùs *Geyza* ſive *Gyejza*, cum nomen ſit hungaricum ex *Győ'ző'*, i. e. *Vincens* ſeu *victor*) An. 972. ſucceſſit: is fœdus cum Ottone Imperatore coluit, Evangelii precones ejus conſilio, miſſos illos à *S. Piligrino* Patavienſium Antiſtite prædicatum, in Hungariam recepit; quorum curis, brevi tempore, 5000 nobilium Hungarorum Chriſtianam, cum ſacro fonte, fidem amplexi ſunt. Poſt jacta Chriſtianæ Religionis inter Hungaros fundamenta, mortalitatem An. 997. explevit, ſuum ſibi filium relinquens Succeſſorem, longè ſe glorioſiorem, ſanctum v. l. Stephanum I. (§. 96. *n.* 2.) *Regem* ſimul *ac Apoſtolum* Hungarorum, An. 969. à S. Adalberto baptizatum. *Conf.* §. 136. Habes, L. B. Originem Hunga-

rorum, 3^tia ſcilicet vice e Scythia egreſſorum, quorum Hungari Transſilvani veri poſteri ſunt.

§. CXLV.

Hungarorum ſedes ſive loca habitationum IN TRANSSILVANIA ſunt ſeptem hi COMITATUS: 1) *Albenſis*, cum 13. Oppidis & 239. Pagis. 2) Comitatus *de Küküllö*, cum Oppidis 2. & Pagis ſeu vicis 117. 3) C. *Thordensis* cum Op. 6. Pag. 167. 4) Com. Koloſienſis, ſive *de Kolos*, cum unica Libera Regiaque Civitate, v. l. Claudiopoli, Opp. 5. Pagis 197. 5) Com. *Doboka*, cum Opp. 1. Pag. 163. 6) Comit. *Szólnok Interior*, cum Oppid. 4. Pag. 192. 7) Comit. *Húnyad*, cum Opp. 5. Pag. 294. IN HUNGARIÆ PARTIBUS Transſilvaniæ reaplicatis tres COMITATUS: 1) Comit. *Szólnok Mediocris* cum Opp. 2. Pag. 144. 2) Com. *Kraſznenſis* cum Opp. 1. Pag. 69. 3) Com. *Zarándenſis*, cum Opp. 1. Pag. 92. DUO DISTRICTUS. 1) Diſtr. *Fagaras*, cum Op. 1. Pag. 62. *in Transſilvania.* 2) Diſtr. *Kövár*, cum Op. 1. Pag. 89. in Partibus Hungariæ.

His

3146.

Hi omnes dicuntur *Comitatus* & *Districtus Hungarorum*, non quod eorum Incolæ Hungari in universum essent; *Toleratæ* si quidem *Nationes* segrex territorium minimè habentes, in his, juxta ac Siculorum, Saxonumque Sedibus mixtim habitent: sed quod Possessores sive Domini Terrestres, sicut & Cives ac Oppidani plerique, in Comitatibus, natione Hungari sint. Sed de hoc argumento in *Parte Speciali* dicendi locus erit. Nota verò incidenter, Hungaros partim *Nobiles* partim *Ignobiles* esse.

§. CXLVI.

Multa ex antiqua *Indole* [1]. Natio Hungarica retinet; nec *Vestem* penitùs exuit Hungaricam [2].; *Lingvam* verò, diversam eam à reliquis Europæis [3]., & Asiaticis adfinem [4]., nonnullis licet peregrinis, velut Germanicis [5]., Sclavonicis [6]., Gallicis [7]. *cet.* ex mutuo cum vicinis gentibus commercio [8]. mixtam, incorruptam tamen & intemeratam sinceritatique antiquæ parissimam [9]. recitat.

1. Non ineptè equidem *Barclajus* Cap. 8^vo^ *Iconis Animorum*, prout de Hungaris Hungariæ similiter & Hungaris Transsilvaniæ dixerit: " Indolem gentis (*Hungaricæ*) ideo magis arduum scire, quod hoc Seculo horribili clade perculsa est, suisque moribus vix relicta, hinc

„ ur-

§. 146.

„ urgentibus barbaris, potitisque magna parte „ provinciæ, hinc milite ex omnibus Europæ „ populis ad auxilium lecto, moraque & multitudine, aliquid ſuorum morum ſenſim in illam regionem transfundente: „ *priſcam tamen Hungarorum ſinceritatem, fuci expertem, & nativam quandam bonitatem, ad virtutes proclivem* & Litteris aptam facilè in iis reperias, & *ad amicitiam facillimos putes.*

2. *Veſtitus* Hungarorum peculiaris, nec omnibus Europæis notus, imò plurimis mirificus eſt. *Veſtes marium* ſunt; 1. CAPITIS: *Pileus.* (*Süveg*) ex pelle marturina, agnina *cet.* pro hiemali conſutus tempore. *Petaſus* (*Kalap.*) à Germanis mutuatus æſtivis diebus. 2. THORACIS, VENTRIS AC DORSI veſtimenta ſunt: *Induſium*, (*Ing*, ſive *Imeg*) quod nunc *Subuculâ* (*Lájbli*) nunc *Tunicâ*, (*Dolmány*) nunc his utrisque Induſio adſtringitur; tum *Toga brevis* vulgò *Chlamys* (*Mente* Hung.) ſuperiùs geſtatur Tunicâ longior, pelleque ſubducta ac fimbriâ circumcircà ornata, fibulis denique ſive nodulis ac aliis ornamentis inſtructa. 3. PEDUM ſunt: *Femoralia lintea*, ſive ex telis lineis ac cannabinis facta: laxa veſtis, vix Germanis, Gallis, *cet.* nota, ab inferiori abdomine ad talum dependens. Huic ſuperinduuntur *Femoralia pannea*, vulgò *Caligæ* (*Nádrág*) non modò ad genua, ſicut Germanorum, ſed uſque ad talos pariter defluentes. *Calceamenti* genus, nigri communiter, at etiam purpurei, luteique coloris, cum Polonis & Turcis commune habent, quod ex lingva Turcica *Csizma* vocatur. Hæ ſcilicet Hungaricæ veſtes Nobilium

ſunt.

S. 146.

ſunt. Sed ignobilium & infimæ plebis longè ſunt viliores. Multorum *Petaſus* è triticeo cerei coloris ſtramine vincitur. *Induſium*, *Femoraliaque* cannabina ex telâ viliori. *Subuculæ* paucis, *Tunicæ* nullis. Pro *Chlamyde* amiciuntur *Sago* (Hung. *Zeke*, *Tzedele*, *Tzondra*, *Szokmány*) vulgò *Bracca* dicto, ex panno viliori, at tenaci, & proprio labore texto, plerumque atro aut ex atro caneſcente, rariùs albo. Ex albo, *Femoralia pannea* conficiunt. *Calceamento* viliſſimo. (*Botskor* dicitur) gaudent: extremum namque pedem pannis vel telis involvunt; deinde corio, at eo rariſſimè præparato, ſemper verò quadrangulari forma ſecto, anterioreque parte ad pedis digitos conflexo, obducunt plantam ac digitos; funiculis demùm aut loris tenuioribus per metacarpum colligant. *Veſtes Femineæ* ſunt:

CAPITA mulieres (nolo mihi hoc loco ſermonem eſſe de Magnatum Feminis, quarum veſtitum galliciſſantem & germaniſſantem vix integer complecti poſſet liber) telâ ſubtiliori, ad calcem ſæpe propendente tegunt; puellæ vix ſuum infra caput demittunt tegumentum; immo ridente aëre, præter corollas nihil in capite gerunt. Collaria ornamenta putes velim varia. Nec Inauris ad unam reſtricta eſt formam. *Induſia* ex Lino, Goſſypio & Cannabe pro fortuna perſonarum. Exomis ſive Subucula pelle plerumque ſubducta & fimbriis ornata. Toga ſeu Chlamys virilium hujus generis veſtium imitatrix. *Stola* ſive Tunica muliebris (*Szoknya*) ex telis, pannis, materiis variis, varii coloris. *Calceamentum* non multum differens á marium cothurnis, & ſicut illi, hoc quoque *ad calcem ſo-*

lia-

3. 146.

liatum ferro; colore plerumque rubro ſive purpureo.

Veſtitum ſanè Hungarorum Scythicum, pauperiores magis retinent; ii ſcilicet, qui pelliceis teguntur togis, quique duas lacinias pelliceas à tergo, juxta chlamydis longitudinem, demittunt; quod tamen jam viſu rarum eſſe cœpit: veteres enim noſtri majores ſimplici admodùm veſtitu uſi fuêre; quod actu teſtantur nonnulli Hungariæ incolæ, detractam ovibus pellem, vix aliquid mutatam, togæ inſtar geſtantes, eamque *Katzogány* vocitantes. Eſt quidem & Nobilium veſtitus brumalis laxus ac totum corpus pænulæ inſtar tegens, qui his ex luporum, illis agnorum exuviis fit. Corporis denique geſtus Nobilium eſt ſat cultus, plebejorum plerorumque ferum quid ſpirans. *Capillos olim decenter Hungari nutriebant; poſtquam verò Uladislaus Polonus Hungariæ Regno potiretur, raſio capitum, excepto vertice, introducta creditur*: at noſtra hac ætate capilli Hungarorum, juxta & Siculorum ac Saxonum, exceptis ruſticis, novaculam fugere cœperunt.

3. Vltrò, quantum ſcio, Europææ gentes fatentur, nihil ſibi cum indole Lingvæ Hungaricæ habere. Dic, quæſo, quod ſit Europæ Regnum, ex quo non aliquem, in Inclito Militari Statu Transſilvania alat? & idem omnes mecum ſentiunt. Vnde difficillimam omnium in Europa Lingvarum, illis diſcentibus, Hungaricam videri, mirum ſit nemini.

4. Ex Aſiaticis Hebraicæ cumprimis, quoad primitiva, modumque conſtruendi, ſuffigendi cet. ma-

§. 146:ovi.

maximè cognatam esse. *Jo. Detzius Bernegge-rus*, *Franc. F. Otrokotsi* in *Originibus Hungaricis*, ac, præsertim, *Jo. Gottfr. Oertelius* Antistes Sopronienses in *Harmonia LL. Orientis & Occidentis, speciatim Hungaricæ cum Hebræa. Viteb.* 1746. aliique, pulcrè perspexerunt. Sexcenta sanè vocabula Hungarica reperias cum Hebræis communia. Talia sunt:

HUNG.	HEBR.	LATINE.
Dob.	Tof.	Tympanum.
Álom.	Chalom.	Somnus.
Szakál.	Zakan.	Barba.
Kints.	Ginze.	Thesaurus.
Kosár.	Kasár.	Corbis.
Madzag.	Mezach.	Zona.
Gedelye.	Gedi.	Hædus.
Szóra.	Zaráh.	Ventilavit.
Pajta.	Bajtha.	Horreum.
Pazérla.	Pazár.	Dissipavit.
Én.	Eni.	Ego.
Ö, vel *Ü*.	Hu.	Ille.
Gázola.	Gazál.	Diripuit.
'Sák.	Schak.	Saccus.

Omnes tamen voces Hungaricas, origine Hebræas esse, vt *Oertelio* visum fuit, nunquam nobis persvaderi potest. De vocabulis Græcanicis nihil attinet dicere.

5. Ex Europæis, nulla nobis gens, ac Germana, tot suggessit vocabula. Cum nostræ hæc sit felicitas ætatis, vt Transsilvanorum Hungarorum ac Siculorum plures Germanicam in dies Lingvam ex-

excolant, & ipſimet, quod dixi, in comperto habeant; pauca ſolùm vocabula, pro ſpecimine, proponimus:

HUNG.	GERM.	LATINE.
Lajtorja.	Leiter.	Scala.
Pléh.	Blech.	Lamina.
Tzérna.	Zwirn.	Filum duplicatum.
Kotſi.	Kutsche.	Rheda.
Korbáts.	Karbatsche.	Scutica.
Hébel.	Hechel.	Carmen.
Iſtálló.	Stall.	Stabulum.
Láda.	Lade.	Arca.
Mo'sár.	Mörsel.	Mortarium.
'Sendely.	Schindel.	Scandula.
Sonka.	Schincke.	Perna.
Sólja.	Sohle.	Sandalium.
Vintzellér.	Winzer.	Vinitor.

6. Vocabula cum Sclavis, (*Tótokkal*) vltra, credi quàm poſſet, communia poſſidemus. En aliquot eorum:

HUNG.	SCLAV.	LATINE.
Bárány.	Berán.	Agnus.
Deſzka.	Deska.	Aſſer.
Kaláſz.	Klas.	Ariſta.
Szalonna.	Szlanina.	Lardum.
Rák.	Rák.	Cancer.
Petſét.	Pečet.	Sigillum.
Szalma.	Szláma.	Stramen.
Abrak.	Obrok.	Pabulum.
Mendentze.	Medenice.	Pelvis.

HUNG.

J. 106

HUNG.	SCLAVONICE.	LATINE.
Öſztön.	Oſten.	Stimulus.
Pára.	Pára.	Vapor.
Páſint.	Paziti.	Ceſpes.
Motſár.	Močar.	Lacuna.
Szomſzéd.	Sauſed.	Vicinus.
Tsemer.	Csemer.	Faſtidium.
Széna.	Seno.	Fœnum.
Szemét.	Smeti.	Sordes.
Kaſza.	Koſa.	Falx.
Korhel.	Korhel.	Comiſſator.
Szita.	Syto.	Cribrum.
Pozdorja.	Pazderj.	Stupa.
Eſzterha.	Strecha.	Tectum.
Határ.	Chotár.	Territorium.
Takáts.	Tkáč.	Textor.
Moly.	Mol.	Tinea.
Szán.	Sane.	Traha.
Ontok.	Autek.	Trama.
Ruha.	Raucho.	Veſtis.
Vetſernye.	Wečernj.	Veſpertinus.
Kurva.	Kurwa.	Meretrix.
Vatſora.	Večere.	Cœna.
Kolbáſz.	Klobáſa.	Farcimen.
Kováſz.	Kwas.	Fermentum.

Si quis ex me quærat; vtrum Hungari à Sclavis, aut hi ab illis, hæc & complura vocabula mutuati fuerint? Acu rem tetigiſſe videtur *P. Joan. Mólnár* S. J. in Libro, cui titulum fecit: *A' Régi Jeles Épületekröl való IX. Könyvek*, (i. e. de antiquis præcipuis Aedificiis Libri IX. *Tyrnaviæ* 1760. 4.) ei ſubſcribens ſententiæ, qua vo-

cabula Sclavis, Bohemis, & Croatis communia, etiam apud Hungaros civitatem obtinentia, Hungaros à Sclavis; contra verò, ea, quæ cum Hungaris, aut ſoli Sclavi, aut ſoli Croatæ, uſurpant, Sclavos ab Hungaris accepiſſe ſtatuitur. Libentiùs verò vocabula Sclavis retribuimus, quæ ab illis, quarundam in Hungaria regionum Hungari, nulla urgente neceſſitate arripuerunt, ſic ex. gr. dum pro Hungarico *Fazékas*, (Figulus) dicunt *Gerentzér*; pro *Rakás* ſive *aſztag* (Acervus) *Gromada*, *cet.* quæ mera Sclavica ſunt: ſed hoc mixtæ cum Sclavis Hungarorum habitationi tribuendum. Nolim denique mihi cum Sclavis quidquam litis intercedere: dico tamen plura longè vocabula illos abs Hungaris, quàm hos ab iis adſciviſſe.

7. Quantum Gallia à Transſilvania diſtet, metiatur, cui volupe eſt: rarum tamen non eſt dictiones Gallicas vel plebejos inter in Transſilvania auditare. Nonne hæc nativa Gallica vocabula ſunt?

HUNG.	GALL.	LATINE.
Bágáſia.	Bagage.	Sarcinæ.
Manér.	Maniere.	Modus.
Botos.	Botte.	Ochrea.
Tupé.	Toupe.	Cincinnus.
Paróka.	Perruque.	Coma adſcititia.
Krépin.	Crepine.	Reticulata fimbria.
Kamizol.	Camiſole.	Subucula.
Bakatſin.	Bocaſſin.	Linteum ſubactum.
Mazkora.	*Ex* Maſquer.	Perſonam induere.

HUNG.

J.-146 xvi. k.

HUNG.	GALL.	LATINE.
Medály.	Medaille.	Symbolicum numiſma.
Pántofel.	Pantouffle.	Crepida.
Troket.	Droguet.	Panni ſpecies.
Tafota.	Taffetas.	Bombycina multitia.
Kanaváſz.	Canevas.	Tela cannabina.

Quibus tamen, & ſexcentis aliis, promiſcuè Transſilvani utuntur.

8. Hoc quemadmodum evenerit, facillimè, cui mens non læva obtigit, perſpiciet. Quis enim non cenſeat Hungaros Scythiam incolentes plurimis deſtitutos fuiſſe Utenſilibus, Inſtrumentis, conſuetudinibus, *cet.* ab Europæis gentibus ad uſum adplicatis: quæ non aliter, niſi cum nomenclaturis, Hungariam ac Transſilvaniam ingreſſi, ab iisdem acceperint, neceſſe eſt.

9. Vetus ſcilicet nonnullorum Hungaricorum verborum interiit ætas, & pro quibusdam nativis Hungaricis, quæ communis lingvarum omnium conditio eſt, adſcititia vocabula ſubſtituta, technica cumprimis Latina: Lingva tamen Hungarica antiquam prorſus retinet indolem, & *altiſſimos conceptus habet. Eam* noſtri *Latinis ſcribunt Literis, utunturque præter Romanam conſuetudinem frequentibus K & Y*; ſed Y. in diphthongis ſeu duplicibus tantùm obtinet, adeoque poſt, *g. l. n. t.* tantum valet, ac ſi *j* illis ſubnecteretur. De poteſtate quarundam Literarum, non ſine operæ precio, notari hæc velim: *Hungarorum S.* æquivalet Germanorum Sch. Hung. *Z.* Germ. S

Hung. *Ts.* ſive *Cs*, Germ. Tſch. Hung. *Cz.* ſeu *Tz*, Germ. Z. ſive Tz. Hung. *V.* Germ. W. Item Hungaricum *Ö.* Gallico *Eu*, Hung. *Ü*, Gall. *U.* Hungaricæ porrò vocales Longæ à brevibus diſtingvuntur per accentus, hoc modo: *á, é, í, ó, ú.* Latinum denique X, per *Ks.* Lat. *Qu.* per *Ku* enuntiatur. Exteris harum ignaris poteſtatum, nomina pleraque Perſonarum & Locorum Hungariæ Tranſilvaniæque prolatu erunt duriuſcula; immò, nunquam rectè pronunciandа.

Hæc de *Hungaris*, quos aliis *Ungaros* appellare præplacet.

§. CXLVII.

II. SICULI, ſive *Siculorum Natio* (Hung.) *Székely*) Hunnorum (§. *CXLIV. n. a. b.*) progenies, Terrâ, quam An. Chr. 376. per eorum Majores occupatam diximus, hodiedum, aliqua ex parte, potiuntur.

a. Gravis certè nunc de Siculis quæſtio nobis expedienda venit. Utrum *ſcil.* illi, Hunnorum, An. 374. è Scythia egreſſorum Reliquiæ ſint, aut minus? Communis Hugaricorum Scriptorum ſenſus ſtat pro Siculorum in Tranſilvania antiquitate; de qua JOAN. PISTORIUS in Genealogia Regum Hungariæ, ſic habet: " Siculi (*h. e.* „ *Hunni*) ad tria millia in Pannonia ſubſtite- „ runt; ubi, occupatâ Transſilvania, mutave- „ re nomen, & *Siculos* ſe fecerunt. „ Pene ſi-

„ milia

milia THUROCZIUS prodidit, cujus hæc est de *Siculis* narratio: " Hos etiam præter Hunnos, „ qui Chabam (quem *Dengezits* fuisse superius „ innuimus) comitati sunt, tria millia virorum „ eadem de Natione prælio de prædicto per fu„ gæ præsidium erepti, in Pannonia remansisse; „ & quam primùm in campo *Csigla mező* voca„ to, sibi sedem fecisse; tandem occidentales „ Nationes, quibus vivente Attila infesti erant, „ metuentes, ad *Erdeelew*, (i. e. Transsilvaniæ) „ Confinia videlicet Pannonicæ regionis se „ transtulisse, & non *Hunnos* sive *Hungaros*, „ sed ne illorum agnoscerentur esse residui, SI„ CULOS, ipsorum autem vocabulo SZÉ„ KELY, se denominasse perhibentur.„ *Ita ille*, & passim *Hungarici AA.* At Recentiores ad fabulas hunc eorum ortum rejicere adnituntur. Juvat hac de re *P. Franciscum Fasching* S. J. audire, *Vet. Dac.* p. 78. seqq. hæc refert: " Res diffi„ cilis creditu est, tria millia hominum potuis„ se occupare Daciam, quam vix Romani subi„ gere, diu possidere certè non poterant. Et „ quis indicavit *Pistorio* & *Turoczio*, ex Antiquis, „ numerum trium chiliadum? - - - Si autem „ omnibus tunc finitimis gentibus infensos se esse „ intelligebant, cur in medio Gepidarum conse„ derunt? à quibus facile internosci poterant; „ cum promiscuè in Dacia cum Hunnis sub At„ tila vixerint; ac Ardaricus, postea Gepida„ rum Rex, Attilæ semper à Consiliis fuerit - - - „ Non poterant igitur tria millia remanere mu„ tato etiam nomine, ne pro Hunnis agnosce„ rentur: quasi verò Gothis & Gepidis non „ fuisset recens Hunnorum memoria & cogni-

„ tio ? - - - quomodo in medio hostium ferè
„ 100. annos latere poterant ; ad secundum
„ nempe Hunnorum egressum ? - - - - Vix insu-
„ per credibile est, eos post secundum Hunno-
„ rum regressum in illa terra permansisse, sed
„ probabilius Seculo Dominico Christi Decimo
„ Tertio, quo Tartari Transsilvaniam septen-
„ nio, & Hungariam triennio fermè afflixerunt
„ & propè deleverunt, iis excedentibus, à Bela
„ IV. ex Jassis seu Philistæis - - - ad custodien-
„ dos limites, eo translatos fuisse; quoniam ve-
„ rò in maximis periculis durarunt in Dacia,
„ magnas immunitates, quarum potissimas jam
„ amissas videmus, merito obtinuerant. Disce-
dit pariter *P. Georg. Pray*, in *Annal. Vet. Hung.* ab eodem *Thuroczio*, vt videre est p 179. & 180. & *Fasschingio* subscribit antiquitatem Siculorum neganti, in eo ei contrarius, quod, cum *Fasschingius* Siculos ex *Jassis* seu *Philistæis* originem suam duxisse contendat; *Pray* ex adverso *veros* illos *Paczinacitas ortu suo esse, planè persvasus sit*; Patzinacitas autem veros Cumanos esse, extra omnem dubitationem habeat: quamvis suspicetur vehementer *Jassos* sive *Jazyges*, a terra Jazygibus olim habitata sic compellatos, sed *Cumanos* eos revera fuisse. Notandum incidenter, hodiernos Jassos, Hungariæ, circa Oppidum *Jászberiny*, incolas, qui Hungaris *Jászok*, & eorum terra *Jászság*, dicuntur, *Jazyges* haud recte vocari, quum non à Jazygibus originem suam acceperint, benè verò *Jassos* à *Jasso*, qui ante 500, & quod porro est, annos, *Jassorum* Pater fuit; adeoque nomen *Jazygum* in Hungaria novum esse. Et certè populus, qui hodie Jazygum nomine insignitur,

tur, *Ismahelitarum* olim nomen intelligebat, teste *Cap.* 9^no^ *Libri I. Decretorum S. Ladislai Regis Hung.* Ismaelitæ verò alias *Philistæi* nominabantur, nec non *Saraceni*, vt clare perhibet *P. Szegedi* in *Decr. Colmanni*; qui, cum promiscuis aliis gentibus Belgradum, contra Salomonem Regem fortiter propugnarunt, docente *Thuroczio* P. 2, c. 50. quo expugnato, multi *Saracenorum*, partim bello capti, partim dedititii, abducti sunt in Hungariam, & per matrimoniorum contractus Hungaris inmixti, nobilitatemque adepti. Perspicuum denique est ex *Decr.* Colomanni *eos Judaizasse*; at in reliquo à Judæis diversos fuisse, ac postmodum ad christiana Sacra accessisse, habitumque Hungarorum, cum Lingua, induisse, Decretorum ac Scriptorum auctoritatè constat. Quantum ad Patzinacitas: Nullo Veterum testimonio probari, vt reor, potest eandem cum Cumanis seu Cunis (sunt *Cumani* in Hungaria *Kunok* appellati, & *Kunság* eorum territorium) gentem fuisse; nec, si illud probaretur, sequeretur tamen, Cumanos aliquando Jazyges compellatos. Sed ex discursione ad propositum. Multum sanè, tam *Veteris Daciæ* Auctori, quàm, & maximè quidem, P. PRAY deferendum duco in suis lucubrationibus immortali dignis laude: sed in origine Siculorum, conjecturam Laudatorum, locum habere nequaquam posse, evincam sanctissimè, ex Diplomate *Ladislai IV.* Hung. Regis, An. 1289. 17. Sept. emanato; quo hæc, in nostrum argumentum leguntur: " Considerratis fidelitatibus & meritorum servitiis Siculo-„ rum nostrorum - - - quæ primo Domino Re-„ gi Stephano Patri nostro carissimo, & per

 „ con-

„ conſequens nobis cum ſummo ardore fideli-
„ tatis laudabiliter exhibuerunt, - - - nam, cum
„ Comani verſi in perfidiam auſu temerario ele-
„ vato vexillo, crimen læſæ Majeſtatis non for-
„ midantes in Houd (forſan pro *Had*, quod
„ Hungaris *Bellum* ſonat) contra perſonam no-
„ ſtram inſurrexerant, convenerant; iidem Si-
„ culi dubios eventus fortunæ non verentes, nobis
„ cernentibus, contra ipſos Comanos, & aciem
„ eorundem, ſe viriliter & laudabiliter oppoſue-
„ runt, & in eodem prælio nobis multipliciter
„ meruerunt complacere; præterea cum perfida
„ gens Tartarorum regnum noſtrum hoſtiliter,
„ & crudeliter adiiſſet, & maximam partem regni
„ noſtri vaſtibus diris, & ſpoliis peragraſſet, ac
„ infinitam multitudinem regni noſtri in ſua fe-
„ roci captivitate abduceret, & iidem Tartari
„ ſpoliis bonis, & rebus regni noſtri onerati ad
„ propria remearent, prædicti Siculi contra in-
„ ſultum & rabiem eorundem Tartarorum, pro
„ libertate Patriæ, gentis ſuæ, caſtro Turuz-
„ kon ſe viriliter objecerunt, & contra eosdem
„ Tartaros laudabiliter dimicarunt, & eodem
„ conflictu plus quàm mille homines de miſera-
„ bili & enormi captivitate eorundem Tartaro-
„ rum liberarunt, *cet.* Viden', quàm tradunt dilucidè verba Diplomatis, Siculos, non poſt diſceſſum Tatarorum, ex Jaſſis, in Transſilvaniam translatos, ſed jam antea ſuis ſedibus po-titos, & contra Cumanos Regnum tuitos fuiſſe. Ac porro, ſi Siculi, Cumani, ſicque, quod *P. PRAY* contendit, Patzinacitæ fuerint: tum Siculus adversùs Siculum pugnaverit, neceſſe eſt. Sed redeat ſermo de vero Siculorum ortu.

b. Quid-

G. 142. XVI. A.

l. Quidquid memoratis non ſine laude Scriptoribus, eorumque ſectatoribus videatur: mihi inter comperta ponere placet, Siculos, *Hunnorum Attilanorum Poſteros*, adfirmare; Attilanorum, inquam, cum nec alii eos *Hunnici generis* negent, ſed Attilanæ proſapiæ eſſe inficiantur. Paulullùm proinde verba *Thuroczii* excutiamus. Credibile haud videtur contrariæ ſententiæ patronis, exiguum numerum, *tria* ſcilicet *millia Hunnorum*, cum ceteri, divulſo in partes Attilano Imperio ad Boryſthenem regnum ſibi ſub Irnacho conſtituerent (§. 144. *n. b. 6.*) ab reliquo Hunnorum corpore ſe abſtraxiſſe, vt ſponte Gepidarum, qui Hunnorum priùs ſervi erant, imperio ſe ſubjicerent, *P. Pray p.* 180. Sed dum *Thuroczio*, hanc ob cauſam, fides denegatur; cur eſt quod *Jornandi*, pari in re, tuto creditur, adſerenti, Hunnorum partem aliquam in Dacia Ripenſi remanſiſſe, qui ſe poſt commiſſum cum Ardarico Gepidarum rege prælium iſtuc receperint, *P. Pray p.* 182. Et veriſimile videatur, eam Hunnorum partem, An. 568. Avaribus ſe conjunxiſſe, *P. Pray p.* 208. Prout hi, ita certè & Siculi Hunni a reliquis ſe abſtrahere Hunnis facile poterant; præſertim, quod Dengizichum & magnam Hunnorum, qui cum eo diſceſſerant, partem, jactari vidiſſent. Et hanc ob rem, plane inducor, ut credam, maluiſſe Hunno-Siculos in Gepidarum arbitrium concedere, quàm migrationis & itinerum erroribus periclitari; & hac ora ſedem figentes, ſibique immunem periculi Dengizichei & Hunnici vitam gaudentes, proverbium inde deſumſiſſe, quod hoc eſt: *Tunc redeas, dum Chaba* (i. e. *ſtultus*; quo *Dengizi-*

chum, quod ſupra innueramus, deſignant) *de Græcia revertetur.* Quidni porrò potuiſſent *tria Siculorum millia* in Dacia noſtra remanere more dedititio; quod & decem, immo uni perſonæ permitti mirum non erat; quodque etiam Hunnorum in Daciam Ripenſem receptorum parti conceſſum erat: per *tria* verò Hunnorum *millia*, ii ſolum Siculi, procul dubio, exprimuntur, qui armipotentes cenſebantur, quique quintam gentis ſuæ partem, vt mihi quidem videtur, non excedebant; vt adeo 15000. univerſim fuiſſe potuerint. Nonne inſuper, *tria millia*, ſcriptoribus pro definito numero ſumi, vt ſæpe uſu venit, poterant; etſi Hunni tres chiliades, armatis ſuis, ſuperaverint? Ridiculum porrò aliis videtur, Hunnos noſtros, cum in Transſilvaniam delati eſſent, metu hoſtium, ne pro Hunnis agnoſcerentur, Siculos ſe appellaſſe, quaſi mutato nomini tantum momenti ineſſet, vt non ampliùs Hunni, probè eos noſcentibus viderentur. Admiſerim *Thuroczium* circa hæc, in quibusdam terminis, at non in re, aberraſſe: nonne enim Hunnis conſultum videri potuerit, ipſa quoque re, vt mox dicetur, exigente, nomen ſuum gentilitium variare? tanto ut magis Gepidarum, quibus nomen Hunnorum exoſum erat, animos ad ſe flecterent, ſicque vitam agerent metu liberiorem. Cetera, quæ ad ſalvandum *Thuroczii* ſenſum adduci poſſent, jubet brevitatis ſtudium reticere. Nec hæc ſecùs, quàm bona, Virorum præſtantiſſimorum, à quibus receſſi, veniâ, candidè protuli. Et certe, niſi *Thuroczio*, licet minùs aptè in ejus narratione quædam cohæreant, tam momentoſa in re, vt æquum eſt, aliquid defe-

ramus;

ramus, Viro ſcilicet, cujus *ſimplicitas & fides* ſingularis eſt: de maxima Hiſtoriæ ejus parte dubitandum erit. Quæ omnia, ſi in unum complectamur; aut Siculos Hunnorum Attilanorum progeniem eſſe nobis perſvadebimus, aut eorum originem inter ignota numerabimus. Siculi igitur, circa fontem Maruſii, Alutæ, *cet.* quæ hodie poſſident loca, perſeverarunt, quoad *Hunno-Avares* in has terras eruperunt; quorum fœdere & cognatione uſi quidem fuerunt, ſed retentis propriis ſedibus. Hinc fortaſſis *Lazius*, Siculos ab Avaribus (de quibus *Landulphus Sagax* pluribus agit) defluxiſſe opinatus eſt. Hungaris demùm Daciam & Pannoniam inmigrantibus, circa An. 962, ſe in gentem non modicam excretos, *magno cum gaudio* ſociarunt, eandem rursùs terram, *quam antea propriis pro ſedibus elegerant, Hungaris volentibus, ſortiti.* Id unum adhuc quærendum: Quibus ſub ducibus Hunno-Siculi, reliquorum Hunnorum conſortio valedicentes, in terrâ Siculicâ conſederint? Sunt, qui *Emedzur* & *Ultzindur*, eorum Duces volunt: at hi, cum quadam Hunnorum manu, Daciæ Ripenſis partem, ſi Jornandi fides ſit, inſederant; niſi hos ad Pannoniæ confinia, in hodiernam Siculorum terram, ſe mox transtuliſſe, contra *P. Pray*, eruditam ceteroquin opinationem, admittamus, Siculorumque parentes faciamus: quod tamen, auctoritate deſtituti, adfirmare non auſerimus. *Ranzanus* denique, quem Bongarſius *negligentem* non de nihilo dixit, confutatione non eſt dignus, cum vocabuli *Siculos* ſono magis, ac aliorum Scriptorum teſtimonio inductus, *Siculos* ex Sicilia Inſula oriun-

dos

§. 147.

dos putat. Reliqua de Siculis commenta, fabularum amatoribus relinquenda.

c. Ad etymon vocabulorum *Székely* & *Siculus*, jam in ſerie narrationis attendendum. *P. Timon, Imag. Nov. Hungariæ Cap.* X. hanc de hoc argumento adornavit ſententiam : " Joan. Hortylius, *inquit*,
„ apud Joan- Maginum putat, Siculos appella-
„ tos ex compoſito vocabulo Ungarico *Székely*,
„ in qua opinione quosdam eruditiores quoque
„ Siculos eſſe cognovi. Verba enim disjuncta
„ *Szék hely*, valent *locum Sedis* vel Judicii, ac pro-
„ inde ſignificantur iis habitatores Sedis. At hoc
„ etymon non ſatis eſt apertum ac planum,
„ quando etiam Saxones territoria ſua, Hunga-
„ ri judicia, imo & terrena quædam *Sedes* nun-
„ cupant ; neque tamen idcirco aliqui ipſorum
„ Siculi ſunt. Rectiùs fortaſſe ſenſerit, qui *Szé-*
„ *kely* antiquum vocabulum eſſe dixerit, quod
„ cuſtodem ſignificet. Usque hodie namque in
„ quibusdam Satrapiis Ungariæ, veluti in Rege-
„ cenſi, cuſtodes montium ac Silvarum *Sekelii*
„ vocantur. „ Hoc etymon, à *Timone* dete-
„ ctum, maxime probavit *Lib. Baro. PETRUS Apor.* de Al-Torja, vt patet ex prima Epiſt. *Timonis* ad *Aporium* reſponſoria, quæ ſic habet :
„ Gratum mihi accidit, cum intellexi, ſenten-
„ tiam meam de etymo vocabuli hujus, *Székely*
„ quod nimirum cuſtodem ſignificet, teſtimo-
„ nio quoque *Michaëlis Bay*, in quadam parte
„ Scythiæ ante complures annos nuncii, firma-
„ ri. „ Certum eſt, lingvâ Hungaricâ, quæ etiam Siculorum eſt, *Sedem Szék*, *Locum* verò *Hely* vocari, quæ ſi componantur, fermè *Székely*

ſo-

§. 147. XVII.

ſonant. Pari certitudine nititur, territoria quoque ſive circulos pagorum Saxonum, nec non Territoria & Judicia Siculorum *Sedes*, Hungarorum verò in Transſilvania Judicia *Sedrias*, vocata fuiſſe, ante erectionem *Continuarum Tabularum*. Sed an Hungari Comitatenſes, & Saxones noſtri, à Siculis noſtris, *Sedium* nominationem mutuati fuerint; & an Hunni Transſilvani, de Sedibus aut Judiciis *Székely*ii nominati? affirmare, at neque negare, auſim. Me tamen, ad amplectendam *Timonis* ſententiam eſſe proniorem, non diſſimulo; ita quidem, vt ſimul aperiam, vocabuli *Székely*, Cuſtodem Timoni notantis, primitivum ſive radicem *Szék*, quod Sedem & ſcamnum propriè denotat, mihi videri, certè & eſſe. Congruenter profectò Cuſtodes, certis locis & ſedibus vigilias agentes, ita adpellati. Ex *Székely*, ſucceſſu temporis, Scriptores noſtri, *Siculos* in Latium detorſêre. Perperam autem *Hornius* in Arca Noë *Skekelios* nominavit. Germanis *Székely* per Zeckel effertur (unde quidam *Ciculum* pro *Siculo* formarunt) Ortelio verò *Zaikel* dicitur. Antiqui Hungari, *Zékel* & *Zekul*, *Sz* hodiernum, veteri ſcriptione, per Z. exprimentes, Siculum, in literas referebant. Nolo mihi hoc loco cum illis ſermonem eſſe qui de *Sykej* Scyhiæ montibus *Szekelyios* nuncupatos putant aut Scythulos nominant, itemque Szeyculos. Sed notandum potiùs duco, ex *Székely*, Latinum *Sekelius*, & poſtmodùm *Siculus* formatùm, novum in Lingua Hungarica non eſſe. In *Decretis Regum Hungariæ* complures audimus voces Latinâ formâ donatas, quæ origine merè Hungaricæ ſunt, &

qua-

quarum nonnullas etiam *Treſnc* collegit. Sic, *Udvarnicalis*, h. e. Curialis vel Aulicus, ex Hung. *Udvar.*, i. e. Curia : *Mega*, h. e. Comimitatus, ex Hungarico *Megye*, idem ſonante ; inde etiam *Magalis* : *Ewrii*, ex Hung. *Örök*, vetuſto more *Ewrewk*, h. e. Cuſtodes ; quaſi *Orii* : *Jokergech*, ex Hung. *Jót kergető*, quod *Boni diſquiſitorem* ſignificat : *Priſtaldus* ex Hungar. *Pereſt óldó*, quaſi *litis diribitor*, Cet. Reſtat, vt de tempore, quo Hunni noſtri *Székely*iorum nomen adepti ſunt, paucis diſſeramus. Si ex eo *Székely* vocabulum enatum ſit, quod Siculi *limitum* fuerint *cuſtodes* ; id quod veriſimillimum ſupra conceſſimus : tum dicendum, Hunno-Siculos *Székelyios* nominatos fuiſſe circa An. Chr. 470. quo paulo vel ante vel poſt cædem Dengizitſii (per *tſ.* pro *ch*, hoc nomen ſcribere placet, quod veterum *ch* per *ts* hodie exprimimus) in Transſilvania perſtiterunt ; Gepidarum enim jugum amplexi, eorum illico fines, qui & ſui jam erant, ab externis hoſtibus, ut conjicere fas eſt, tuiti ſunt, ideoque Cuſtodes, i. e. *Szekelyii* vernaculè dicti. Eorum, circa memoratum tempus, cuſtodiam his oris concedit & *Timon* in *Addit. Ep. I.* ſed pro ſe ſe, non Gepidis, vigilaſſe eos ſuſpicatur : " Quamvis concedam à co-
„ gnatis Irnachi, in Ripenſi Dacia conſiſtentibus,
„ conſtitui potuiſſe in agro Tſchikienſi vigiles,
„ perſvadere tamen mihi non poſſum, eos, ut-
„ pote non multos, & exiguis finibus conſtri-
„ ctos inter incurſiones variarum gentium in
„ ſtatione permanere quiviſſe, niſi forte omni-
„ bus ſe ſubmiſiſſent. „ *P. Pray* p. 388. ad tempora Belæ IV. Hung. Regis, nominis *Székely*

or-

§. 148. ...

ortum rejicit. Juvet integrum hac de re ejus locum audire ; ſic vero habet: " Triennium in-
„ tegrum vaſtato nobiliſſimo regno , cum ad ſua
„ reverſi eſſent (np. Tatari, de quibus ſermo-
„ nem inſtituerat) rurſum deinceps redituri,
„ partem Cumanorum in eorum poteſtatem,
„ partem in Hungarorum arbitrium conceſſiſſe
„ noſtri inter comperta ponunt. Veriſimile eſt
„ ea occaſione bonam quoque Cumanorum partem
„ in finitimam Transſilvaniam abiiſſe, & mon-
„ tanis plagis ad Maruſii & Alutæ fontem oc-
„ cupatis, eam ditionem adversus hoſtes tuen-
„ dam ſuſcepiſſe ſeu ſpontè ſive ex eorum, ad
„ quos ſe contulerant, imperio. Atque hinc
„ evenerit, quod *Timon* detexit, vt veteribus
„ Hungaris *Sěkellii* dicerentur. „ Sed quemadmodum ex ſuperius jam dictis perſpicuum eſt, Siculos non ex Cumanis ortos fuiſſe : non diſſimiliter conſtat, eos ante Tatarorum irruptionem, titulo *Székelyiorum* ornatos; cum jam in Diplomate Andreæ II. Regis Hung. Saxonibus Transſilvanicis dato nomen *Siculorum* occurrat. Nomen proinde *Székely*, tam antiquum in Transſilvania eſſe videtur, quàm ipſa Natio Siculorum.

§. CXLVIII.

Poſſident enim Siculi noſtri in orientali & ſeptemtrionali Transſilvania terram in certos Diſtrictus ſive Circulos, quos *Sedes*, ipſi nominant; diviſam; ſunt verò eorum *Sedes*, dictæ Siculi-

culicales: 1. Sedes *Udvarhely*, cum Filiabus *Kereſztur* & *Bardotz*, quæ in univerſum Oppida 2. Pagos 126. complectuntur. (In Bardotz ſeparatim Pagi 9.) 2. Sedes *Sepſi*. 3. Sedes *Kézdi*. 4. Sedes *Orbai*; tres hæ, generali nomine, *Tres Sedes* & *Triſedes*, Hungaricè *Három-Szék*, quod unitæ & ſub uno Supremo Judice conſtitutæ ſint. 5. Sed. *Miklósvár*, à Supr. Regio Judice *Trium Sedium* in Politicis & Juridicis dependens; vt adeo *Quatuor Sedes* apprimè dici queant. Trium Sedium Oppida numerantur 4. Pagi 83. (In Sede Miklosvár Pagi 9.) 6. Sed. *Csik*, Superior & Inferior, cum Filiabus *Gyergyó* & *Káſzon*, quibus Oppida 2. Pagi 51. obtigerunt (ſeparatim in Gyergyó Opp. 1. Pagi 9. In Káſzon verò Pagi 5.) 7. Sedes Siculicalis *Marus* ſive *Maros*, cum *Marus-Vásárhely* Libera Regiaque Civitate, & Oppido 1. Pagis 126. 8. Sed. *Aranyas*, i. e. Aurata, cum Oppidis 2. & 20. Pagis.

Ager Siculorum, *Siculia*, Latinè loquentibus, nuncupatur, non autem *Szeckel*, nec inde incolæ *Szekelyii* dicti, ut putavit *Joh. Franciſci*, Saxo Coronâ-Transſilvanus, in *Memorabilibus Transſilva-*

ſilvaniæ, hanc in ſententiam ſcribens: "Vocan- ,, tur iſti Hungaricè *Szék-helyi*, Dacicè *Zeckeli*, ,, à quibusdam *Ciculi*, à campo & diſtrictu *Szec-* ,, *kel*, *cet.* Has quoque Sedes Siculorum, hos præter, Valachi complures promiſcuè incolunt, at non juribus ac prærogativis Siculorum gaudentes. Sed de his Sedibus, earumque inhabitatoribus, poſtea nobis, *Parte ſpeciali*, ſermo redibit.

§. CXLIX.

Mores [1], Veſtes [2], Lingva [3], modusque vivendi [4], Siculorum, vix aliquid ab Hungaris, cum & illi germaniſſimi ſint Hungari, differunt. Antiquitate certè ceteros Transſilvaniæ populos antecellunt; utpote, quorum Majores Attilæ commilitones fuerint. Nec quoad libertates ac immunitates, quas ex rebus bellicis ſibi comparaverant, pares ſibi in tota Dacia, ſuperioribus Seculis, habuerunt. Nunc, magna eorum pars, militari potiſſimum conditione, à reliquis Transſilvaniæ gentibus, diſtingvitur.

1. Siculi *Thuroczio* (P. I. Cap. 24.) *in moribus ſeveriores, & in diviſione agri ceteris Hungaris multum differre viſi ſunt*: at eos eſſe vel fuiſſe ſeveriores, nec audimus libentes, nec id adſerentes

§. 149.

facilè ſuſpicimus. Utut enim concedamus Siculos armigeros, quod Marti à teneris famulati fuiſſent, vt infra patebit, continuis bellorum injuriis, redditos nonnunquam debito aſperiores: doceri tamen, aut armatos ſemper, aut reliquos domi ſe continentes ac ab armis alienos aliquando, ceteris promiſcuis populis fuiſſe ſeveriores, nequaquam poſſe, exiſtimamus. Qui non in Siculia affabiles, liberales & hoſpitaliſſimos reperiet: tales ſanè incaſſum (ſicut diversoria inter Siculos; quanta ergo hoſpitalitas!) uſpiam quæſiverit. Indoles quoque Siculorum præcipua, ingenium acerrimum. In diviſione agrorum, quid abs Hungaris differant, vix video: at in eorum jure diſcrepant non parùm.

2. Veſtitus Siculorum ordinarius, (de militari enim nunc mihi ſermo non eſt) prorſus Hungaricus eſt. Cingulum, quo ex loro facto, Hungari ignobiles (certè olim & Nobiles Magnatesque) & Siculi ad militiam non adplicati ſe vinciunt, cuique ad lævum latus vaginam cultro ac furcilla inſtructam inſerunt, jam Siculi militiæ addicti, nec tamen omnes, reſolverunt. Focalia, quibus veteres Siculi Hungarique abſtinebant, induſiis more germanico conſutis in collo adligant. Sexus ſequior, ab erecta militia, quàm antea, veſtitior. *Conf.* §. 146. *n.* 2.

3. Non deſunt, qui Lingvam Siculorum, quamvis eam cum Hungaris communem, incultam putent, ſicque ſuam hoc in argumento ignorantiam prodant. Unum pro omnibus memoro *Timonem* hæc proferentem: " Niſi tamen paga-

„ ni

Ʒ.149. ʒʒi.6

„ ni (np. Siculi) ſermonem expoliant, riſum „ movent audientibus. „ Non equidem negaverim, nonnullos, at paucos dari pagos, eosque obſcuros, & ſilvarum quaſi umbris in finitimis obtectos, quorum ſermoni ac pronunciationi nitor deſit, licet & iis lingva ipſa incorrupta maneat, quod nec *Timon* inficiatur: ſed maxima Siculorum pars lingvæ Hungaricæ laude digniſſima eſt. Si qui ore diducto loquantur, ſyllabasque vocum extremas, aut finales potiùs commatum, communem præter morem producant: anne igitur totius ſermo Nationis deludendus? Sunt & quibus vocabula quædam Siculica diſpliceant, aut ſaltem mira videantur. En quædam, *Calendario Jaurinenſi Titulari & Politico An.* 1747. adnexa.

VOCAB. SICUL.	HUNGARICA.	LATINE.
Taporján féreg.	Medve.	Urſus.
Livu.	Töltſér.	Infundibulum doliarium.
Tege.	Tegnap.	Heri.
Laposka.	Téſzta patzal.	Placenta ductilis.
Ünö.	Tehén.	Vacca.
Kártya.	Kanna.	Culigna.
Üſt.	Vas fazék.	Caldarium.
Oſztovát.	Szövö ſzék.	Textoria tabula, *ſive* Textrinum.
Rokolya.	Váſzon ſzoknya.	Stola è telâ.
Laska.	Metélt.	Laganum.
Guſaly.	Rokkának ſzára.	Colus.
Koſolya.	Koſár.	Corbis.
Hoppa.	Lakadalom.	Nuptiæ.

8.149

VOCAB. SICUL.	HUNGARICA.	LATINE.
Zeke, *Tzondra.*	Szür.	Gauſape.
Murok.	Sárga répa.	Carota.
Gúnya.	Ruha.	Veſtis.
Koloſma.	Ümög *vel* Ing.	Induſium.
Vatzkor.	Vad körtvély.	Pyrum ſilveſtre.

Horum quidem nonnulla, v. l. *Taporján féreg* (hoc tamen jocaliter quibusdam finitimis tribuitur, quod fortaſſe antiquitús apud eos valuerit) *Hoppa*, *Koſólya*, *Koloſma* Siculis ignota ſunt, niſi ſpeciatim pagi alicujus incolis uſitata concedamus. Rariſſime *Tege*, ſed pro eo *Tegnáp*, auditur. *Ünö* & *Tehén*, ſic & *Vatzkor* atque *Vad Körtvély* alternatim uſurpantur. *Livu* ſive *Liu* Hungarorum Comitatenſium vocabulum eſt. *Guſaly* verum Hungaricum, at *Rokka* Italicum eſt. Fateor interea nonullas in Siculia reperiri voces, quas alibi non audias; immo hac Sede unam alteramque, quæ aliis Sedibus ignoti ſonus ſunt. Sed an hoc in vitio ponendum? Nonne hoc communis populorum error eſt, ſi tamen error dicendus? Eadem certe gens, pro variis incolatûs locis & plagis, peculiaria nonnulla vocabula frequentat. Hoc nec Germani, nec Galli negabunt. Propterea tamen honos Lingvæ manebit. Hungari ii ſunt, qui Siculorum Lingvam taxant; ſed meminerint, amabò, quantas in diverſis Hungariæ Comitatibus voces reperiant, ſalva tamen manente Lingvæ hungaricæ indole, quas vix vicinus pagus intelligat. Hoc cumprimis in pagis Poloniæ & Sclavoniæ proximantibus certiſſimum eſt. Talia ſunt: *Putok* (Cervical) pro *Párna*:

Kóráſzó

Kóráſzó féreg (Lupus) *pro Farkas*, quod cum *Taporján féreg* congruit : *Paprika* (Pſeudo-capſicum) pro *Török bors* : *Kandalló* (Orbita) pro *Kerék vágás* ; *Kandalló* tamen alium quoque ſignificatum habet. *Pete* (Ovum) pro *Tojás* ſive *Tojomány*, ſeu *Tikmony* ; quod apud Nagy- & Fel-sö-Bányenſes obtinet : *Szilke* & *Porſoló* ſive *Röſtölö* (Sartago fictilis, ex germanico Röſten ſive Röſt-Pfanne) pro *Lábas* Siculorum : *Tsóré* (Juſculum ex Caſeo cocto ſive ſecundario, quod aliis Tyroſis dicitur) pro *Ordás leves* ; *Tsóré* auautem Siculis *nudum* notat : *Ereſzkedö* (Deſcenſus) pro *Lejtö* : *Rög* Hungariæ, ſive *Göröngy* Transſilvaniæ (Grumus) pro *Gaj* Siculorum : *Bunda* (puteus) pro *Kut* ; quod ridiculum eſt, Transſilvanis ſiquidem & reliquis Hungariæ incolis, *Bunda* ſignificet Veſtem hiemalem pelle ſubductam ; quam Puteum per *Bunda* exprimentes, ridiculè itidem *Ször hintó* (quaſi dicas *Carpentum ex pilo*) nominant) ſed hoc Sclavorum tantùm vicini : *Rikkants* (Paſtor) pro *Páſztor* ; rectius forſan, quàm *Paſztor*, quod ex Latino formatum, à *rikóltok*, i. e. intensè clamo, qualiter ſcil. paſtores ſolent : *Lótza* (ſcamnum) pro *Pad* : *Pad* verò (Tectum) pro *Hiju. cet.* Nonne porrò apud quosdam Hungariæ *Oma*, *ſziva*, *cet.* pro *Alma*, *Szilva* enunciatur ? Nonne alii Sclavonizantes *Adi*, *hozi*, *üti cet.* ex *Adok*, *hozok*, *ütök*, abrodunt ? ſed is error nec totius gentis eſt, nec adeoque tantus, vt Lingvæ hungaricæ eſſentiam turbet. Complura inter Siculos audiuntur vocabula ſignificantiſſima ; vnum pro ſpecimine, nec illud tamen omnium, conſigno, np. *Kegyelet* (Iris) pro *Szivárvány*, ex *Kegyelem*, quod

S. jug. ... b.

Gratiam ſignificat. Quæ dum conſidero, reor ſanè, *Michaëlem Libêtz de Wilman*, occaſione editionis Chronici Stephani Székely (§.271. n. 23.) Cracoviæ 1558. non inficetè, cetera inter, cecinisse:

At ſi conſpiciat Librum nova forte ſonare
Nomina, Pannoniis vix celebrata viris.
Protinus hic repetat Siculos ab origine priſca,
Quos penes eſt Patrii regula vera ſoni.

4. Modus ſive media vivendi ſunt: *Agricultura*; nam vineæ extra Sedes *Aranyas*, *Maros* & nonnullos Sedis Udvarhely pagos non coluntur; *Pecuaria*; *Textura* ſeu Lintearum confectio, quà Sedium cumprimis Sepſi, Kèzdi, Orbai, Bardotz, omniumque maximè Miklósvár, incolæ, vitæ ſubſidia quærunt; *Vectura* ſive *Aurigatio*: transportant namque vina, & Salia ex Fodina Parajdenſi; datum enim eſt Siculis & Saxonibus horum viciniam tenentibus, vt dum Comitatuum, ſedisque Aranyas incolæ, penes ſolutionem ordinariæ taxæ, ſal devehere ad emporia ſalis Regia, ex reliquis Fodinis debeant; hi liberè, ſal Parajdenſe, Oppidatim vicatimque in Siculia, & quibusdam Locis Saxonicis, v. l. Schæsburgi, Mediæ, *cet.* eo cum emolumento divendant, vt cum centenarius illis, 50. crucigeris venerit, remotioribus in locis. 100. circiter crucigeris venundent. Sunt & alia media, quibus vitam ſuſtentent, obvenientemque ſibi Contributionem levent. Mercatores & Opifices in pagis pauciores; in Civitate & Oppidis Quæſtus ac Mercatus exercentur.

5. Li-

§. 150.

5. Libertatem Siculorum, *Novæ Daciæ* auctor *pag.* 5. his non ſine ſarcaſmo, innuit: " Siculi - -
" de ſua libertate ampliùs gloriantur, quàm ea
" fruantur; paucis enim ab hinc annis, nemo
" inter Siculos ignobilis audiit, quamvis aratro
" novaret ſolum, aut ſub patula fago, caprini
" ageret Tityrum gregis.

§. CL.

Libertates ac Immunitates Siculorum, utpote è tribus Transſilvaniæ Nationibus antiquiſſimorum, tales tantæque olim erant, vt de Lege, omnes *Nobiles Privilegiati* 1. cenſerentur, adeoque Contributionis 2. Oneris quartiriorum 3, Decimarum, amiſſionis Bonorum 4, captivationis 5, ſimiliumque onerum, immunes 6. eſſent, inque *Primorum*, *Primipilorum* & *Plebeorum* (qui poſtmodum *Pixidarii* dicti ſunt) Ordines 7. ſive Genera diviſi, nonniſi Armis 8 & Signaturâ Boum 9. Regibus Hungariæ, ſervitium præſtarent: at poſt Principatûs Transſilvaniæ ab Hungaria ſeparationem, pleriſque ſuis Prærogativis ac Immunitatibus, ſenſim per patrios Principes (§. CII. ſeq.) exuti, jam denuò Clementiſſimis DOMUS AUSTRIACÆ auſpiciis erigi cœperunt 10.

§.150.m.A.

1. Nobilitatem Siculorum indubitatam, teſtis omni exceptione major, Codex Legum Hungaricarum, *Decreti Tripartiti Part. III. Tit. IV.* his verbis declarat: " Sunt præterea Transſylvanis in „ partibus *Sithuli Nobiles privilegiati*, ab Scythico „ populo in primo eorum ingreſſu in Pannoniam propagati, quos nos corrupto quodam „ vocabulo *Siculos* appellamus, *cet.* „ Hanc verò Nobilitatem, non à Regibus, inſtar Hungarorum, acceperint; ſed quia & Regibus & Regno Hungariæ erant antiquiores, terramque ſuam jure Belli occupaverant, Nobiles univerſim, & ſinguli æqualiter immunes olim fuerint. Hinc *Nobilitatio*, ſeu per *Donationem*, ſeu per *Armales*, ante tempora *Joannis II.* locum inter Siculos vix habuit unquam; nec erat, cur Nobiles nobilitari ampliùs cupiverint. Nam *Jus Regium* (quo mediante Imperans in Bonis Magnatum & Nobilium ſemine deficientium, & Notam infidelitatis incurrentium legitimus eſt ſucceſſor) in Terra Siculica, *nec* per SEMINIS DEFECTUM unquam emerſit, vt locupletiſſimus teſtis eſt *Articulus Diætalis* An. 1597. 17. Apr *Albæ Juliæ* conditus, ſententiaque ibidem de Succeſſione Siculorum & Præfectione filiali lata; juxta quam, Hæreditates Siculicæ, per defectum Seminis Maſculini nunquam in Fiſcum Regium, ſed ad ſexum femineum transferri deberent; & antiqua *Conſvetudo*, vi cujus, ſi quis Siculorum filio (quem hæreditas Siculica concernebat; filiam ſola honeſta emaritatione concernente) deſtituebatur, tum filia inſtar filii erat; absque autem hæredum utriusque ſexûs ſolatio decedentium Bona cognatos, nec iis exſiſtentibus, vicinos concernebant.

nebant. *Nec* per NOTAM INFIDELITATIS, ad mentem *Decret. Trip. Part. III. Tit. IV.* juxtaque *Legum Conſvetudinariorum* Siculicæ Nationis. *Punctum* 14, quo *Hæreditas Siculi nec in caſu Notæ nec in caſibus aliis amittendæ* declaratur. Idem teſtantur *Articuli* An. 1557. Feſto Dorotheæ, 1562. 20. Jun. Schæsburgi, lati, quibus omnium ferè primùm ſtatuitur, *vt etiam Siculi Bona in caſibus Notæ infidelitatis amittant.* Quæ Lex etiam An. 1571. Feſto B. Elizabethæ in Comitiis Claudiopolitanis confirmata legitur. Ante tempora proinde *Joannis II.* Jure Regio inter Siculos non vigente, vix unquam Siculus ex Donatione nobilitari, & inter membra Coronæ referri potuit. Rarus conſequenter antea Siculus *Armaliſta* erat; *tum* quia ubicunque Status Siculorum in Articulis vel Conſtitutionibus recenſetur, nuſpiam ante An. 1571. *Nobilitatis*, qua diſtincti Statûs mentio fit; ſed memorantur ſemper tria Genera Siculorum: *Primores*, *Primipili* & *Plebei* liberi, vt patet e Conſtitutione Anni 1555. & Articulis annorum 1559. ac 1562; *tum* quod rariſſimè *Armales* hodie obſervantur, quas Regum quiſpiam Siculo contuliſſet; & quod *Verbötzius Decr. Trip. l. c.* absque diſtinctione, ſingulos & univerſim *Nobiles privilegiatos* appellat. Ergo Siculorum Nobilitas antiquiſſima, utpote Seculo Chr. V^to in Transſilvania nata. Mirare proinde, oportet, Homagium Siculi, quàm reliquorum Nobilium, minus eſſe. §. 171.

vid p. 583. 586.

2. Siculos, ante An. 1527, quo Transſilvaniam *Joh. Zapolya* ab Hungaria abſtraxit, nunquam pecuniariæ Contributionis ſolutionem præſtitiſſe,

extra dubitationem positum est. Qualiter verò ab An. 1527, ad An. 1545. intuitu Tributi se habuerint, ob defectum Articulorum ejus temporis, non constat. At *dum sub Regina Isabella, novo regimini fundamenta jacerentur, signanter annis* 1542. *&* 1545. *tres Nationes Principatûs spontanea & publica voluntate, in hujusmodi perpetuæ Unionis & Conventionis Systema coaluerunt, vt pro defensione patriæ, Tributi & Militiæ onera æqualiter omnes perferrent.* §. 139. *n. b. Onus tamen istud Contributionis, Siculis tertii Ordinis solùm, i. e. PLEBEIS, usque ad An.* 1599. *inhæsit. PRIMORES & PRIMIPILI, ad instar Nobilium Comitatensium sive Hungarorum immunes Tributi habiti sunt, demtis expensis Comitiorum, quas Primipili præstare debuerant.* Siculi quoque Plebei, Anno 1559. immunitatem tributi flagitabant, varias ad Comitia Generalia querelas d. 12. Jun. deferentes, & *in priscis suis Libertatibus conservari supplicantes: Siculi enim, relictis Articulis Tordensibus, super impositione Taxæ* 12000. *Florenorum, quam solita consvetudine præstabant, Primores eorum, Inquilinos proprios sublevarunt, & promiscuam Plebem Contributione integra Flor. 1. Den.* 50. *faciente, viritim onerarunt.* Vid. *Art.* Certæ igitur Leges tum conditæ; quibus malè contenta Plebs Siculorum, utpotè Tributo & Decimis obnoxia, exitiosissimum concitavit tumultum, vt §. 105. *n. f.* retulimus. Quem, vt duæ Nationes aliæ, cum Principe, componere possent, ad d. 20. Jun. An. 1562. Diæta in Civitatem *Segesvár* indicitur; & quia, partim fiduciâ non amissionis Bonorum per Notam, partim propter oppressionem, per Primores & Primipilos Plebi illa-

tam,

§. 150.

tam, rebelliones evenisse constaret, Constitutiones nonnullæ conditæ sunt, quarum præsentem in materiam facientes, has referimus: 1. *Per Notam infidelitatis Siculi etiam Bona amittant.*, 2. *Primores & Primipili à Decimis sint semper immunes; & omnia Bona, Hominesque suos in Bonis legitimè possessis, eo jure, vt Nobiles Comitatuum Jobbagiones, possideant. Plebs verò, ut antea, una cum Terrigenis* (*Földön lakok* vernacule dicebantur) *Primorum & Primipilorum, Contributionem præstet.* 3. *Plebs libera Dominio Principis subjaceat; Primores & Primipili, sub pœna homagii, ab injuriis ejus abstineant: quos, si quem è Plebe læserint, ad informationem Judicis Regii, Director in Tabulam evocabit.* 4. F*odinæ Salis*, *quæ antea inter Siculos* (nec in Comitatibus ante An. 1575. Approb. Const. P. III. Tit. XV.) *nunquam ad Cameram pertinebant, pro necessitatibus Principis, eidem adplicantur: at Primoribus Siculorum, velut Comitatuum Nobilibus, sal gratis dari debeat.* Horum occasione Comitiorum, magna Siculorum Plebeorum pars, in Jobbagionatum Primoribus collata fuit: reliqui manserunt Plebei liberi; sed tam hi, quàm ad Jobbagionatum redacti, æqualem cum Primorum & Primipilorum Terrigenis sive Jobbagionibus, Contributionem, ad An. 1599. usque præstitêre. An. 1595. equidem, suam Plebei libertatem recuperare nitebantur; sed quàm feliciter, §. 109. *n. 6.* commonstravimus. Fortunâ benignâ, sed vitrea erat, dexteriùs uti videbantur An. 1599. 20. Nov. dum *Michaël Wajvoda* Siculis Martem ejus adjuvantibus, in Comitiis Albæ Juliæ habitis, priscam planè libertatem, vt promiserat, (§. 111. *n. b.*) restituit, eaque restitu-

ſtitutio, *articulariter* eo modo confirmatur, vt præter *Taxam Boum* (quæ *ſignatura Boum* dicebatur) Regum temporibus uſu valentem, nihil penitùs in publicum contribuant: *Jobbagiones tamen avitici, qui etiam ante primam Siculorum rebellionem in illo ſtatu erant; nec non, quos Domini Terreſtres, ex Valachis, Saxonibus & incolis Comitatuum ad terram Siculorum transpoſuiſſent, libertate non gaudeant, ſed Poſſeſſoribus conſerventur.* Hanc eorundem libertatem *Art.* An. 1600. 7. Mart. in hanc ferè ſententiam exprimit: *Michaël - - - Siculis in HÁROM-SZÉK exiſtentibus Plebeis, antea ſub Joanne ad Jobbagionatum redeuntibus Libertates illas, quibus eos Matthias Rex ornaverat, reſtituit: Fundos tamen per Nobiles, à Plebe, ſeu perenaliter, ſeu in pignore emtos, apud Nobiles relinquit, cum libertate migrandi ex iis, ſi Plebs vellet.* Non diu hæc Lex valuit. Anno namque 1600. poſt profligatum *Michaëlem*, (*§.* 111. *n. c.*) rursùs Siculi *ad æqualem cum ceteris Nationibus Contributionem adiguntur; arma ipſis adimenda decernuntur, & ne præter Hungaros ac Saxones aliis arma portare liceat, ſtatuitur;* teſte Artic. ejus Anni d. 25. Oct. in Comitiis Generalibus *Letzfalvæ* celebratis conditi. Sed An. 1602. 10. Dec. ſub *Georgio Baſta*, (*§.* 110. *n. b. d.*) *Siculi iterum Contributione immunitantur, ſimulque ſtatuitur, vt Jobbagiones ſolùm Avitici, qui ſe ſe aut ſponte obligarunt, aut emti ſunt, per Nobilitatem poſſideri queant.* Ab hoc tempore, vel Plebei Siculi, præter Oppidanos, nihil Tributi Turcæ, Principi & Præſidio ſolverunt; immò, ne Primorum quidem & Primipilorum Jobbagiones, uſque ad An. 1650. ſed ad Expenſas duntaxat extraordina-

dinarias Provinciæ, *quinque*, aut si amplius, *sex* annis, nonnihil contulerunt. Hi autem fuêre anni 1.) An. 1603. ult. Febr. quo *Nobilibus* Siculorum *unius Fundi Denar.* 32, Primipilis *Den.* 10. Plebeis *Den.* 5. imponebantur. 2.) Anno 1607. 21. Septembris, tam *Nobiles unius Fundi*, quàm *Primipili* & *Plebei* viritim *Den.* 6. soluturi declarantur. 3.) An. 1610. 25. Mart. definitur, vt Siculi, pro *Gabriele Bethlen* tertiam 1000. Florenorum partem; & eodem anno 29. Septemb. in Expensas Legationum Flor. 1000. præstent. 4.) An. 1616. 17. Apr. ad ædificationem *Domûs Constantinopolitanæ* (quàm *Solimanus* Turc. Imperator, situ loci commendabilem, pro Residentia Oratorum Transsilvanicorum, cum specialibus privilegiis, singulari Diplomate donaverat, teste *W. Bethl. Hist. p.* 260.) *Flor.* 1333. *Den.* 33. Vid. *Art.* 17. Apr. 5.) An. 1626. 24. Maji, Donarium Principissæ Bethlenianæ Flor. 2000. 6.) An. 1621. aliquid Siculos contribuisse, *Articulus Originalis* non memorat. Dixi, hoc intervallo, nec Jobbagiones Siculicales quidquam contribuisse: *miles enim Siculus è Nobilibus Nationis suæ Possessionatis, ut plurimùm Officiales, signanter Capitaneos, Ductores, Vexiliferos, olim habuit, quos stipendio potitos nuspiam in Articulis memoratur; sed quoniam eorum Jobbagiones pari cum Militaribus Contributionis immunitate gaudebant, hoc solùm beneficio videntur salaria compensata fuisse.* Dixi simul Siculos Oppidanos, tanquam non armatos, Contributioni fuisse obnoxios; docet Lex An, 1559. 12. Jun. lata, Pnncto 4to de Siculis, sic sonans: *Oppida, quoniam Contributionem Excelsæ Portæ præstant, alio onere premi non debent;*

sed

3.150. xx A.

sed in ista libertate conserventur. Hinc, vel Miles, Fundum Civilem sive Oppidanum possidens, de eo Contribuere obligabatur, vt habet *Art.* 9. An. 1678. 1. Oct. *Siculi Ordinis Militaris in S Sz. György, qui Fundum Civilem tenent, vecturas postales non præstent; sed ita Contributionem cum Oppido publicam.* Oppida hæc *Ottomanicæ Portæ* solvebant; quod de quibusdam expressè habetur, *Art.* An. 1595. 16. Apr. Albæ condito, vbi notatur, *quod Oppida Siculorum, UDVARHELY, KERESZTUR, CSIK-SZEREDA, TUSNÁD, MARUS-SZEREDA, antea solùm Turcæ contribuissent; sed jam Principi SIG. BATHORI, qui Ottomanicum jugum excusserat, pro sustentatione Præsidii, una cum tota Sede Kászon, contribuere debeant. Tusnád* quidem vix Oppidi jus habuerit; hodie certè pagus est: at, præter memorata, fuêre Oppida inter Siculos Taxalia dicta, (§. 139. *n. e. d.*) Marus-Vásárhely, Kézdi-Vásárhely, Sepsi-Szent-György, Beretzk, Ilyefalva, quorum nunc hoc, nunc illud excludebatur, & mox denuò adnumerabatur. Quo adfectu, Hungarica ac Saxonica Natio, hanc, quam prolixiùs exposuimus, Siculorum Immunitatem tulerit, *Art.* An. 1608. 3. Mart. Claudiopoli pronunciatus, hunc ferè in modum tradit: *Siculi Plebei in Congregatione Nationis suæ Festo S. Georgii, in Udvarhely celebranda, requirantur per Principem, ne contra puncta Unionis Nationum se se à publicis oneribus subducant, sed ceterorum Regnicolarum sortem commiserando concurrant.* Hanc omnino Immunitatem, etiam *Approb. Const. P. III. T. LXXVI. A. II.* confirmatam legimus. Sed dum A. 1658. onus Tributi publici in alterum tantum auctum fuisset,

ſet, ſenſimque annis ſecutis augeretur; Siculi quoque ſubinde, intuitu oneris illius, quod, ſupra ordinarium Tributum impoſitum eſt, (& ex eo *extraordinarium* appellari cœpit) ad æqualem penè, cum duabus aliis Nationibus, Contributionem, Articulariter compulſi ſunt, vtque hanc proportionem abinde obſervent, Lege perpetua ſtatutum eſt, vt edocent tam alii Articuli, Annuales ab An. 1658. ad 1691. emanati, quàm ſignanter *Compil. Conſt. P. 5. Ed.* 44. & 45. vbi è Tributo 15. Thalerorum juxta Portas, præter eorum Taxaliſtas, Siculorum Thal. 5000. contribuere, hæcque proportio & norma contribuendi demùm quoque, obſervanda eſſe ſtatuitur. *Conf. Art. An.* 1669. Juxta eam igitur normam, increſcente Tributo, etiam Quotta Siculorum magis magisque aucta eſt, teſtantibus locupletiſſimè *Articulis*. Anno equidem 1691. 4. Dec. ſollemne Diploma Leopoldinum expeditum eſt cujus Puncto 14to, Immunitas Siculorum reſtituitur in hæc verba: " Siculi genus, hominum belliçoſiſſimum, ab omni Tributo, „ Hybernorum aut Æſtivorum moleſtia, à Decimis & Præſtationibus, ratione Bonorum, „ quæ cum onere inſurgendi poſſident, velut „ hactenùs, ita in poſterum ſint penitùs exemti. E contra, pro tuenda Patria, propriis im- „ penſis militare, obſtricti permaneant; non tamen „ ſubintellectis Ruſticis vel Jobbagionibus Siculis. „ At dum ad ejus tenorem An. 1692. 25. Septemb. Tributum in Flor. 400000. imponitur; Siculi 22000. in ſe ultrò adſumunt, Naturalibus deducendum. Anno 1693. 19. Dec. Siculi inhærent quidem Diplomati; ſortis tamen

alia-

aliarum Nationum miſerti, offerunt cum Taxaliſtis ſuis Rh. Fl. 35000. Sic, ad An. 1705. uſque, quo *Fr. Rákóczi* Rempublicam turbavit, cenſum non levem præſtitêre; quamvis non ſine proteſtatione. Anno demùm 1711. dum omnis Militia Transſilvanica, Rakoczio adhærens, adeoque & Siculi, exauctorarentur; Siculi iidem ad Oeconomiam ultrò regreſſi ſunt: non tamen æquale Contributionis onus ultrò ſtatim, ſed ſucceſſivè, poſt An. 1714. adſumſerunt. Jam coronidis loco notandum, Siculos de Bonis ſuis in Comitatibus habitis, temporibus quoque immunitatum aliàs, Tributo obnoxios fuiſſe.

3. Quum nullum antiquitùs militis extranei inter Siculos hoſpitium fuerit; hinc An. 1555. *Stephano Dobó* & *Fr. Kendi*, Wajvodis Transſilvaniæ & Siculorum Comitibus, in Comitiis Nationalibus *Udvarhelyini* celebratis, ſupplicatum eſt, vt militem Ferdinandi amoveant, eoſque in priſcis juribus conſervent. Vecturæ par ratio fuit.

4. Qui inter Siculos decumani ex terint; & quo modo, per *Notam infidelitatis* Bona Siculorum amittenda decreta fuerint, ex dictis ſatis conſtat.

5. Quis Siculorum, & quando, capi detinerique quiverit, *Lex Conſvetudinaria* (*n.* 6.) Inclitæ Nationis, docet *Puncto* 18vo, hoc ſenſu: *Natus Siculus, in Tabula Wajvodali, extra caſum ſententiæ mortem inferentis, non detineatur; at homicida, contra gratiam Wajvodæ & etiam Regis, jure convictus, moriatur.* Et Punc. 36: *Siculus, niſi ſuper ſangvine, aut pecore furtivo, deprehenſus,*

citra

§. 150.

vitra convictionem capi non potest; sed & convictus tunc solùm, si nec substantiam, nec hæreditatem habuerit.

6. Nullum est dubium, de antiquis Siculorum Immunitatibus. At quia illi, vt pluribus locis insinuavimus, & Regibus & Regno Hungariæ erant antiquiores, sedesque suas armis obtinuerant, nulla in scriptis Privilegia conservabant, nec ea, præter ensem, necesse putabant habuisse. Cum igitur An. 1555. sua jura demonstrare cogerentur; Libertates suas Consvetudinarias, circa Officia, Processus causarum, gubernationem Bonorum, *cet.* observatas, in simplicem Scripturam referunt, & 28. Aprilis, 1555. *Wajvodis, Stephano Dobó & Francisco Kendi* (§. 99. *n.* 24.) in Comitiis Nationalibus Székely-Udvarhelyini habitis exhibent. Hæ hodiedùm *Leges Consuetudinariæ* nuncupantur, & Linguâ vernaculâ, qua scriptæ erant, in Tabulario primariæ Sedis Siculicalis Udvarhely adservantur.

7. Omnes in universum Siculos, æquali, quoad essentiam, nobilitate, gavisos olim fuisse, negabit fortè nemo: nec miretur tamen, distinctos eos in tres Ordines sive tria Genera, atque nuncupatos; *Primores*, (Fö Népek,) *Primipilos* (Lófüek sive Lófejek,) & *Plebeos* (Köznépek.) Nisi enim Ordine, & accidentali saltem conditione Cives distingvantur: inter omnimode æquales Civitas laborabit.

a.) PRIMORES, qui nusquam antea, sed An. 1571. *Fö Nemesek*, quasi dicas *Primarios*

Nobiles, vocari cœperunt; ceteris fuêre hæreditatibus & opibus valentiores. Ex iis potiſſimùm *Militares* & *Provinciales* Officiales delecti. MILITARES: 1.) *Generalis* Siculorum, quem tamen hi non ſemper planè, proprium habuêre, ſed totius Provinciæ Generalibus Miles Siculus, in Luſtratione annua, & Expeditionibus bellicis quandoque parebat, vt docent, tam Diſciplina Militaris Anni 1616, quam patrii Annales, juxta quos, à tempore Pauli Béldi, qui An. 1679. 27. Maji. *Art.* 11. proſcriptus eſt, nunquam Siculis proprius Generalis erat. 2.) *Capitanei* (*Hádnagyok*, quo nomine nunc Locumtenentes compellamus) ex arbitrio Principis creati. An. 1660. 20. Oct. *Art.* 3. decretum eſt, *vt Capitanei Siculorum etiam ex aliis receptis Nationibus creari poſſint.* 3.) *Ductores*, *Vexilliferi*, cet. PROVINCIALES: 1.) *Judices Regii* (Király-Birák) in qualibet Sede † ambo: (ſicut in Comitatibus Hungarorum bini olim Supremi Comites) hos Sedis Incolæ eligebant, communique conſenſu mutare quotannis poterant. Absque horum, aut ſaltem unius, præſentiâ, Sedriæ Judiciariæ, quas in quavis Sede Primaria (*Fő Szék*) Judices Regii & Sedis, cum Adſeſſoribus, qualibet Quindena ſemel celebrare obſtricti erant, nullam vim obtinebant; *Artic.* Priſca *Lex Conſvetudinaria* (*n.* 6.) jubebat: *Judices Regii, in loco, ubi Sedes* (ſive Sedriæ) *celebrantur, continui, pro teſtimonio ſolùm, Judicibus adſint, ab iis exſpectent; intra annum ter à Judicibus rationem exigant*, cet. At Judicii moderatio his poſtea commiſſa eſt. Hi tandem *Supremi Judicis Regii* nomen induerunt, intuitu *Vice Judicum Regiorum*, qui An. 1594.

2. Feb.

† antiquiſſimis temporibus.

2. Febr. in Comitiis Albensibus, primùm memorantur, & loco *Sedis Judicum* considerari mihi videntur. 2.) *Judices Sedis* (Szék-Birák) pariter bini: hi, jam exoleti nominis officiales, Sedem olim Judiciariam moderabantur. *Adsessores* sive Jurati Sedium 12. ex Primoribus æquè ac Primipilis fiebant, & *Szék ülök* cluebant. Coram *Provincialibus Judicibus*, præter causas militares, Lites serebantur, & ordinario Sedis judicio Miles Siculus subjacebat, innuentibus passim Articulis: hinc Adpellatio, olim ad Sedriam Wajvodalem (§. 100. *n.* 3.) post ad Tabulam Regiam fieri poterat. Fuit etiam, quo *Mixtum* inter Siculos *Judicium* obtinuerit, vt habet Art. An. 1607. 8. Febr. Claudiopoli, in hunc sensum, exaratus: *Siculi, non coram Judicio Militari, sed coram Capitaneo & Judice simul Juri stent.* Sed Primores, cum quibus nobis res est, adloquamur. Eorum servitium prorsus fuit militare, non Regum solùm, sed & Principum tempore. Haud obscurè traditur Articulo anni 1559. 12. Jun. *Albæ* condito, qui hunc in modum sonat: *Primores universi, una cum Primipilis, illis v. l. qui juxta veras radices, ex Avis Atavisque Primipilis descenderunt, & quorum Majores, tempore Divi Matthiæ & aliorum Regum probè militarunt, nec in posterum dicentur; imò in antiquis libertatibus illæsi Militiæ & Belligerationibus serventur, quos Principes certis temporibus perlustrari facient, & illorum militares apparatus pernoscent. Decimas tamen Primipili, quas olim & Primores Siculi ab iis exigebant, NB. Principibus præstent.* Sed Decimæ hæ, paucis annis, præcipuis ex rationibus, nobilitatis eatenus prærogativâ reservatâ, præstitæ, An. 1562

3. 150.

20. Jun. (*Vid. n. 2.*) prorſus abolitæ ſunt; ſimulque ſtatutum: *Primipilus quisque equo uno ſit inſtructus; Primores à proportione facultatum, tribus quatuor aut quinque equis inſurgant. Hi à ſingulis equis annuatim Flor. 8. & portionem oralem menſe quovis in Flor. 2, à Principe ſtipendium accipient. Primipili menſe primo ſumtu ſuo militabunt, per ſequentes ſtipendio unius floreni juvabuntur.* Hodierni in Siculia, *Nobiles Poſſeſſionati* dicti, militiæ minus addicti, partem maximam Primorum ſunt Poſteri; reliqui Armalibus poſtea impetratis (quæ tamen & Primorum progenies poſſidere debet) immunitatem obtinuêre.

b.) PRIMIPILI fuêre *Milites*, ordinariè quidem, *Equeſtres* (Art. Anni 1559. 12. Jun.); unde vernaculâ lingvâ, Siculus Primipilus, *Lo fö Székely*, (*Ló* enim equum, *fö* caput ſignificat) quod capitatim, hoc eſt viritim, equo quisque uno, Primipilorum, inſtructus caſtra ſequi debuerit, nuncupatus eſt. Immunes Contributionum eos fuiſſe jam indicavimus. Ad Expenſas tamen ſive Collectam Comitiorum, cenſus ſubſidiarios, An. 1580. 9. Nov. ad petitionem Primorum, ipſis fuiſſe impoſitos, *Articulo* docemur. Dum igitur, ab his & nonnullis, communibus cum Plebe, immò & Nobilitate unius fundi inter Siculos, oneribus, An. 1612. 15. Maji, liberare ſe ſe vellent, & nova quidem penes Privilegia; oneri denuò ſubjiciuntur, & Privilegia caſſantur. Immunes quoque Judicatûs Pagenſis, & deportationis cuſtodiæque captivorum oneris erant. Sed poſtquam, per aggregationem Plebeorum, majorem in modum multiplicarentur;

non

§. 150. [illegible]

non ratione tantum Contributionis ad Comitia, abalienationis Fundorum, emigrationis prohibitæ, Contributionis pro Turca, Judicatûs pagani, custodiæ captivorum, Pixidariis æquati sunt; (Vid. Artic. Anni 1612. 15. Maji. *Approb.* Part. 3. Tit. 76. Art. 3. & 18. An. 1656. 20. Febr. Art. 17. An. 1662. 20.Oct. Art. 11. A.1665. 1. Maji, Art. 18. *Compil.* Part. 3. T. 4. A. 3. & T. 8. A. 11.) verùm etiam ad Pedestrem Militiam, eorum saltem nonnulli, obligati, vt patet ex Art. 24to, anni 1670. 1. Dec. ubi statuitur: *Nobiles attenuati inter Pedites Primipilos militent.* An. 1643. 24. Apr. Art. 10. vt, juxta usum antiquum, Milites Siculi, Pascua equorum (*Ló-kötö-hely* dicta) Pago quovis separatim habeant, statutum fuerat.

c.) PLEBEI liberi quorum non paucis in superioribus meminimus, & tempore Regum, & à recuperata libertate sua (*n.* 2.) *Milites* fuere *Pedestris Ordinis*; *Pixidarii*, (Pyxidarii) & Lingvâ hungaricâ *Darabant*, ex Germanico Trabant, dicti, & ob habitum uniformem, in *Rubros* atque *Virides* (*Veres* és *Zöld*) distincti. *Equitum* etiam *Primipilorum* nonnulli fuerunt *Pixidarii* dicti, tempore Georgii II. Rákoczi, & quidem à *Pixidibus*, hoc est sclopetis, quibus more Peditum Pixidariorum ad bellicas expeditiones eundum illis erat; reliqui verò *Hastati* exstitere. Testes hujus rei sunt Litteræ Primipilares, Anno 1655. in expeditione Transalpinensi plurimis Siculis Libertinis (*n. b.* sæpius in Litteris Primipilaribus dicuntur *Libertini*, ipsi Pedites Pixidarii, quod amissam An. 1562. Libertatem recupera-

J. 150. ...

verint) ſeu Peditibus, in numerum Primipilorum adſcriptis, datæ, ſic habentes: *Equitibus noſtris Pixidariis Primipilis*, &c. ſed de hoc Argumento alias plura. His, *Lex Conſvetudinaria* (*n.* 6.) Puncto 24to, ſic olim favebat: *In pago, ubi Primores vel Primipili hæreditatem aliquam non poſſident, invitis Plebeis emere non poſſint; ſi quis emerit, intra annos 32. redimi poſſit.* Albæ Juliæ, An. 1592. 19. Apr. Articulariter conſignatur, quod, inter Siculos, multi è plebe, per Capitaneos, nulla de cauſa, qui nec armaturâ, nec perſonis eſſent iſti Ordini pares, Primipili fuerint creati, jubenturque ad diem 15^{tum}, per Capitaneos & Judices Regios luſtrari, ac inhabiles reduci. Plebeorum olim erat *Judicatus pagenſis* onus perferre, ſed cum tempore, quibusdam quoque Primipilis illud impoſitum. En *Art.* A. 1656. 20. Febr. Albæ conditum, cujus ſumma eſt: *Quoniam inter Siculos*, Pixidarii Rubri, *qui onera Judicatûs gerebant, per Principem, Equitibus, cum prærogativâ Primipilorum, magno numero aſſumti, nec non numerus Peditum fuiſſet valdè imminutus; hinc ſtatuitur, vt Primipili; non ſolùm vt antea fiebat, Pedites Pixidarii, æqualiter Judicatum ſuſtineant.* Immò, ex ea ratione, etiam Nobilibus Armaliſtis unius Seſſionis, ſalvâ ceteroquin permanente nobilitari prærogativâ, *Art.* 3. An. 1678. 1. Oct. & *Art.* 11. An. 1680. 18. Maji. Decimarum quoque onus Plebeis olim incumbebat, vt docent Artic. An. 1562. 20. Jun. Schæsburgi emanati; quibus etiam ſtatutum fuerat, *vt Detentores vel Impeditores Decimarum* (quæ Proventus Cameræ ibi audiunt) *in præſentiam Principis evocentur.* Item: *Decimæ Plebis*, (Siculicæ)

ex agnis, apum examine, porcellis, & pullis anserum, in natura præstentur; ubi numerus (denarius scil.) *deficeret, pecuniâ redemtio fiat*: sed ab An. 1602. immunes earum sunt. Fuêre & quartæ in Siculia conditionis homines, ii nempe, quos Jobbagiones & Inquilinos, natione nequaquam Siculos exstitisse, non pridem retulimus. Vertentibus verò annis, quemadmodum ex nativis quoque Siculis, haud pauci in Jobbagionatum devenerint, n. 8. exponemus.

Cum ex dictis clarum sit, per Siculos *trium Generum*, non trium, *Sepsi* v. l. *Kézdi* & *Orbai* Siculos intelligi, sed Siculos trium ordinum; patet oppidò *P. Timon* hallucinatum fuisse, *Additam. Epist.* 2. hæc scribentem: " Sigillum nu„ per in lucem prolatum, cui verba hæc incisa „ sunt: *arma trium generum Siculorum*, habet„ que pro stemmate manum gladio cor transfi„ gentem, existimo factum esse circa An. 1500. „ Trisedis illud potius fuisse, quàm totius Sicu„ licæ Nationis, sapienter judicat Amplitudo tua. *n. 6.*

8. Jure meritoque, Siculi, in Codice legum, sæpe, *Homines bello servientes*, & *Ordo Militaris*, nuncupati sunt: (Vid. *Approb.* Part. 3. Tit. 76. Art. 8. & 16. §. 3. 4. Item Partis ejusdem, A. 20. P. 5. Edict. 59. 70.) eorum si quidem armis, in propulsandis hostibus Reges Hungariæ

haud raro usi sint. Quamvis vero post separationem Transsilvaniae abs Hungaria, ita Anno 1545. inter tres Nationes conventum fuerit (§. 139. *n.* 1. *b.*) vt aequalia Tributi & Militiae onera portent; nihilo tamen minus Siculi, etiam dum eorum Plebei liberi, aeque ac subditi Inquilinique aequaliter contribuissent, inter annos 1555. & 1597, supra duas alias Nationes onus militare sustinebant. Extra generales namque Insurrectiones *Nobiles Comitatuum*, ab A. 1545. 25. Apr. ad 1573. 24. Jun. à 10. Colonis unicum Equitem; dein usque An. 1575. 25. Jul. à 16. Colonis, unum Equitem & unum Peditem; postea usque ad An. 1599. 21. Mart. unum Equitem, unumque Peditem à 20. subditis in promptu habere obligabantur. *Saxones* vero, juxta *Art.* An. 1575. 25. Jul. mille solum Pedites Officialibus provisos speciatim conservabant. At *Siculi*, quintam gentis suae partem, ab An. 1555. 23. Dec. ad 1597. 16. Apr. armis instructam, in omnemque semper occasionem expeditam habere debebant: hoc anno Articulariter indultum est, vt ad instar Comitatensium, extra generales Insurrectiones, à vicesima gentis parte parati sint; quod omnia onera aequaliter cum Comitatibus praestarent, ac etiam in futurum se praestituros promitterent. A restituta Plebeorum libertate, militaris Siculorum status in meliorem successive ordinem redactus, eoque modo emendatus est, vt *Primores* & *Nobiles* eorum *Possessionati* Comitatensium instar Nobilium insurgere, & paratos habere Stipendiarios debeant; *Nobiles* vero *unius Fundi*, *Primipilique* & *Plebei liberi* omnes, viritim, juxta Regestum, praesto sint;

quo-

quoties inſuper tempore pacis jubebitur, in Armiluſtriis, bene ſemper inſtructi, ſe ſiſtant, & ad bella, quo Princeps juſſerit numero, ſub pœna capitis, compareant. Sed præter caſus Inſurrectionum, continuum quoque Siculus ſervitium militare exſequutus eſt. Quemadmodùm enim Hungaris & Saxonibus, præter Generalem & Particularem Inſurrectiones, & Tributum Turcæ Principisque ordinarium, neceſſitas quoque continui Præſidii intertenendi impoſita erat: non diſſimiliter Siculi, præter Inſurrectiones, pro continuo Præſidio militem in Fortalitiis, & excubitores in Finibus ſiſtere adigebantur. *Præſidiarios*, juxta Art. An. 1606. 17. Maji, bis mille Equites, & totidem Pedites conſervabant. Et licet An. 1653. juxta *Approb.* P. 5. Ed. 64. hæc ipſis obligatio, quod Fortalitium Albenſe, in quo Principis erat aula, remiſſa ſit: Edictum tamen illud non diu vigorem habuit; ſi quidem An. 1688. 10. Maji, *Art.* 13. expreſsè ſtatuitur, vt Siculi, qui in aula Principis continuo pro Præſidio conſtitui ſolent, biennio quovis mutentur, & alii per Officiales ſurrogentur; nec, quamdiu in ſervitio ſunt, contribuant. Porro, ne Nationalis hæc Militia detrimentum pateretur; & Fundorum perennalis abalienatio ſeverè interdicta eſt, & abitus è terra ſuæ Nationis Siculo cuilibet in Regeſtum militare relato prohibita. Operæ precium eſt, nonnullas hanc in rem confectas Leges huc transferre. An. 1633. 24. Apr. *Art.* 6. edicitur: *A Pixidariis, ſub pœna Flor. 500. emere Fundos perennaliter non liceat: urgente tamen neceſſitate uſque tertiam partem, juſti valoris pignori dare poſſint.* An. 1650. 20. Mart.

§. 150. ...

Art. 29. *Nobiles* (quia non ita ſtrictè, ac reliqui, militiæ addicti erant) *perennaliter Bona vendere poſint; at non ceteri Siculi, ne ordo militaris patiatur: impignoratio tamen etiam militibus licita ſit; ſed juſto tantum valore, quem Officiales definiant. Secùs ſi quis emerit, Flor.* 500. *puniatur. Quæ tamen libertas* (vendendi) *& Conſtitutio, uſque ſolùm duret, donec militi derogare non fuerit obſervatum.* Hic *Art.* A. 1648. etiam pronunciatus erat. Id quoque non parùm Militiæ Siculicæ detrimenti pepererat, quod haud pauci Militum, Jobbagionatu ſe eidem Statui ſubduxiſſent. Igitur An. 1619. 5. Maji, Art. 17. ſtatuitur: *Siculi Plebei, ante An.* 1614. *ſe ad Jobbagionatum obligantes, maneant in eo ſtatu; ex poſt facti reſtituantur: nec demùm, ſub pœna Flor.* 400, *tales obligare liceat; demtis ſolùm iis, qui ob deſertionem, vel non comparitionem in Bellis, ad juſtam expoſitionem, collati fuiſſent.* Sed & antea, An. 1608. 21. Sept. *Qui ſe aliis ſponte ad Jobbagionatum, damno publico, obligarunt, per Generalem Siculorum inveſtigentur, à Dominis reoccupentur, priori ſtatui reddantur; & ſi denuo adtentarent, capite plectantur.* An. 1635, Princeps GEORGIUS I. RÁKOTZI, ad vota Siculorum Primipilariorum & Pixidariorum, qui per Nobiles non mòdo injuriis adficiebantur, ſed variis ad Jobbagionatum inductionibus numerus quoque eorum imminuebatur, perſonaliter Inveſtigationem inſtituit; Jobbagiones, qui præter jus per Nobiles obligati fuerant, reſtitui jubet, cum univerſis Primipilaribus & Pixidariis Fundis: Regeſtum confici dein curat, cui nomina omnium, etiam puerorum, qui ad ſtatum militarem pertinerent, infert; & ſimul Officia-

libus,

J. ISTVÁN.

libus, vt omnes in Regesto contentos, cum eorum fundis, sub amissione Officii, contra Nobiles, defendant, injungit. Hanc denique suam *Resolutionem*, in forma perpetui Edicti, vt successivis semper temporibus, tota Natio Siculica se eidem conformet, publicat. *Vid. Approb.* Const. Part. 3. Tit. 76. Art. 1. - - - 16. An. 1638. in Comitiis ad d. 23. Apr. edictis, concluditur: *Siculi Ordinis militaris ab An.* 1623. *e gremio Nationis ad alia loca profugi* (ad Comitatus v. l. Civitates *cet.*) *si nomina in Regesto contineantur, regredi debent.* An. 1659. 26. Febr. Bistricii: *Ex eo, quod Contributionem extraordinariam, pro excontentatione Portæ* (np, Ottomanicæ) *& redemtione captivorum, bis repartitam, Siculi solvendo non sint; facultantur tam Primipili, quam Pixidarii, ut se usque ad summam istam, pro Jobbagionibus obligare possint; & summa hæc annuatim per Flor.* 1. *deducatur, & obligati, per Officiales, dein priscæ libertati restituantur*, An. 1670. 1. Dec. *Art.* 34: *Qui militiæ sunt apti, ad servitia privatorum, extra casum necessitatis, ne admittantur.* Articulo 35to Resolutio Rákocziana confirmatur, *iis* in Jobbaginatu relictis, *qui in redemtionem capitis, semet pro summa pecuniaria obligassent; sed & hi, ad sui redemtionem, si solvendo sint, per Officiales compellantur.* Anno 1679. 27. Maji, Art. 16: *Pixidarii nimium attenuati servitiis aliorum se applicare possint.* Anno 1684. & successivis *Mich. Teleki*, *Clemens Mikes*, *Ladislaus Székely*, & *Joh. Sárosi* Protonotarius, Regestum, sicut An. 1635. Rákoczius curaverat, confecerunt; ne Siculi militares diminuerentur. Reliqua, quæ antiquum Siculorum statum mili-

tarem illuſtrant, in *Articulis Diætalibus*, & Codicibus Legum Patriarum *Adprobatis* atque *Compilatis*, diligens Lector paſſim reperiet.

9. Conſvedo, immo Lex, erat, vt Siculi Tributo olim minùs obligati (*n.* 2.) ternis occaſionibus, v. l. 1.) *Tempore Coronationis* novo Regi, 2.) *Occaſione matrimonii* Sponſo Regi. 3.) *Dum Regina maſculum peperiſſet* aulæ regiæ, Taxam quamdam pecuariam, h. e. ſextum quemque bovem (puta quadrimatos & grandiores) conferrent. *Vide* §. 96. *n.* 13, & *Articulum*, An. 1599. 20. Nov. Albæ ſcriptum, quo, *ſub Michaële Wajvoda conſignantur*, *Siculis priſcam libertatem fuiſſe planè reſtitutam; aſt quia à memoria hominum, vi iſtius libertatis id ſemper inter illos fuerit obſervatum, vt occaſione mutationis Principum, novo Principi, & tempore matrimonii ſponſo Principi, è ſex* (non 4. vt apud quosdam reperio) *Bobus unum dare debuerint; obligantur idem etiam Michaëli Wajvodæ præſtare*. Hæc Taxa, idiomate vernaculo, *Ökör - Sütés* (*Ökör*, Bos, & *Sûtés* aduſtio) Latinè *Signatura Boum*, dici conſveverat: bobus enim ſorte Regi obvenientibus ſtigma fuit inuſtum. Patresfamilias tot numeros non habentes, ſe ſe, pares ſcilicet cum paribus, ſociabant, bovemque, quem ſors ex coadunatis contigit, Regi dederunt. Forum boarium, quotiescumque boves pro Regibus ſignabantur Agropoli, (*Maros - Vâſârhely*) inſtitutum fuit frequentiſſimum: unde idem Oppidum, jam Libera Regiaque Civitas, *Forum Siculorum* nuncupari conſveverat.

10.

10. An. 1711. exauctoratus miles omnis Siculus (*n.* 2.) pendebat Tributum integrum, hyberna æſtivaque militi Campeſtri præbebat, vecturæque premebatur onere, ad An. 1764. quo Militiam Siculicam, Sereniſſima Princeps D. D. MARIA THERESIA inſtauravit, erexit, ornavit. Sed narrationem de hoc argumento §. 209. pertexemus.

Quæ de Siculis, *D. Stephanus Csiki de Nagy Ajta*, ad Incl. Tabulam Reg. Judiciariam Advocatus, in *Opuſculo MS.* doctiſſimè commentatus eſt, ad *alteram* Operis noſtri *Partem* reſervanda duximus.

§. CLI.

III. SAXONES, ſive *Saxonicam Nationem*, Germanicæ originis, *Geyza II.* Rex Hungariæ, An. 1142. è Saxonia & Hungaria evocavit, ac magnis donatos Privilegiis in Tranſilvaniam duxit.

1. Tres, aut, ſi placet, quatuor ſunt, de *Saxonum Transſilvanorum ortu* opiniones, veritate nullâ nixæ, & vi quintæ opinionis, veriſſimæ ejus, evaneſcentes. *Prima OPINIO*: *Martinus Schœdelius*, *Johannes Nadányius*, *Laurent. Toppeltinus*, *Mart. Siglerus*, *Georg. Hanerus*, paucique alii, Saxones non è Germaniâ oriundos, ſed veterum Dacorum Getarumque & Gothorum reliquias ad hoc uſque tempus in Transſilvania perduratas contendunt. Quinque rationibus, at imbecillis

iis,

iis, hanc probare assertionem nititur *Toppeltinus* in *Ortu & Occasu Transsylvanorum.* Primam capit ex nomenclatione, dum dicit: *A vocabulo* Daci *sive* Deci, *ad* Detsen, Decen *sive* Detschen *facilis lapsus: ita enim Saxones Transsylvani se vocant. Germanos autem appellant* Mueser, *quam dictionem à Gallico* Monsieur *derivamus) quod nunquam fecissent in contemptum suorum Majorum.* Verum quidem est Milites Germanos, à Saxonibus nostris, *Mooser*, *Mueser* & *Moaser* vocari, ex *Monsieur* forsan, quod hoc gallico se compellassent sæpius, aut, ut vult *Trösterus*, à *Mazara*, quod genus gladii est, vulgò Pratspies, quod tali semper accinctos gladio incedere Germanos vidissent: sed noverunt certè optimè etiam Deutsch Germanum & Deutschland Germaniam dicere; ipsosmet verò vernacula lingvâ frequentiùs Sachsen, ac Deutschen nominare. Hinc igitur firmum peti argumentum non potest. Reliquas ejus rationes, vt non satis firmas, prætereo silentio. Hanc opinionem, quâ ejus auctores & patroni Saxones in Transsilvania Siculis & Hungaris ostendere longè antiquiores esse adnituntur manifestè jugulat *Timon*, in *Additam. Epist. I*: *Scriptor ille*, inquit, *qui negat Saxones venisse* (ex Germania) *in Transsilvaniam, confutatione non est dignus, & meritò perstringendus, quando falsi arguit Ungariæ Reges, qui illis populis, tanquam stirpe Saxonica, satis immunitatem largiti sunt.* Et certè, vt habet *Novæ Daciæ auctor p. 9. Longè à vero alienum videtur, tantam Gothorum multitudinem, quantam Saxonici fundi pomœria, in mediteranea Dacia capiunt, remanere potuisse; cum clarorum signatum sit Historicorum testimonio, Gothos sive Dacos,*

pri-

primùm ab Attila, deinde à Gepidarum populis, ac iterum à vasta Hunno-Avarum potentiâ penitus excisos fuisse; unde ab eo tempore, Gothica memoria, hic loci tota evanuit. Vid. Nicol. Olahi Attila c. 7. & Aventini Lib. 2.

2. *Secunda Opinio.* Sunt auctores, quorum è numero puta, *Joh. Tröslerum*, *Mathiam Miles*, (sive Militem) *Mart. Kelpium*, *Mart. Schmeitzelium*, qui reliquias *Dacorum*, *Gothorum*, immò etiam *Gepidarum & Longobardorum*, fundamentum Nationis Saxonicæ in Transsilvania posuisse adfirmant; augmentum verò à Coloniis Germanorum per Reges Hungariæ evocatis cepisse contendunt. Adstipulatur huic opinioni *P. Joh. Szegedi*, in *Notis ad Synopsin Vitæ Geyzæ II.* hanc adornans narrationem: *Accitis 1143. in Transsilvaniam Saxonibus, Privilegia concessit - - - Residuas adhuc fuisse quasdam veterum Gothorum in Transsilvania reliquias, cum novi isti hospites è Saxonia advenirent, evincunt argumenta* TOPPELTINI, *quæ pro antiquitate gentis suæ, Cap. 3. eruditè ac copiosè congerit. Non item veteres omnes Getas (qui à Romanis Daci, & quandoque Sarmatæ, à Græcis Sauromatæ dicebantur) quod Author contendit, inter Majores suos numerandos.* Nec aliter *Timon* sentit, *Addit. Epist. II.* his mentem exprimens suam: *Neque ego prorsus negaverim, ex Gothis potuisse aliquas tribus mansisse in hac Dacia, quibus postmodùm Saxones se adjunxissent.* Sed rectiùs mihi quidem, sentire videtur, Doctissimus *Felmer*, in *Primis Lineis Historiæ Transsilvanicæ* MS. §. 129. eorum populorum in Transsilvania reliquias, inter Valachorum plebem late-

re

re adserens. Nec non *Valent. Franck* in *Breviculo Originum Nationum*, *& præcipuè Saxonicæ in Transsilvania* p. m. 10. his loquutus: *Neque è ratione Status erat, vt Saxones alteri Genti miscerentur, cum juxta Diploma Regium, unus populus esse debuerit: cui uti antiquitùs, ita hodieque firmiter inhærent, nimiùm solliciti, ne quisquam alterius sangvinis & generis, in eorum communionem veniat, cet.*

3. *Tertia Opinio*, cujus authores cum Bonfinio sunt plurimi, censet Saxones intrasse in Transsilvaniam sub Carolo Magno Imperatore. Optimus hic Cæsar, quanquam persæpè Saxones in Germania vicerit; eorum tamen rebellioni frenum aliàs injicere non potuisse, nisi vires illorum distrahat, fertur: quo consilio factum esse, vt eos è patriis sedibus abstraxerit, variisque provinciis, & pariter Transsilvaniæ, ne ullum deinceps bellum moliri possent, inspersefrit. Sed hæc Saxonicæ gentis in Daciam migratio, à Carolo M. facta, apud ejus ætatis Historicos non reperitur. Et quomodo poterat Car. M. tutò colonias mittere in hosticum, ubi stabilis juris nihil habuit; nec evinci queat arma ejus ultra Tibiscum perlata fuisse? Incredibile insuper est, ab octavo seculo, in quo laudatus Imperator bellum gessit, usque ad duodecimum, Saxones istos, nullius hominis memoriam subiisse.

4. *Quarta Opinio*, Saxonum in Transsilvania ortum Historiæ (insigni fabulæ) Hamelensi tribuit. Ea apud *Kircherum*, *Musurg. univ. l.* 9, c. 3. & in *Exodo Hamelensi*, P. 3. *Samuelis Erichii*

chii

§. 151.

chii ſignata, fere talis eſt: "Quum An. 1284.
„ in Oppido Germaniæ Hamlenſi, murum in-
„ gens copia prodiret, eſſetque ab ipſis tutum
„ nihil, & haud leve civibus immineret pericu-
„ lum; Tubicen (Sathanam fuiſſe ferunt)
„ qui miris modulationibus ſciebat mira, operam
„ ſuam locandam Oppidanis promittit; mox Ur-
„ be mures fidibus ſuis & cantu educit, & in
„ proximo illos amne ſuffocat. Quo perfecto
„ mercedem ſtipulatam poſtulanti Hamlenſes ne-
„ gabant. Ea propter injurias ulturus, dum iſti
„ ſacris operantur, tibicinio ſuo non exiguum
„ puerorum numerum colligit, ac moderato re-
„ ceſſu in propinquum montem *Koppen* ipſos
„ deducit. Atque exinde pueri Hamlenſium
„ non apparuêre ampliùs. Hos jam ſubter ter-
„ ram in Transſilvaniam deductos dediſſe ajunt,
„ originem noſtris Saxonibus.„ Ea impudentiæ quidam proceſſerunt, vt dicant Hameleníes hinc Epocham ſuam inchoaſſe; eo verò tempore multos in Transſilvania pueros ignotæ lingvæ viſos fuiſſe, qui nempe è ſpelunca Almaſenſi in Sede Siculicali Udvarhely prodiiſſent. Hæc nemò ſanus credit; (cum & jam An. 1143. Rempublicam heic Saxones conſtituerint) niſi quispiam fortaſſe eorum Scriptorum, infantibus illis in Transſilvaniam migrantibus, per meatus terræ facem prætulerit. Operæ porrò nullum erit precium, vt memorem *Albertum Hutterum* Regium Judicem Cibinienſem, in Oratione coram *Sigismundo Bathori* Principe, An. 1591. Menſ. Jun. Albæ, habita, hanc Nationem à *Sacis*, gente vetuſtiſſima, bene ſi memini, derivantem: Saxones ſiquidem, ſi Kelpio fides ſit,

§. 151.

à voce *Sachs* vel *Sahs*, quæ veteribus Saxonibus & Friſonibus *Gladium* vel *Cultrum oblongum*, quo in bellis utebantur, notabat, nomen acçeperint. Originem Fabulæ decantatiſſimæ, quæ tradit *pueros Hamelenſes* à præſtigiatore, itinere ſubterraneo fuiſſe in Transſilvaniam deductos, ex illisque Saxones noſtros progenitos, explicuit concinnè CHRISTOPHORUS FRIDERICUS FEIN in Tractatu: Die entlarvete Fabel vom Ausgange der Hämelſchen Kinder, eine nähere Entdeckung der dahinter verborgenen wahren Geſchichte. Hannover 1749. 4. plag. 6. Scilicet, Oppidum Hamelenſe, & Advocatiam in illud, quam eo uſque Comites Eberſteinenſes, in modum feudi, tenuerant, Abbas Fuldenſis vendidit Witekindo Mindenſium Epiſcopo. Comes Eberſteinenſis, ne jure ſuo excideret, Oppidanos ad repugnandum Epiſcopo impulit. Advolat adversùs ſeditioſos Witekindus An. 1259. die 28. Jul. & egreſſos ad bellandum Hamelenſes, juxta villam Sedemundi, ad radices montis Coppenberg vicit, partim cepit, partim occidit. Evocaverat Hamelenſes è Templis Fiſtulator (en præſtigiatorem!) quidam cum Tympanotriba. Mixta prolabebatur, juvenum ſenumque & puerorum, è valvis Templorum Oppidique portis, turba, cædi graviſſimæ expoſita. Diem infauſtum anniverſaria deinceps, triſtitiane an ſollemnitate? celebrarunt Hamelenſes, eumque dixêre ſacrum *Egreſſioni liberorum* ſuorum. Quos in prælio ceperat Witekindi miles, libertate tandem donati, non versùs Sedemundum, ſed tractum Sevenberge dictum, patriam repetiverunt ſuam. Quum adeoque Sevenberge & Siebenbürgen, lo-

co-

A. 151. ...

corum licet dissitorum nomina, parum inter se differant; nata est fabula juventutem (militiæ aptam) Hamelensem, per specum montis *Koppenberg* abductam, perque cavernas terræ in *Siebenburgum*, id est Transsilvaniam, delatam fuisse.

5. *Quinta Adsertio*, omni exceptione major ea, Saxonum in Transsilvaniam adventum, ad tempora Geyzæ II. Hungariæ Regis refert; in qua non quæritur de particulari aliqua Teutonici sive Germanici sangvinis familia, sed de toto populo Transsilvano-Saxonico, quomodo nempe is & quando in Transsilvaniam concesserit? Certum quidem est, amore cumprimis Fidei Christianæ, quosdam Alemannos, adhuc à Geyza I. è Germania accitos, è quibus Geyzæ filius Stephanus S. adversùs rebelles & Cupam, Ethnicismum defendere satagentem, exercitui suo Vencellinum præfecit. Constat etiam, vt ea occasione, qua S. Stephanus I. Rex Hung. Henrici II. Imperatoris Sororem Giselam in vxorem sollemniter duxisset, simul cum eadem, complures familiæ Germanicæ Hungariam & ex eadem Transsilvaniam intrarunt. Commemorat in iis *Thuroczius*, *Volphgeri* & *Hederici* familiam P. I. c. 11. *Hunti* & *Paznani* c. 13. *Herrmanni Norimbergensis* c. 18. Herrmannus ille de Norimberga Patricius, Stephani cum Gisela nuptias celebraturi aulam secutus, atque cupidine lustrandæ Transsilvaniæ incensus, eam intravit, & antiqua traditione, primam hic loci domum fundavit, quæ Cibinii Zeug-Hoff hodie vulgò dicitur, sicque Cibinio, ab eodem Hermanstadt dicto fun-

damenta posuit, ita, vt successu temporis, multiplicatis familiis, ac advenientibus potissimùm Saxonibus, in amplam Civitatem abierit. Testantur hæc Annales patrii, & insignis Stephani Regis favor, quo Germanos advenas, pro Religione Christiana & artibus mechanicis, complexus est, quoque etiam filio suo *Emerico* commendavit, vt luculentissimè docetur in *Corpore Juris Hungarici Lib. I. Cap. 6. seqq.* Complures succesivè, Saxones præsertim & Thuringos Sanctus Rex allicuit, vt patria relictâ, in Hungaria sedes figerent, & hinc ad partes usque illius Transsilvanas extenderentur. Hinc, & illorum Saxonum seu Germanorum, qui in Hungaria præsertim Szepusiensi Comitatu adhucdum commorantur, & eorum etiam, qui in Transsilvania, à pluribus retrò Seculis, Nationem privilegiatam constituunt, prima omninò origo tutissimè repetenda est. *Vid. Felmer* §. 128. Nequedum tamen, in nostra Transsilvania, [illegible] erant tunc Teutones multitudine, vt Rempublicam componere possent. Sed An. 1141. solium conscendente Geyza II, is, nihil ad publicam tranquillitatem, & usum communem, ampliùs deesse perspexit, quàm, sedatis jam motibus vicinis, vt inculta & incolis vacua loca, ob præteritorum injuriam temporum, aliis, iisque cultioribus, ac mechanicarum artium gnaris, quibus Hungari bello adsveti prorsùs carebant, adlectis multiplici promissione, & bonitate agrorum, populis, vasta illarum terrarum spatia implerentur. Providus itaque Rex, malo huic medelam allaturus, tam ex Germania numerosos artifices excivit, quàm ex Hungaria, (quo non solùm à *Geyza I.* & *Stepha-*

no

no I. sed, & maximè quidem, *Petro* Rege, qui sangvinis sui *Alemannis plus æquo credebat, eosque summis honoribus & magistratibus cumulabat*, evocati & recepti erant:) in septemtrionalibus ejus partibus, & Comitatu imprimis Szepusiensi, limitaneis, degentium Teutonum magnam copiam, evocavit, & in Transsilvaniam mortalibus exhaustam deduxit; quos, sicut & eos, qui antea Transsilvaniam salutaverant, ab jurisdictione Hungaricorum Comitatuum exemtos, iis, quibus nunc insident locis, & immunitatibus maximis, clementissimè donavit. Hæc Natio in vexillo suo & veteri sigillo hanc habuit Epigraphen: AD RETINENDAM CORONAM. Saxones igitur isti, quo nomine Teutones in genere inde à Caroli Magni temporibus ab Hunnis compellari solebant, Germanis antea in Transsilvaniam ingressis juncti, civitates quasdam veteres injuria temporum desolatas ex ruderibus suis excitarunt, alias e novo condiderunt; & jam An. 1146. *Mediæ*, An. 1150. *Sabeso*, An. 1160. *Cibinio*, 1178. *Claudiopoli*, 1198. *Schæsburgo*, An. 1200. *Mercurio* & *Saxopoli*, An. 1203. *Coronæ*, 1206. *Bistricio*, formam munitorum locorum muris dederunt. Hanc de ortu Transsilvano-Saxonum sententiam is non probabit, qui præter Historicorum magni nominis, vt sunt, *Casp. Ens*, in Tractatu de Regibus Hungariæ, *Nicolaus Istvánfi* & *alii*, fidem; in dubium vocabit Privilegium fundamentale Almæ hujus Nationis ab Andrea II. largitum, & reliqua authentica Regum testimonia, quæ etiamnum Cibinii in urbico Archivo asser-

§. 152. ...

vantur. Ceterùm, videantur in hoc argumentum, *Bomelii* & *Sigleri* Chronographia; *Mart. Kelpii* Annales Saxonum in Transſylvania; *Valent. Franck.* Origines Nationum & præcipue Saxonicæ in Transſilvania; *Laurent. Toppeltini* Ortus & Occaſus Transſilvanorum; *Mart. Schmeitzelii* opera; *Andr. Heltmanni* Diſſert. de Origine Septem Caſtrenſium Germanorum, An. 1726. *Upſaliæ* edita; *Belii* Notitia Hungariæ novæ, *Tom. I.* pag. 51. *Franc. Faſſching* Nova Dacia p. 8 - - - 17. & *Annales patrii.*

§. CLII.

Terram, quâ Saxones Transſilvanos Rex Geyza II. donavit, eadem Alma Natio Saxonica, cum *Andreano* 1. & aliis præclaris æquè ac plurimis Privilegiis 2. poſſidet; immò & extra eam nonnulla Transſilvaniæ loca obtinet 3.

vid. 586.

1. Privilegium *Andreanum*, eſt fundamentale Saxonum; de quo, cum *Valentino Franck* hæc notemus: Rex Hungariæ *Andr. II* cognomento *Hieroſolymitanus*, exemplum aliorum Principum Chriſtianorum imitatus, infeſtum in Palæſtinam exercitum, *adverſus Turcam*, duxit, Gentemque Hungaram, ſolenni in monte Sinai Privilegio decoravit. Poſtquam verò e longinqua iſta expeditione rediiſſet, è re ſua id eſſe rati Saxones, ad thronum Suæ Majeſtatis accedunt ſupplices, eâ, qua decebat, humilitate atque ſubmiſſione poſtulantes, vt Rex Sereniſſimus, pro innata ſibi Clementia, labefacta quadantenùs ſua Privilegia, quorum vigore illecti, relictis patriæ ſedibus, in Trans-

§. 152.

ſilvaniam venerant, poſtliminio revocata, redintegraret & confirmaret: quod quidem S. Rex, ſolito pietatis motu ductus, ultronea quadam voluntate præſtitit. Privilegium verò, documentum Saxonicæ originis exhibens, hoc eſt:

" In Nomine S. Trinitatis & Individuæ Uni-
„ tatis. Andreas Dei Gratia, Hungariæ, Dal-
„ matiæ, Croatiæ, Ramæ, Serviæ, Galiciæ,
„ Ludomiriæque Rex in perpetuum. Sicut ad
„ Regalem pertinet dignitatem, ſuperborum
„ contumaciam potenter opprimere; ſic etiam
„ Regiam decet benignitatem, oppreſſiones hu-
„ milium miſericorditer ſublevare, & fidelium
„ metiri famulatum, & unicuique ſecundùm ſua
„ propria merita, retributionis gratiam imperti-
„ ri. Accedentes itaque Fideles noſtri *hoſpites*
„ *Teutonici* ultrà Tranſsylvani univerſi ad pedes
„ noſtræ Majeſtatis, humiliter nobis conqueren-
„ tes, ſua queſtione ſuppliciter nobis monſtra-
„ verunt, quod penitùs à ſua libertate, qua *vo-*
„ *cati* fuerant à piiſſimo Rege Geyſa, avo no-
„ ſtro, excidiſſent, niſi ſuper eos Majeſtas Re-
„ gia oculos ſolitæ pietatis noſtræ aperiret, vn-
„ de præ nimia paupertate, nullum Majeſtati
„ Regiæ ſervitium poterat impertiri. Nos igitur
„ juſtis eorum querimoniis aures ſolitæ pietatis
„ inclinantes, ad præſentium poſterorumque no-
„ titiam volumus devenire, quod nos anteceſ-
„ ſorum noſtrorum piis veſtigiis inhærentes, pie-
„ tatis moti viſceribus, priſtinam eis reddimus
„ libertatem. Ita tamen, quod univerſus po-
„ pulus incipiens à *Varoſs* uſque ad *Boralth*, cum
„ *terra Siculorum*, terra *Sebus*, & terra *Daraus*,
„ unus ſit populus, & ſub uno judice cenſea-

„ tur, omnibus Comitatibus, præter *Cibinienſem*,
„ ceſſantibus radicitùs. Comes verò quicunque
„ fuerit Cibinienſis nullum præſumat ſtatuere in
„ prædictis Comitatibus, niſi ſit infra eos reſi-
„ dens, & ipſum populi eligant, qui meliùs vi-
„ detur expedire. Nec etiam in Comitatu Ci-
„ binienſi aliquis audeat comparare pecunia;
„ Ad lucrum verò noſtræ Cameræ quingentas
„ marcas argenti dare teneantur annuatim: nul-
„ lum prædialem, vel quemlibet alium volumus
„ infra terminos eorundem poſitum ab hac ex-
„ cludi redditione, niſi qui ſuper hoc gaudeat
„ privilegio ſpeciali. Hoc etiam eisdem conce-
„ dimus, quod pecuniam, quam nobis ſolve-
„ re tenebuntur, ſeu dignoſcuntur, cum nullo
„ alio pondere, niſi cum marca argentea, quam
„ piiſſimæ recordationis pater noſter Bela eis-
„ dem conſtituit, videlicet quintum dimidium
„ fertonum Cibinienſis ponderi, cum Colonienſi
„ denario, ni diſcrepent in ſtatera, ſolvere te-
„ neantur. Nunciis verò, quos Regia Maje-
„ ſtas ad Dicam colligendam ſtatuerit, ſingulis
„ diebus, quibus ibi moram fecerint, tres lot-
„ tones pro eorum expenſis ſolvere non recu-
„ ſent. Milites verò quingenti intra Regnum
„ & regni expeditionem deputentur; extra ve-
„ rò Regnum centum, ſi Rex in propria perſo-
„ na iverit. Si verò ex Regno Jubagionem mi-
„ ſerit, ſive in adjutorium amici ſui, ſive in pro-
„ priis negotiis, quinquaginta tantummodo mi-
„ lites mittere teneantur. Nec Regi ultra præ-
„ fatum numerum poſtulari liceat, nec ipſi etiam
„ mittere teneantur. Sacerdotes verò ſuos libe-
„ rè eligant, & electos repræſentent, & ipſis

„ deci-

J. 158. M. 2.

„ decimas perſolvant, & de omni jure Eccle-
„ ſiaſtico, ſecundum antiquam conſuetudinem,
„ eis reſpondeant. Volumus, etiam firmiter
„ præcipimus, quatenus illos nullus judicet, ni-
„ ſi nos, vel Comes Cibinienſis, quem nos eis
„ loco & tempore conſtituemus. Si verò co-
„ ram quocunque Judice remanſerint, tantum-
„ modo judicium ordinarium reddere teneantur.
„ Nec eos etiam aliquis ad præſentiam noſtram
„ citare præſumet, niſi cauſa coram ſuo Judice
„ non poſſit terminari. Præter ſupra dicta, ſil-
„ vam *Blaçorum* & *Biſſenorum*, cum aquis, (uſus
„ communes exercendo, cum prædictis ſcilicet
„ Blacis & Biſſenis) eisdem contulimus, vt præ-
„ fata gaudentes libertate, nulli inde ſervire te-
„ neantur. Inſuper eisdem conceſſimus quod
„ unicum Sigillum habeant, quod apud nos &
„ Magnates noſtros evidenter cognoſcatur. Si
„ verò aliquis eorum aliquem convenire in cau-
„ ſa pecuniali, coram Judice non poſſit uti te-
„ ſtibus, niſi perſonis infra terminos eorum con-
„ ſtitutis, ipſos ab omni jurisdictione penitus
„ eximentes, ſalesque minutos, ſecundum anti-
„ quam libertatem, circa Feſtum Georgii octo
„ diebus, circa Feſtum D. Regis Stephani, &
„ circa Feſtum B. Martini ſimiliter octo diebus,
„ omnibus liberè recipiendos concedimus, quod
„ nullus Tributariorum, nec aſcendendo, nec
„ deſcendendo, præſumat impedire eos;
„ Sylvam verò cum omnibus appendicibus
„ ſuis & aquarum uſus, cum ſuis meatibus,
„ quæ ad ſolius Regis ſpectant donationem,
„ omnibus, tam pauperibus, quàm divi-
„ tibus liberè concedimus exercendos. Vo-

 „ lu-

„ lumus etiam, & regia authoritate præcipimus,
„ vt nullus de Jubbagionibus noſtris, Villam vel
„ prædium aliquod à Regia Majeſtate audeat po-
„ ſtulare: ſi verò aliquis poſtulaverit, indul-
„ ta eis poteſtate à nobis, contradicant. Sta-
„ tuimus inſuper dictis fidelibus, vt cum ad ex-
„ peditionem ad ipſos nos venire contigerit,
„ tres deſcenſus tantum ſolvere ad noſtros uſus
„ teneantur. Si verò Vayvoda ad Regalem uti-
„ litatem ad ipſos, vel per terram ipſorum trans-
„ mittetur, duos deſcenſus, unum in introitu,
„ & alterum in exitu, ſolvere non recuſent. Ad-
„ jicimus etiam ſupradictis libertatibus, quod
„ mercatores eorum, ubicunque voluerint, in
„ regno noſtro, liberè & ſine tributo vadant &
„ revertantur, efficaciter jus ſuum, Regiæ Ma-
„ jeſtatis intuitu, proſequentes. Omnia etiam
„ Fora ipſorum ſine tributis præcipimus obſerva-
„ ri. Vt autem hæc, quæ antea dicta ſunt, fir-
„ miter & inconcuſſa permaneant in poſterum,
„ præſentem paginam duplicis Sigilli noſtri mu-
„ nimine fecimus roborari. Datum anno ab in-
„ carnatione Domini, Milleſimo, Duceteſimo
„ Vigeſimo Quarto, Regni autem noſtri Vige-
„ ſimo primo. „

a. Sic ſe habet Privilegium Andreanum; quod tamen tam *Laurent. Toppeltinus*, quàm *Georg. Haner* in Hiſt. Eccl. Transſylvaniæ, mancum & immutatum dedere: hi namque, Transſilvano-Saxones, Dacorum progeniem demonſtrare ſatagentes, vocem *vocati* per *donati* expreſſerunt, vocem verò *hoſpites* penitùs omiſerunt. Unde non immeritò eos *Val. Franck* reprehendit; cui cum-

cumprimis vapulat Toppeltinus, de quo sic habet: *Nec debebat Dñ Laur. Topeltinus, ex adulterato aliquo Privilegio, pro termino* Vocati, donati *substituisse; sed potiùs à suis Patronis, qui quotidianis (vt sic dicam) manibus originale terebant, genuinum vocabulum postulasse.*

b. Limites Fundi Saxonici sic Andreas definivit: *Universus populus, incipiens à* Varosś, *usque ad* Boralth, *(plerique* Baralt *scripsère) cum* terra Siculorum, *terra* Sebus, *&* *terrâ* Daraus, *unus sit* populus. Quorum explanationem verborum, *Timon Imag. Novæ Hung. Cap.* X. his tradit verbis: "Designationem finium eorum, *Mich. Siglerus*, vel alius quispiam eruditus Saxo Dacicus in hunc modum est interpretatus: *Incipiens à Varosś usque ad Baralt*, hoc est à Saxopoli [*Száſz-Varos*] usque ad Barciam; siquidem veteres, Baraltiam pro Barcia dicebant. Cum Rex nominat terram *Sebus*, indicat atque includit in ea, territoria, Sabesiense, Reismarkense & Cibiniense. Cum verò meminit terræ *Daraus*, & terræ Siculorum, attingit Sedem Rupensem, quia *Draus*, Hungaris *Darócz* est in Sede Rupensi. Per *terram* verò *Siculorum* exprimit Sedem Schegeschvariensem, qui est in vicinia Siculorum, *cet.*"
Sed in hac explanatione manifesti errores cubant. Licet enim, per *Varosś*, hodiernum Oppidum Száſz-Város sive *Saxopolim*, Germanis Broß dictum, tamquam terræ Saxonicæ limitem inclusum ab occidente, intelligi debere certissimum sit: non tamen sequitur, etiam per *Boralth*, limitem inclusum, hoc est, locum ad agrum Saxonicum pertinentem, qualis erat Bar-

cia,

cia, eſſe intelligendum. Nec putem *Barciam* aliquando *Baraltiam* dictam fuiſſe, cum nulla, quod ſciam, auctoritas ſuffragetur. Dicam ergo, quod ſentio. Ego ſanè, ob rationes firmiſſimas, planè inducor, vt credam, tam per *Boralth*, quàm terras Siculorum, terram ſcilicet *Sebus* & *Daraus*, limites fundi Saxonici excluſos, hoc eſt loca quidem Saxonum terram attingentia, ſed Siculorum juri adnumeranda intelligenda eſſe; quaſi ſic verba Privilegii connecterentur: *Uſque ad Boralth, cum terra Siculorum Sebus & Siculorum Daraus.* Qui enim quæſo, *terra Siculorum nominari*, attamen re ipſa *Saxonum eſſe*, atque Sedes Segeſvárienſis intelligi quiret; niſi Saxones Segeſvarienſes Siculos fuiſſe, quod abſurdum eſt, dixerimus. Nec *Boralthum* Barciam notare priùs crediderim, quàm celebris & amplus pagus *Barólt* (dicitur & *Barót*, *Baróth*que) Sedis Siculicalis Miklósvár Alutam amnem (§.28. *n.* 3.) tranaverit, Diſtrictumque Barcenſem inſederit. Sed dicet forſan aliquis, *Baroltum* pagum, utpote terram Saxonum non contingentem, intelligi nequaquam poſſe. Et verum eſt, agrum Baroltenſem ad hanc Alutæ ripam decurrere, ſolum verò Barcenſe alteram ejusdem amnis ripam obtinuiſſe quidem, at non in directa oppoſitione. Nam adverſam ripam campus *Agoſtonfalvenſis* Comitatûs Albenſis tenet, quem ager *Ürmöſenſis* ejus itidem Comitatûs excipit; &, quod difficultatem exaggerare videtur, conſtat ex Codice Legum patriarum, Approb. Part. 3. Tit. 82. vicum quoque *Apátza* (Gieſt) nunc Barciæ Diſtrictui adnexum, ad Albenſem olim Comitatum pertinuiſſe; vt adeo præter Alutæ alveum, campi

pi Agoſtonfalvenſes, Ůrmöſenſes & Apáczenſes, Baroltum à Barcia removerint, cujus pagus hoc itinere, ſupra vicinam Apáczam, *Magyarós*, (Nußbach) primus eſt. Sed reſpondemus, fieri facillimè potuiſſe, vt olim, memorati Agoſtonfalva, Ůrmös & Apácza vici, Saxonibus attributi fuerint, & ad Albenſem denuò Comitatum reciderint; quemadmodùm hoc factum etiam eſt, cum pago *Szúnyogſzeg* in territorio Barcenſi exiſtente, aliisque, vt ſuo loco referemus. Quidquid verò ſit, exiguo admodùm, unius v. l. milliaris intervallo, ager Magyaroſenſis, adeoque Barcenſis, à Baroltenſi diſtat. Prout igitur vox ipſa ſonat, *Boraltb* ſeu *Baraltb* Privilegii Saxonici, mihi certè *Barólt* Sedis Miklós-vár eſſe videtur; nec ab hac adſertione facilè me amoveri patiar.

c. *Terram* quoque *Sebus*, Sabeſum ſive Sabæſum (*Száſz-Sebes*) Saxonum denotaſſe, tantùm fermè à vero diſtat, quantum occidens Fundi Saxonici, ab ejusdem oriente: *Sabeſus* ſiquidem occidentalibus terræ Saxonum finibus proximet; *Sebus* verò ab oriente limitem agro Saxonico ponat. Scilicet terra *Sebus* certè non alia eſt, quàm terra, aut potiùs Sedes Siculica *Sepſi* hodie nuncupata. Hæc adſertio licet, nullis, quod norim, qui ante me ſcripſerunt in mentem venit: non tamen eſt fictitia, ſed tam certa, quàm quæ certiſſima; magnamque Privilegio Saxonum Andreano lucem, & inſigne, procul dubio, gaudium rerum antiquarum inveſtigatoribus adfundens. Nam in Donationalibus Belæ IV. Hung. Regis Literis, quibus An. 1252, terram *Zék*, ſive

J. 1523

ſive *Szék* vocatam, in qua nunc *Erösd*, *Árapataka*, *Hidvég*, *Nyáras-patak* & *Liget* conſpiciuntur, *Vincentio* Comiti donavit, Sedes *Sepſi* non ſemel *Sebus* nominatur. Quomodo autem hoc formatum ſit, facilè pervident Hungaricæ gnari lingvæ, qua adjectiva patria ſolent in *i* terminari: ſic, ex pago *Málnás*, *Málnáſi*, i. e. Málnáſenſis; ex *Demſus* fit *Demſuſi*, ex *Sebus Sebuſi*, molliorique pronunciatione *Sepſi*. Sed, ne, quæ diximus, fide careant, placet pretioſas eas Donationales, quæ apud *Excellentiſſimum Dominum Comitem ac Conſiliarium JOANNEM NEMES de Hidvég* (§. 184. *n.* 8.) tanquam memorati territorii primarium Poſſeſſorem adſervantur, huc transferre, quæ ſic habent:

" Bela Dei Gratia Ungar. Dalmatiæ, Croatiæ
„ Ramæ, Serviæ, Galliciæ, Lodomeriæ, Cu-
„ maniæque Rex Univerſis *præſentes Litteras
„ inſpecturis Salutem in vero ſalutari. Circum-
„ ſpectio Regum provida, condignis premiis
„ ſibi obſequentibus ſic debet occurrere, ut &
„ alii exemplo conſimili ad fidelitatis opera for-
„ tius accedant: Proinde ad univerſorum no-
„ titiam pervenire volumus, Præſentium per te-
„ norem; Quod accedens ad nos Fidelis noſter
„ *Vincentius* Comes, Filius *Akadás*, Siculi de
„ *Sebus* - - - genter poſtulando, quod Terram
„ *Zék*, quæ quondam Saxonis *Fulkun* fuerat, ſed
„ per devaſtationem Tartarorum vacua & habi-
„ tationibus carens remanſerat, inter Terras
„ Olahorum de *Kirtz*, Saxonum de *Baraſſu* &
„ Terras *Siculorum de Sebus* exiſtentem ſibi con-
„ ferre dignaremur. Et Nos juſtis petitionibus
„ inclinati, conſideratis m - - - quæ à primæ-

vis

ʒ. 152.

„ vis pueritiæ ſuæ temporibus in Regno Noſtro
„ & extra Regnum in Legationibus deferendis
„ ſtuduit commendabiliter exhibere, memora-
„ tam t - - - - utilitatibus & pertinentiis ſuis
„ ſibi & per eum ſuis hæredibus, hæredumque
„ ſucceſſoribus duximus perpetuo conferendam.
„ Quam per dilectum & fidelem noſtrum Ladis-
„ laum Vajvodam Tranſilvanum & Comitem
„ de Volku ſibi fecimus aſſignari. Metæ autem
„ ſive Termini ipſius Terræ, quemadmodum
„ nobis per eundem Vincentium conſtitit, hoc
„ ordine disjunguntur; Prima meta incipit ab
„ oriente ſuper quodam monte nomine *Vékul*,
„ & venit ad fluvium *Ólth*, uſque partem meri-
„ dionalem; & per memoratum fluvium *Ólth*,
„ deſcendit ad *indagines* uſque ſeptemtrionem,
„ & per quendam rivulum vadit diu uſque ad
„ caput ipſius rivuli, & inde aſcendit ad mon-
„ ticulum, qui vulgariter Berkh dicitur, à quo
„ conſignatur prædicto monti Vékul versùs orien-
„ tem, & ſic terminatur. Vt autem prædicta
„ liberalitas ſeu Donatio robur obtineat perpe-
„ tuæ firmitatis, Præſentes eidem conceſſimus
„ Literas, duplicis Sigilli noſtri munimine robo-
„ ratas, Aô Dni M° ÇC° L° ſec̃do, tredeci-
ma Kl Septembris, Regni autem nri Septimo
„ Decimo.

Inſtrumentum certè, tribus licet lacunis laborans, at quoad eſſentiam integerrimum, luculentiſſimè exhibet, in terra Szèk olim vocata, pagos Comitatûs Albenſis, *Árapataka*, *cet.* hodie ſituatos, conſequenter, per terram *Sebus*, Sedem *Sepſi*, quæ juxta Barciæ pagos Hermány & Práſ-

mir

már eidem Barcenſi Diſtrictui contigua eſt, intelligendam eſſe. Circumeat, avarus quisque fidei, idem territorium, & cœcus ſurdusque ſit oportet, ſi easdem metas hodie non reperiat. Nonne, quæſo, *Vékul* aut *Vécul* mons, juxta pagum Erösd, ſub nomine *Vécel* ſive *Véczel*, hodieque fines ejus terreni agit? Numquid vicinitas Saxonum Barcenſium, Baraſſoviam Civitatem, ſuam metropolim habentium, hodiedum, cum Alutæ, *Hung.* Ólt ſive Ólth, fluminis alveo obtinet? Nonne indaginis, per quam citra dubitationem, ſaltus ſive ſilva intelligitur, ſat magna pars, in ſeptemtrionali limite, infra pagum *Liget*, in hunc uſque diem, ad decurſum Alutæ, conſpicitur? Nonne rivulus *Kollátpataka* dictus, agrum pagi *Bölön* ab agro prædii *Liget* ſecernens, & e fonte ſuo finibus Sedis Sepſi in ipſis ſilvis accedens, eundem tenet curſum? Terra denique Olahorum de Kirtz eadem fuerit, quam Siculi ſucceſſivè occuparunt, & hodie, ubi *Bölön* ſituatus eſt, poſſident. *Sebus* ergo excluſiſſimus limes fundi Saxonici. Litteras Metales ſive Reambulatorias Capituli Albenſis, An. 1349. confectas, & ad Regem Hungariæ, Ludovicum I. directas, quas ex patrimonialibus Litteris *Illuſtriſſimi Domini Comitis NICOLAI MIKÓ de Bodok*, Tabulæ Reg. Judic. Adſeſſoris, deprompſimus, *Parte altera* producemus, iisque rursùs evictum dabimus, Terram *Sebus* eſſe Sedem Siculorum Sepſi, & Terram *Zeek* terrenum Hidvégenſe, Árapatakenſe &c. quod dicto 1349 anno, ad Comitatum de Küküllö (quod vix credi poſſet) pertinuit.

d. Per *Draus*, Darotzum, Draaß Germanis dictum, (Vide §. 99. n. 18. *h.*) intelligendum

eſſe

§. 152. ...

eſſe quamvis non negaverim: haud tamen reor, tempore emanationis Privilegii Nationalis ad terram Saxonum eum pertinuiſſe. Scilicet, *Darótz*, pagus eſt Sedis Saxonicalis Rupenſis extremus, in finibus Siculiæ, vnde proverbium de eo (Diſtrictui Barcenſi Frölichius meliori quadantenùs jure adplicuit) eſt: da das teutſche Vater unſer ein Ende hat: ſed olim fuiſſe eum Siculorum vicum, aut quod veriſimiliùs eſt, Oppidum, non obſcurè innuit ly: *Cum terra Siculorum*, *terra* v. l. *Sebus & terra Daraus*. Quemadmodùm enim terram *Sebus*, Siculorum fuiſſe evidenter docuimus: ita certè connexio verborum luculentiſſimè nos monet, per *Daraus* quoque locum Siculicalem intelligi debere. Quod enim generali termino Privilegium enunciavit: *terra Siculorum*; id ſpecialibus verbis hunc in modum explicat: *terra Sebus & Daraus*, ſcil. *Siculorum*. Crediderim proinde, vertentibus annis, *Darocinum* in jura Saxonum tranſiiſſe. Mirumne cuipiam videatur? Non eſt quam ob rem. Quædam ſanè loca Hungarorum Saxonibus attributa, ex adverſo, nonnulla Saxonum ad Hungaros, & fortè etiam Siculos, deveniſſe, extra dubitationem eſt. Hoc de Saxonibus, quorum terram emendam Privilegium Andreanum prohibuerat, difficilius eſt ſtatuere: conſtat tamen, quædam eorum quoque loca Hungaris poſtmodùm attributa fuiſſe. Dabimus cum locus nos admonuerit, hujus adſertionis exempla. Nunc unicum Oppidum *Al-Vintz* memoramus: hoc antiquitùs Saxonici juris, nunc Comitatûs Albenſis Hungarorum membrum eſt. §. 225. *n.* 5.

§. 152. № 2.

e. Conclusam his terminis, australi Transsilvaniæ parte, terram, Saxones licet insederint: in eodem tamen territorio, alios etiam, præter Saxones, populos habitasse, in comperto habemus. Sicut enim ante Saxonum in Transsilvaniam adventum, incolis, ad paucum licet numerum redactis, loca ea non penitùs erant vacua: ita sanè, ingressis Saxonibus, priores inde incolæ pulsi non sunt; sed ad definita, inter agrum Saxonibus adsignatum, loca revocati. Possessores hi, Saxonibus antiquiores, qui fuerint, Privilegium Andreanum, præter *Blacos* & *Bissenos*, non exhibet. *Blaci* sunt nostri Valachi, omnium consensu Scriptorum. *Bisseni* sive *Bessi*, corruptè *Biceni*, fuerunt, priscus Russiæ, (vt vult *P. Szegedi in Synopsi vitæ Belæ IV.*) aut Thraciæ (*Rev. Hanero* in Königlichen Siebenbürgen) populus; (Conf. §. 96. *n.* 2.) qui multas Transsilvaniæ regiones coluerunt, suamque memoriam in nonnullis pagis *Bessenyö* vocatis reliquerunt. At præter hos, alios quoque populos in penitiore Saxonum agro fuisse repertos, dubitandum non est. Fuére profectò Hungari non adeo pauci, qui tantum abest, vt priscis sedibus exturbati fuissent, vt potiùs in iis pagis, quos hodiedum inter vicos Saxonicos sparsim possident, pacificè relicti fuerint. Tales sunt pagi, in valle *Bolya* dicta: *Mártonfalva*, *Rovás*, *Bolya*, *Mihályfalva*, *Hidegviz*, & extra eam: *Szász - Veszöd*, *Szász-Ujfalu*, *Szász - Zalakna*, *Keresd*, *Bürkös*, *Kövesd*, *Sárpatak*, *Völdorf*, *Moha*, *Királyhalma*, aliique, ad Albensem omnes Comitatum pertinentes. Probè quidem novi, aliquos ex iis Saxonici juris fuisse olim; sicut nec desunt pagi Hungarici, qui

8. 152.

qui ex Comitatu Albenſi ad Saxones tranſiêre. Sunt etiam vici, quos Hungari ſimul & Saxones, in Comitatu, inhabitant: ſed eo Saxones poſtmodùm transmigraſſe jurisdictionique Comitatenſi ſe ſubmiſiſſe, inter comperta habemus. Quibus perpenſis, facilè conficitur, his Privilegii verbis: *unus ſit populus, & ſub uno Judice cenſeatur*, non id ſignificari, vt in circumſcripto à Varoſs ad Boralth territorio, nulli mortalium, præter Saxones fuerint, aut quod habitantes mixtim in fundo Saxonico Hungari, Valachi, *alii* Saxonico juri ſubjecti exſtiterint: ſed quod Saxones univerſi & ſinguli, in ea terra, quæ *Regius* eſt *Fundus*, habitantes, unus uſque ſit populus, vt Comitatuum, qui antea, ignotis jam hodie nobis nominibus viguerant, vel nomina ceſſent, præter Cibinienſem; nec diverſi, ſed unicus eis Comes ſit. De Judicatu rectè *Franck*: " Sub Divis, „ *inquit*, antiquis Regibus Hungariæ, à quibus „ immediatè dependebant, remoto omni judicio „ & imperio Vajvodali: ita, vt ſolius Regii Judicis Cibinienſis, & Regis judicio ſubfuerint --- „ ut ſublatis & ceſſantibus reliquis omnibus Comitatibus in Saxonica Natione exiſtentibus, „ unicus Comitatus, ſcilicet Cibinienſis, à ſola „ Majeſtate dependens ſupermanſerit. Hinc eſt, „ quod Fundus Saxonicus Provincialis, ejusdemque Officiales paſſim in Privilegiis Provinciales dicti fuerint, vt Conſul Provincialis, Notarius Provincialis. „ *Et paulo antea*: " Modus, *inquit*, adminiſtrandi eſt Ariſtocratico - Democraticus. Superior Magiſtratus, cui præcipùe cura juſtitiæ incumbit, eſt „ Judex Regius Cibinienſis, qui eſt totius Na-

J. 152. ... A.

„ tionis Saxonicæ Comes, vitâ durante confir„ matus, cui accedunt alii quoque Judices, (*post„ quam v. l. Comitatus Cibiniensis in aliquot Sedes „ divisus est*) sive Primarii illi sint, sive Regii. „ Curam verò Oeconomiæ Consules exercent, „ aut ubi illi desunt, Judices vel Villici. Consul „ verò Cibiniensis, qui cum Regio Judice Ci„ biniensi, sive Comite Nationis, *Universitatis* (sic „ vocatur Alma Natio Saxonum sæpius in Ar„ ticulis quoque Legum) respectu, Duum„ Viratum constituens, Oeconomiæ totius Uni„ versitatis, seu Saxonicæ Nationis præest.„ Sed revertamur. Loca antiquiorum possessorum, Fundo Saxonico mixtorum, cessantibus ibi Comitatibus, Albensi Comitatui adplicata fuerê, simul cum Districtu Fagaras (qui dein ab eo quoque avulsus est) & pagis nonnullis inter Siculos existentibus; quemadmodùm hoc quoque tempore videmus. Sed Seculis subsecutis, plurima, Valachorum præsertim, loca, ab Albensi Comitatu avulsa, & Saxonibus donata, vendita, *cet.* fuêre; prout hoc, de *Thalmáts*, *Boitza*, *Törtsvár*, *Hétfalu*, *Apátza*, aliisque convenienti loco referemus. In reliquis pagis, utpote ad Comitatum Albensem ex antiquis Comitatibus adplicatis, nihil statuere, nihil juris habere, Comes Cibiniensis quivit.

f. Quoniam Comites Nationis Sax. à populo eligi debebant; putant ideo nonnulli nunquam alium, nisi natione Saxonem, eo honore mactatum fuisse: sed contrarium docere videntur Instrumenta apud *P. Szegedium* in *Synopsi vitæ Belæ IV.* in quibus *Thomas* Wajvoda Transsilvaniæ etiam *Comes de Cibinio* scribitur An. 1324. quem origine Hungarum fuisse constat. *g.* Sil-

g. 152. ...

g. Silvæ *Blacorum* & *Biſſenorum* nomine, veniunt ſilvoſi montes, Valachiam excludentes, qui Cibinium, Diſtrictusque Fagaraſenſem & Barcenſem ex auſtro deſpectant: ea namque alpeſtria & ſubalpeſtria Valachi potiſſimum atque Biſſeni tenebant, immò † tenent hodieque. Indultum itaque Saxonibus fuit, vt tam ratione paſcuorum, quàm lignationum, montana alpeſtriaque loca cum iis communia poſſideant. Sed hanc indulgentiam de penitioribus Saxonici fundi terrenis minimè intellexerim; in quibus ſcilicet ager cujusque communitatis metalibus diſtingvebatur.

† Valachi

h. Terra Nationis Saxonicæ, de qua tot ſermones ſeruimus, quia ad unum Comitatum fuerat redacta, non ſtatim in diverſas ſedes, quas nunc complectitur, abiit. Nam *Carolus I.* Rex Hung. dum An. 1317. Privilegium Andreanum confirmaſſet, nullius Sedis fecit mentionem; ſed tanquam de uno Societatis corpore ſtilum inſtituit, in hæc verba: " Accedentes ad noſtram „ præſentiam Comites Blanz & Henningh, pro „ tota Univerſitate Saxonum de Cibinio &c. & „ *in Clauſula*: Nos igitur petitionibus dictorum „ Blanz & Henningh, Comitum, ac totius Uni„ verſitatis Saxonum prædictorum, *cet.* Ex quo ſimul ſequi videtur, duos eodem tempore Almam Saxonum Nationem Comites habuiſſe. Notatione etiam dignum, his Confirmationalibus omnium primùm *Saxones* publicè appellatos fuiſſe Germanos noſtros, quos Privilegium Andreanum communi ejus Seculi uſu *Teutones* dixerat, & *hoſpites* ſimul, quia aliunde accerſiti erant.

 Hun-

+ vid. §88.

Hungari æquè ac Siculi solebant olim, immò solent hodieque Saxones frequenter *Szomszéd*, id est *vicinum* (significantissimo vocabulo, ex *Szóm*', i. e. vocem, & *Szedö*, h. e. colligens; vt est natura lingvæ Hungaricæ) adpellitare; quod terram his contiguam, indigenæ ex hospitibus facti, hæreditario jure possideant, vocemque suam invicem audiant, h.e. mutuum quotidie commercium exerceant. Ludovicus quoque Rex (cujus antea frenum non ex nihilo Saxones Transsilvani mordebant, utpote illegaliter à Personalibus Regis tractati; vid. *Rev. Haner.* §. 218.) Confirmationalibus A. 1366. d. 21. Jun. exaratis, Privilegium roboravit; quæ terram Saxonicam in distinctas jam tum divisam fuisse Sedes testantur; cum in iis septem Sedium Saxonum Transsilvaniensium mentio fiat. Onus enim moderationis totius Universitatis Saxonicæ pluribus viris competebat. Ad hoc itaque tempus referenda sunt verba Franckii:* " Ipsimet, *inquit*, (*i. e. Saxones*) inter se „ invicem distribuerunt, ac distributione peracta, „ metales literas, super omnibus terris, quæ Co„ mitatus non habebant conterminos, formarunt. „ Ubi verò fundum nobilitarem habent vici„ num, ibi juncto cum Comitatensibus judicio, „ definitæ metæ, de quibus Principum Literæ „ territoriales passim prostant. „ Sed hæc sufficiant in Privilegium Andreanum, quod peculiari Libello illustravit *P. Szegedi.* J. S. sub titulo: *Andreas II. Saxonum in Transsilvania Libertatis assertor*, *Jaurini* 1751. Nec hic mihi libellus visus, nec *Reverendi GEORG. JEREM. HANERI Assertiones de Privilegio Saxonum Nationali.*

2. Non

3.152.

2. Non immeritò *Töppeltinus*, Saxones immunitatibus & privilegiis omnes alias Transſilvaniæ Nationes ſuperaſſe dixit. Cum enim Hungari & Siculi, jure belli terrarum ſuarum poſſeſſores fuerint, hæreditariosque earum ſe incolas probè noverint; vix de Donationibus & Privilegiis Nationalibus fuêre ſolliciti: at Saxones ſe hoſpites, h. e. ex aliis oris huc vocatos animo volventes, à plerisque Hungariæ Regibus, & Transſilvaniæ Principibus, aut nova Privilegia, aut confirmationem veterum impetravere. Tantis nixa Privilegiis Alma Natio Saxonica, fundo ſuo liberè, ceu proprietate fruitur. Dicitur quidem eadem terra Saxonica *Fundus Regius*, & certè eſt: non tamen *peculium* (qui terminus in antiquis Inſtrumentis, Saxonibus nunquam attributus legitur. *Franck*) nec *Regibus Fiſcalis*, in uſitata horum vocabulorum ſignificatione, dici poteſt. *Peculium dici* concedimus, quatenùs Divis Hungariæ Regibus peculiare quaſi clenodium, Coronæque Bonum, vt plurimi exiſtimant, fuerit; non autem, quod Jobbagionum more, ejus incolæ & poſſeſſores Saxones, ſubjecti fuiſſent: cum ii veri ſemper Cives, (vt Siculi Milites, & Hungari Nobiles) habiti ſint. Hinc An. 1664. 31. Jan. in Generalibus Patriæ Comitiis, *Art.* 26. ab ipſis Statibus, terminus *Peculii* abolitus eſt. Pariter in Codice Legum, *Compil. P.* 3. *T.* 13. *A.* 6. eandem æquivocationem ſublatam legimus. Nec *Fiſcalitas*, eo ſenſu, quo reliqua Bona Fiſcalia, dici terra Saxonica poteſt: ſed eatenùs ſolùm, quòd immediatè, ut liber populus, ab Imperante, non à Terreſtribus Dominis, regatur. Decimarum tamen tres partes, (quartâ Saxonum

Parochis relictâ) in Fiscum Principis inferuntur. Insuper, Seculo superiore, Glandium quoque fructum, & Piscinarum usum, sæpe non sine abusu, Fiscus Regius, è Fundo Saxonico, percepit. Hinc intelliguntur quidam Legum Articuli; e. gr. An. 1664. *Art.* 22. 23: *Dum Fiscus porcos saginandos, ad Fundum Regium mittit, aliorum ne immisceantur; imò, dum Fiscus glandes habuerit, Saxones ne graventur. Denique ligna a Fundo Regio ad usum Fisci vehi solita, cum scitu officialium pro meliori devehantur.* An. 1669. 25. Jan. *Art.* 6. & 7. *Piscinas in Fundo Regio Officiales Fisci, citra Principis necessitatem ne piscentur. Porcos dum in silvis Fisci glandes sunt, ne ad Fundum Regium pellant.* An. 1674. 17. Nov. *Art.* 13. *Piscinæ Universitatis, in rationem Fisci, per incolas loci piscentur, ne prævaricatio fiat; Fiscus tres solùm homines mittat.* An. 1678. 1. Octob. *Art.* 22. *Incolæ Fundi Regii, Piscinas in medio sui habitas annutiatim reparent.* Vide etiam *Compil. P.* 3. *T.* 13. *Art.* 2, 3. De his Franckius scripsit: " Glandium verò & Piscinarum abusum, ex Inclytorum Statuum consensu, Sacratiss. Cæs. Regiæque Majestatis confirmatione, juxta contractum, speramus correctum. " Et factum est ita. Porrò, abusuum præcipui, maximè inter Saxones, erant: *Gratuiti*, ad Fortalitia aliaque loca *labores. Cursorum* seu *Postarum intertentio, cet.* (Status enim Postalis in Transsilvania, Principum Austriacorum tempore, & speciatim An. 1722. in justum ordinem revocatus est) de qua Toppeltinus sic scribit: *Cursores Transsilvaniæ, laminam argenteam, Principis insignia referentem, corrigiâ ad collum suspendunt: Qua*

notâ

notâ celeriter diſcurrunt, & *deficiens jumentum*, *quovis alio permutandi privilegia habent.* (Ad modum nempe §. 1. Cap. 28. Lib. 3. Decretor. S. Ladislai Hung. Regis) *Aluntur que gratis ubique*, *publici Boni cauſâ.* *Gratuita* indeſinenter viatorum *victitatio*; quâ dum Principes patrii, hoſpitalitatis in extraneos jura, ſanctiſſima eſſe voluerunt; miſeram plebem bonis emunxerunt, exteros que ad otiandum allicuerunt. Suſtulit benigniſſimè D. LEOPOLDUS M. tam victitationem eam, quam Curſorum inſolentiam, vi Diplomatis An. 1691. 4. Dec. exarati (§ 124. *n. c.*) cujus *Puncto* 18vo ſic ſtatuit: " Tollimus à Saxonicæ Nationis, & „ totius ubique miſeræ Plebis cervicibus, per ab- „ uſum inveteratum gratuitam viatorum cujus- „ vis generis vel conditionis victitationem, equo- „ rum ac omnis generis jumentorum angariatio- „ nem; & Quartiriorum, aliosque ſimiles, præ- „ ſertim in dictam Nationem Saxonicam à via- „ toribus hactenus exercitos abuſus; Clementiſ- „ ſimè ſvadendo & jubendo, vt Poſtæ, remiſ- „ sâ priùs ad Aulam noſtram informatione, à „ Conſilio Statûs, Diverſoria verò, pro bene- „ volè recipiendis, juſtâ pecuniâ & pretio ci- „ bandis, itinerantibus, à Dominis Terreſtribus „ & Civitatibus conſtituantur. „ Nec Statuum Transſilvaniæ animus defuit, ad abolitionem eorum abuſuum, innuentibus locupleter *Articulis Compil. P.* 3. *T.* 1. & 2: ſed effectu Articuli, ob afflicta tempora, caruerunt plurimùm. Abolitus pariter *gratuitus labor*, de quo *Punct.* 9. *Regulamenti Militaris*, Militiæ in Transſilvania ſtativa haben is, An. 1759. emanati, ſic habet: "*La*- „ *bores - - currules*, cum curru, qualem miſer

„ Ruſticus hiſce laboribus aptum habet, 4. bo-
„ bus aut equis juncto, & uno famulo, pro 1.
„ Rfl. & 15. xf. *Manuales* verò unius hominis
„ pro 12. xf, ad rationem *duntaxat Servitii no-*
„ *ſtri*, & Præſidiorum reparationem, *non* autem
„ *ad privata* aut alia quæcunque *ſervitia* præſten-
„ tur. Verum tamen tempore meſſis, quæ
„ 27. Jun. incipit, & uſque 20. Aug. incluſi-
„ vè durat; vindemiarum item à 29. Septem.
„ uſque ad finem Octob. ejusmodi labores erga
„ etiam mercedem exigi non poterunt. - - Mi-
„ ſeræ cæterùm Plebi, pro ſuis laboribus, ad
„ finem cujuslibet Septimanæ, ſolutio indilatè
„ præſtetur. „ Nunc ſanè, Natio Saxonica, præter dictas Decimarum partes, ſoli ordinario Tributo, in Fundo Regio, ſubeſt: pro hoſpitio enim militari, vecturisque & præjuncturis, ordinariam (ſic & aliæ Nationes) ſolutionem accipit. Onus verò Tributi, miſerioris conditionis hominibus, eo videri poteſt levius; quo magis Cives omnes, & Armaliſtæ Nationales, vi Privilegii Nationalis, ad contribuendum ſunt obſtrictiores.

3. *a*. Quando, & qua occaſione, Saxones noſtri, etiam ad terras extra Fundum Regium ſitas, colonias extenderint, *P. Szegedi* in *Synopſi vitæ Belæ IV.* hac narratione tradit: " *Saxones*, tempo-
„ ri ſervientes, poſt modicam reſiſtentiam, Tar-
„ taris ſe ſubdidêre, (*ſcil. tempore Belæ IV. vid.*
„ §. 96. *n.* 8.) ſicque Urbes, & Colonias ſuas,
„ penè indemnes ſervavêre: imo ultra *terram*
„ *Regiam*, quam Andreas II. eis colendam defi-
„ nierat; etiam ad terram Nobilium, in Comi-

„ ta-

§. 152. ...

„ tatibus ſitam , & cultoribus penè vacuam (poſ-
„ ſeſſione, uſu etiam hodierno firmata) Colo-
„ nias extenderunt: Haud invitis, imò lætanti-
„ bus Fundorum Dominis, qui cladem evaſe-
„ rant; vt refertos ſentibus agros (Vix enim
„ his annis, quidquam ab Ungaris ſeminari po-
„ terat) induſtria Cultorum manus fructuoſos
„ redderet. Qua occaſione, migrantes è ſub-
„ alpeſtri, ac minus fertili regione, in Comi-
„ tatum præſertim Albenſem & Küküllöjenſem
„ Saxones; *Blacis* ut tunc vocabantur, ſeu *Va-*
„ *lachis*, locum ampliorem ad culturam, & plu-
„ res Colonias evocandas fecêre. - - - Neque
„ *militarem gloriam*, quam ſub dicto Andrea,
„ Alma hæc Natio, in Expeditione Hieroſoly-
„ mitana ſibi comparavit, imminutum ibimus.
„ Contra quam ſi opponas: Non paucos ex ea,
„ Tartaris arma, & adverſus Ungaros, cum iiſ-
„ dem militaſſe; (*vid. Tim. Immag. Nov. Hung.*
„ *c.* 10.) Repono: idem conſtare, ex *M. Ro-*
„ *gerio*, etiam de Ungaris, ad eosdem Barba-
„ ros deficientibus: Quos præ Tartaris, crude-
„ les & impios evaſiſſe; idem *Nobilis captivus* ex-
„ pertus eſt, deploratque juſtis lachrymis non
„ unó locó narrationis ſuæ. „ Sit ita, de Al-
benſis ac Küküllöenſis Comitatuum, pleriſque
ſaltem, pagis Saxonicis; quamvis Domini eo-
rum Terreſtres, quorum agrum colunt, Inſtru-
mentis ſuis, ſi quæ ſuperant, certiora nos doce-
re poſſent: ſed quid de Saxonibus Comitatuum,
Thorda, Kolos, Doboka, & Diſtrictûs Biſtri-
cienſis ſtatuendum? Horum enim multos, ſi
non omnes, ante Tatarorum irruptionem, lo-
ca, quorum meminimus, poſſediſſe, teſtantur,
inter

inter cetera, Civitatum, Claudiopolis & Biſtricii initia à Saxonibus ſumta: nam Claudiopolim An. 1178, Biſtricium An. 1206. ſtructuram accepiſſe ſuam, concordiſſima Auctorum ſuffragia teſtantur. Opinio hoc in argumento mea, quam tenuem ſimulatione procul fateor, hæc eſt: Saxones Comitatenſes, nulli Domino Terreſtri ſubditi, quales fuêre cumprimis Claudiopolitani; Fiſcalem, procul dubio, terram, Fundo Regio quadantenus incorporandam, à Geyza aut alio quopiam Hung. Rege impetrarunt, libertateque Nationis ſuæ gaudentes, ad *unum populum* antiquiſſimis temporibus pertinuerunt. At Saxones in Fundis Jobbagionalibus reſidentes, Domini Terreſtres in territoria ſua receperunt. Aliquas verò horum Familias poſt vaſtationem Transſilvaniæ per Tataros factam, ad eas terras cultoribus fermè vacuas, à fundorum Dominis admiſſas quamvis non negaverim: arbitror tamen complures, in ipſo primo adventu ex Germania & Hungaria, in Comitatibus ſubſtitiſſe; Fundo Regio omnibus *hoſpitibus* non ſuppetente. Poſtquam enim Familias Teutonicas, Fundum in Transſilvania Regium, opimum & frugum fertiliſſimum, quietè poſſidere, reli ui Germani comperiſſent: aliqui eorum, Soli (quod pluribus barbaris frequentatum antea forſan reformidabant) bonitate allecti, hanc, vt reor, provinciam ſalutarunt, ſedesque in Comitatibus fixerunt. *Nunquam enim natio Ungarica implevit terram, quam præſidiis occupârat.* Huic, quod dixi, ratione Biſtricienſium, eruditus Saxo, apud Timonem, *Imag. Nov. Hung. Cap.* X. adſtipulatur, in hæc verba: " Biſtricienſem (*Sedem*) ortam eſſe ex

„ Sa-

„ Saxonibus, qui ex Scepusio in Transsilvaniam
„ demigravissent. Hosque non multo post, con-
„ cessu Regis Emerici, vel Andreæ, eversâ ar-
„ ce vicinâ, excussisse jugum quorundam Nobi-
„ lium, constituisseque Civitatem, inchoato Bi-
„ stricio Oppido An. 1206. Progrediente tem-
„ pore, ceteris Saxonibus consociatos esse. „
Hæc narratio interim evertit adsertionem *Franckii*, quam sic instituerat: " Bistricienses etiam, quà
„ originem homines, velut nunc sunt, ita libe-
„ ri Regiique erant à primo ingressu; Potentio-
„ rum tamen vi subacti, formatus erat ex eo-
„ rum Districtu peculiaris Comitatus, cujus Do-
„ minus erat Johannes Huniades. Ubi verò Mat-
„ thiæ Corvino, communi justitiæ assertori Hu-
„ niadis filio, justum gravamen, de violenta sui
„ oppressione proposuerant, manumissi sunt,
„ specialique indultu, ac solenni Privilegio ita
„ instructi, vt citra infidelitatis, notam, vi re-
„ pellere possint eos, qui Regiam eorum liber-
„ tatem, potentiâ lacesserent. *Brevicul. p. m.* 39,
„ 40. „ Hanc sanè Bistriciensium *Manumissionem*, sic *Novæ Daciæ* Auctor docet: " Depen-
„ sa Saxones (*Bistricienses*) ingenti æris summâ,
„ Civitatem in jus suum & municipium adsci-
„ verunt, tum verò muris ac turribus circum-
„ datam ampliùs ornarunt, quàm firmarunt.
„ *Vid. P. Spec.*

b. Distinctio itaque inter *Saxones Regios* (sic adpellantur Fundum Regium colentes, tam alibi, quàm Art. Anni 1616.) & *Comitatenses* est maxima. *His* namque in Comitatibus jus dicitur: *illis* Sedium suarum Magistratus leges dant;

habent

habent inſuper morem celebrandi quotannis, circa Feſtum Catharinæ, *inter ſe Cibinii Congregationem publicam*, *habent item propria jura municipalia*. Vid. §. 154. *n.* 1. Saxones *Comitatenſes*, excluſis paucis Civibus & Oppidanis, Jobbagiones ſunt Magnatum atque Nobilium: *Regii* verò omnes Civium inſtar conſiderandi.

c. Saxonibus Regiis tranſitus in Comitatus non amplius conceditur. Seculo quoque ſuperiori, magnæ ſanè id Comiti Almæ Nationis & Sedium Saxonicarum Officialibus curæ fuit, ne in Comitatus ulli transmigrent, aut qui migraſſent reducantur. Requiſiti ideo Status, non ſemel Articulos, ea de re, in Comitiis, tulerunt. En pro ſpecimine; An. 1608. 21. Sept.: *E Saxonibus, qui ob penuriam frumenti Siculis ſemet ad Jobbagionatum obligarunt, ea lege liberantur, vt quod perceperant, reſundant.* An. 1616. 17. Apr: *Saxones Regii, loca Nobilium antea emigrantes, niſi ad Jobbagionatum ſe obligaſſent, regredi permittuntur.* Idem *Art.* An. 1618. 12. Apr. in priorem vigorem revocatus eſt. Id unum adhuc, licet præter ordinem, memorandum cenſemus: ſuperiori Seculo, erat de more, vt malefactores inveſtigarentur, omnibus in Comitatibus & Sedibus. Inveſtigatio ea vulgò *Circalás* dicebatur. Circa eam, reſpectu Saxonum, hæc ſtatuta fuêre; *Articulo* An. 1616. 17. Apr. *Vice Comites, in Fundo Regio malefactores proſequendi facultatem nunquam habuerunt, nec habeant.* An. 1620. 5. Apr. ſtatuitur, *Comitatuum Comites etiam in Fundo Regio Malefactores inveſtigare proſequique poſſe; at non executiones alias peragere.*

§. CLIII.

§. CLIII.

Terra, quam Saxones Regii inhabitant, *Fundus Regius* dicta, Sedes & Districtus complectitur sequentes: 1. *Sedem Cibiniensem*, cum Libera Regiaque Civitate Cibinio, & 30. pagis. Huc præterea pertinent Sedes incorporatæ; *a.*) *Selistye*, cum sex pagis. *b.*) *Talmáts*, cum sex vicis, & 5. locis particularibus. Nec non *Bona-septem Judicum* 1., cum 9. pagis. 2. *Sedem Schæsburgensem*, (Schäsburger-Stuhl) cum L. Rque Civitate Schæsburgo Opp. 1. ac 14. pagis. 3. *Districtum Coronensem*, cum L. R. Civitate Corona, 4. Oppidis, 9. pagis Regiis, 12. pagis Civitatis Coronensis, 1. pago Militari, & Arce Törtsvár. 4. *Sedem Mediensem*, cum L. R. C. Media, 3. Oppidis & 23. pagis. 5. *Districtum Bistricensem*, cum L. R. C. Bistricio & 46. pagis. 6. *Sedem Sabesiensem*, cum L. R. C. Sabeso, & 10. pagis. 7. *Sedem Mercuriensem*, cum 1. Oppido & 11. pagis. 8. *Sedem Nagy-Sinkensem* sive *Grosz-Schenkensem*, cum 2. Oppidis & 20. pagis. 9. *Sedem Rupensem*, cum 1. Oppido & 17. pagis. 10. *Sedem Leschkirchen-*

154. ...

chensem five *Ujegybázienſem*, cum 1. Op. & 11. pagis. 11. *Sedem Szászs-Városenſem* five *Brooszenſem*, cum Op. 1. & 14. pagis. Quorum omnium cognitionem *Pars specialis* tradet 2. vid. p. 588.

1. *Bona 7. Judicum* dicuntur pagi, quos jure Nobilitari Alma Natio possidet, quique sub inspectione & judicio Magiſtratûs Cibinienſis exiſtunt; ſunt verò ii: Michelsberg, Reuſſen, Bulkeſch, Seiden, (media parte) Klein-Probsdorff, Groß-Probsdorff, Kreutz, Meſchendorff, Klosdorff. Ut ut verò plures ſint Circuli Saxonum atque eorum Judices, numero ſeptenario: ſeptem tamen Iudices hic nominantur, quod Fundus Regius in ſeptem Sedes & Judicatus primitùs partitus fuerit. *§.* 152. *n.* 1. *b.* Habent quidam Saxonum Circuli particularia quoque ſua Bona, vt videre eſt apud *Franckium.*

2. Aperiet *Pars ſpecialis*, in ambitu horum Circulorum, h. e. Sedium & Diſtrictuum nomina plurium locorum merè hungarica eſſe: quod, vt benè *Timon* advertit, maximo argumento eſt, poſteriores eorum locorum incolas Hungaris eſſe Saxones.

§. CLIV.

Hanc licet Terram, à ſex Seculis & quod porro eſt, Tranſſilvano-Saxones, ita à ſua gente Germanica remoti, colant: non tamen à virtute, induſtria, mo-

J. 154.

moribus & inſtitutis majorum degenerarunt 1., nec lingvam abjecerunt 2., veſtes tamen ſuas 3., ad Hungaricas conformarunt.

1. Placet, huc verba Auctoris *Novæ Daciæ p. 15.* transferre: " Teutones, *inquit*, (*vocantur Saxones*) quia cum Germanis & Saxonibus in Saxonia Germanica habitantibus communem Patrem Tuiſconem agnoſcunt: communem juris-dicundi regendique formam profitentur. Atque ſi verum dicere fas ſit, genus eſt hominum laboris patientiſſimum; idcirco cæteris ſunt locupletiores, inque ſua lucra valdè oculati, *cet.* " Addidit his *Val. Franck. Brevic. p. m.* 20: " Imo ordines etiam Civitatum, ad formam Saxonicarum aliarumque Urbium Imperii, conſtituerunt. *Item pag.* 49. " Antequam autem Saxones *Statuta* (*i. e. Codicem Jurium municipalium*) ſua haberent, in ferendis Legibus, antiquo Codice manuſcripto Noribergenſi (qui adhuc in Curia Cibiniana viſitur, & uſque ad noſtra tempora noviter inaugurati Senatores, impoſitis ſuper eo digitis, juramento Reipublicæ obligantur) & conſvetudinario jure uſi ſunt. " Habent ſcil. propria Jura municipalia, ſub titulo *Statutorum*, à Matthia *Fronio*, Notario Coronenſi compilata, & per celeberrimum Dñum Albertum Hutterum Judicem Regium Cibinienſem, & quosdam aliarum Civitatum Officiales ſocios, Divo Stephano Bathori, Regi Poloniæ (*qui Tranſſilvaniæ Principem ſe ſcripſit, jam Rex Poloniæ;*

§. 154. ...

Transsilvania etiam dominium ejus ita observabat, vt quoad vixit, nihil ardui ipso inscio & inconsulto adgrederetur; imò Diplomata quoque majoris momenti ipse corroborabat, Wolffg. Betl. p. 352. Vid. §. 270. *n.* 1.) ad ratificandum exhibita, tunc (A. „ 1583.) ab Eodem, nunc etiam à Sua Maie- „ state (*D. Leopoldo Imp.*) Sacratissima confir- „ mata. „

2. Qui Saxones, gentem Gothicam putant, ejus etiam originis eorum Lingvam esse contendunt. Sat copiosus hac in materia est, *Joh. Tröſterus, Cibinio-Transylv. SS. Th. & Philosoph. Medicæ Studiosus*, qui in Alt- und Neu-Teutsche *Dacia*, 1666. 12. Norib. edita, Lib. 1. Cap. 8. & 9. legi potest. Adserit is Regum quoque Gothicorum nomina, Germanica fuisse, vt adeo *Valamirus*, quasi Wald-Mayr, i. e. Silvarum Dominus fuerit, voce Mayr, Dominum significante; *Widimirus*, quasi Weid-Mayr; *Conson*, quasi Gottesohn. Idem *Tröſterus*, pro scopo suo, componit Lingvam Gothicam & antiquam Saxonicam, utriusque convenientiam probaturus. Orationem Dominicam sic Gothicè sonasse refert: *Atta unsar thu in himina. Weihnai namo thein, Vimai thiadinassus theins. Vairthai vilga theins, sue in himina, gab ana airthai*, cet. antiquâ Saxonum lingvâ: *Feadar ure, thu the carton heofenum. Si thin nama gehalgod. To cume thin Ricke. Gewurthe thin Willa on carthan swa, swa on heafenum cet.* Hæc & plura ille l. c. ex *Vulcanii Tractatu.* Transsilvano-Saxones communi cum Germanis scriptura utuntur, idiomate à Vestphalica dialecto parum discrepante, *Franck p.* 21. Cer-

tum

§. 154. ...

tum omnibusque extra dubium eſt, ſcripturam communem cum Germaniæ populis habere; at enunciatio vocum qualis ſit, aliquot vocabulis commonſtro. Dicunt noſtri Saxones: *Kripes* pro Krebs: *Bum* pro Baum: *Woſzer* pro Waſſer: *Meckter* pro Mutter: *Pſärd* p. Pferd: *Bárg* p. Berg: *Fliſch* p. Fleiſch: *Deiwel* p. Teuffel: *drenken* p. trinken, *cet.* Orationem Dominicam, apud *Tröſterum* Lib. 2. c. 8. hunc in modum recitant: "Foater auſer dier dau beſt em Hemmel „ geheleget verde deing numen, zaukomm aus „ deing rech, deing vell geſchey aff ierden, „ als vey em hemmel, auſer däglich briut gaff „ aus heigd, ond fergaff aus auſer Schuld, vey „ mir fergien auſer en Schuldigern. Feir aus „ nèt en ferſechung, ſaunderen erlüs aus von „ dem üwell. Denn deing eſs dat rech, dei „ krafft, ond dei herrleget, von ieveget, „ zau ieveget. Amen. „

3. De Veſtitu Saxonum longam narrationem adornavit *Tröſterus* Lib. 2. c. 9, 10, 11, 12. & *Toppeltinus Cap.* 12. nos in compendio quædam referimus. *Induſium* habent germanicum, quod v. l. etiam collum ambit: hoc à Germanis ac Saxonibus, Hungari Siculique mutuarunt, nondum tamen omnes; cum ſint magno adhuc numero, (vt omnes quoque Valachi) quorum induſium ad ingvina defluens, collum nudum relinquat, niſi focali (ſed & eo nonnulli carent, olim caruerunt fortè omnes,) tegatur. *Tunica* atque *Toga* prolixior, ac Hungarorum. Tunicam tegit Toga pellibus ſubducta. Supra Tunicam medius homo cingitur cordis infinitorum ordinum,

aut *Zonâ* pannea. Pro Tunica tamen & Zona ſæpe exomis induitur. *Tibialia* ſive *Caligæ* Femoralibus cohærent, & contigua à lumbis ad talos uſque ſtrictim dimittuntur. Plebeis paganis inter Saxones, æque ac Hungaros quosdam, ſunt paſſim *Caligæ linteatæ*, diebus æſtivis. *Calcei* nigri nitidi, pedem & crus univerſum ambientes uſque ad genua. Sunt paganis etiam tales, quibus femur, dum oportet, involvatur: at hæc pars circa genua plerumque plicata ſervatur. *Feminæ* Saxonum veſtiuntur *Interulâ* ſtriatim manuleatâ, *exomide*, aliisque. Habent & *Colobia* lintea, ex byſſo ſæpe vel carbaſo conſuta, undique rugoſa, ſinuoſa & ampla. *Calceus* coriaceus (quali & Hungaræ Siculæque ante 17^mum^ Seculum inſtruebantur) excreſcit à planta peraltè, vt etiam femora poſſent inmitti; niſi in plicas ornatiſſimas collectus, ſuris duntaxat vinciendis aptaretur. Puellæ rediminnt capita corollis nigris ſericeis villoſis; ditiores argenteis, inauratis, gemmis & unionibus exornatis. Plura videſis apud cc. *AA.* at cum unicus adſpectus centum deſcriptionibus hac in re præſtet; curioſus quisque oculatus experiatur. Quam Saxones avi barbam alebant, nepotes detonderunt, myſtace contenti; quem pariter multi à Germanis docti deradunt. De ritibus convivialibus, de ſollemnitatibus funerum, *cet.* conſule memoratum toties Toppeltinum.

§. CLV.

Alma Natio Saxonica augetur in dies incremento, novis ex Germania advenien-

nientibus Familiis : *Germanis* ſiquidem jus Civitatis in Fundo Regio pateat.

1. *Mart. Kelpius* memoriæ prodidit : Jam dudum, *inquit*, omnes Saxones in Hungaricos mores, linguam, forſan & gentem, facile fuiſſe transmigraturos, niſi Urbes ipſorum hoc vallarentur privilegio : quod nulli etiam potentiſſimo Nobili (quantominùs ignobilibus) ex Hungarico genere concedatur in Saxonum Urbibus comparare domos ; cum tamen germanis omnibus, quicunque ex Germania vel Hungaria eo commigrant, aut caſu feruntur, Civitatis jus inter ipſos pateat, *cet Ita ille.* Antequam de Germanis quædam adnecterem, ex occaſione in verba Kelpii nonnullos adfero *Articulos.* An. 1614. 23. Febr. Diætaliter *ſtatuebatur, vt Cives tempore motuum ac bellorum, univerſam Nobilitatem, intra Urbem, cum rebus mobilibus, & etiam pecoribus, absque taxa admittere, & rurſus cum Bonis regredi permittere debeant; Bona eorum hoſti ne extradent; nec ſi deditio fiat, aut pax ineatur, hos è Conditionibus negligant. Taxa tamen hoſpitii præſtetur.* An. 1625. 1. Maji, *Art.* 1. *Statuitur, in Urbes & Civitates muratas* (Hungari enim & Siculi proprias non habebant) *Principem & Nobilitatem* (*non ut ante fiebat*) *temporibus motuum & belli recipi debere ; quin Princeps libere inter eos reſideat, & Præſidiarii ejus, cum Præſidiariis Civium, Portis æqualiter excubent ; & utraque Natio, fundos domosque Civiles liberè emere poſſit : quo tamen nihil Privilegiis eorum derogatur.* An. 1661. 2. Jun. *Art* 3 : *Saxones de admittendis intra Urbes*

§.155.

Hungaris Assecuratorias dant; & simul à duabus Nationibus assecurantur, nihil per hoc eorum Privilegiis derogari; quin ingressi in Urbes suis expensis vivant. Valeant hæc, quantum valere possunt; sed certum est, perpetuum incolatum, nonnisi Germani sangvinis familiis, vi privilegii, concedi. Utuntur tamen, plurimi Hungarorum, domibus in Civitatibus Saxonum conductitiis. Imò complures præsertim Coronæ in Suburbio, perpetuum quadantenùs incolatum obtinuerunt: domos enim & fundos emùnt ac inhabitant; non soli verò Hungari, sed & Valachi, Bulgari, aliique: hac tamen lege: vt Saxones deposita emtionis summâ, turbare Hungaros è fundo possint, Hungari æque Valachos. Hungari interim prærogativis Civilibus inter Saxones non gaudent. At Germani, de quibus sermonem instituimus, coalescunt cum Saxonibus, sicque artes, ritus & habitus abinvicem mutuantur. Hinc fortè Lingva Saxonum, propiùs ad verè Germanicam dialectum sensim accessitat. Et vestitus, Saxonum complurium, æstivùs, pelles (quas eorum Hungarorumque togæ commodè hieme adnexas gerunt) abolevit, habitum Germanicum imitaturus. Erit ergo, quo fortè *Frölichium* dicti pudebit: *Nec pudet*, inquit, *quosdam per totam æstatem calidissimam, vestes pellibus vulpinis subductas gestare.* Germani novi adventûs omnes, *Német* (singulari nominativo) Hungaris, à *Nemetibus*, priscis Germaniæ populis, nomine speciali in generale transeunte, dicuntur. Et quemadmodùm Germani Hungaris per jocum objiciunt: Der Hunger ist ein Unger; ita hi Germanis: *Német, Nem ett.* Nem ett verò Hungaris significat: *Non comedit.* Non comedit. 2. Hæ,

vid. p. 589.

2. Hæ, de quibus prolixè egimus, ſunt *Unitæ* ſive *Receptæ Nationes*, h. e. quæ jus Civitatis habent, Ordinesque Statuum conficiunt. Ordine politico, *Hungari*, reliquis Nationibus, vel ex eo antecellunt, quod omnes Tranſſilvaniæ Principes patrii, ex eorum Natione fuerint electi. Eos excipiunt *Siculi*, qui cum Hungaris vnius licet originis & lingvæ ſint homines; politicè tamen & reſpectu Statûs publici, vt duæ Nationes meritò conſiderantur. Siculos ſequuntur Saxones, paria Vota & Civitatis jura cum Hung. ac Sic. habentes. Eo moderamine harum Vnio Nationum colitur, *quod etiam ſi Nationes ſuper re indifferenti concludant, pluralitas omninò votorum prævalere debeat. Quod ſi tamen injuriam & damnum tertiæ feriant, jus illius indemne, ſartum tectumque habeatur; imò juxta Inſtrumentum concordiæ, Art. Faſſionis 4. An. 1459. emanatum, memorati duo Status, tertii privilegia & jura manutenere teneantur; quod ſingulis tribus Nationibus commune eſt.*

B. DE NATIONIBUS TOLERATIS.

§. CLVI.

Toleratarum in Tranſſilvania *Nationum* numerum ingrediuntur: *Valachi*, *Armeni*, *Græci*, *Judæi*, *Moravi*, *Poloni*, *Ruſſi*, *Bulgari*, *Servii*, *Sclavi* & *Zingari*; quorum confluxus miſcere orientem occidenti videtur. De ſingulis ſuccinctim.

g.156.oc. k.

1. *Toleratæ* dicuntur hæ *Gentes*, quod jus Civitatis, & acceſſus ad honores politicos Principatûs publicos non habeant; ſed ex gratia ſaltim tolerari præſumantur. *Receptæ* tamen eatenùs dici queunt, quatenùs pleræque earum, & imprimis Valachi, non admiſſi ſolùm ſunt ad territoria Dominorum Terreſtrium, ſed ita etiam obligatione Jobbagionali obſtricti, vt vel volentes, poteſtate migrandi deſtituantur. Sunt tamen etiam Valachi liberæ conditionis, non ita pauci, §. 214. Nec carere Valachis, ſine irreparabili damno, Nobiles Transſilvani poſſent: eorum ſiquidem ſervitiis Jobbagionalibus utantur potiſſimùm. Tantus namque eſt numerus Valachorum; vt reliquorum omnium Transſilvaniæ populorum perſonas non modò adæquent, ſed & multo ſuperent. Hoc vel inde conjicias, vt Valachorum An. 1761. connumeratorum (exclufis quidem Diſtrictûs Barcenſis incolis. numeroſis iis,) animæ, ſummam 547243. conſtituerunt. Anno autem 1766, conſcriptione religioſâ per Seniores & Decanos Diœceſium factâ, ſunt reperti: *Romano Catholici* 93135. *Reformati* ſive Helvet. Conf. addicti 140043. *Lutherani* 130365. *Unitarii* ſive Sociniani (præter eos, qui remotè a ſuæ Religionis Eccleſiis ſparſim, at non multo numero, degunt) 28647. En! Hungari, Siculi, Saxonesque & Germani, imò etiam Armeni, Poloni & Ruſſi nonnullique ex aliis gentibus Transſilvaniæ, his quatuor Religionibus complectuntur, ſummam tamen 392190. perſonarum, non longè relinquunt. Adde his Græcos, Judæos, Moravos, Zingaros, & ſi qui ſunt, alios: non uſque multi hi ſunt. Nec ſic ergò

nume-

3.156.

numerum Valachorum peræquabunt. Notandum tamen, Valachos inter cenſeri etiam Bulgaros & Servios.

2. *Valachorum* equidem & *Armenorum* populi, ſunt inter *Gentes Toleratas*, generatim loquendo: at ſpeciatim, ſunt ex iis, qui Unitis Nationibus adnumerentur. *Armeni* enim, Religionem Romano-Catholicam amplectentes, Jus Civitatis, ab Auguſt. quondam Imp. & Principe CAROLO VI. impetrarunt, duoque Oppida Privilegiata & Taxalia, *Armenopolim* v. l. & *Eliſabethopolim*, ad incolendum obtinuerunt. *Valachorum* verò nonnulli ſuperiori adhuc Seculo Nobilitari prærogativâ donati, jus Unitarum Nationum accepiſſe videntur. Hoc, quod dixi, innuit *Art.* An. 1678. 1. Oct. conditus, quo ſtatuitur: *Græci & Popæ Valachici, nobilitari in poſterum non poſſint, nec Bona poſſidere*; (nempe hæreditario jure) *hactenus nobilitati Armales producant & Regno incorporentur. Si qui Bona adquiſiviſſent, ab iis hæres aut vicinus, juxta Art. anni 1671. revindicet.* An. 1680. 18. Maji, *Art.* 7: *Nobiles Raſciani & Valachi in Tövis, Borbánd & alibi, æqualia onera cum plebe in Birſagiis Communitatem tangentibus ſupportent.* Præſenti verò Seculo, & An. 1744, Articulo 6to ejusdem anni, declaratum eſt, Parochos Valachorum Græci Ritûs Unitorum, (cum & illi Romano-Catholici ſint) aliosque Valachos nobilitari prærogativâ gaudentes, vbi per adeptionem Bonorum ſedem ſibi fixerint, reliquis Patriæ Civibus adnumerandos eſſe. Hoc autem factum eſt *absque Quartæ Nationalitatis Erectione*; nec ad plebeos, vel filios Poparum è

§. 157. ad 2

plebea sorte assumptorum extensum: ne Systema hujus Principatus è Tribus Receptis Nationibus constitutum everteretur, neve Plebs Valachorum, aliorumque Advenarum, numerum inter Nationes faceret, ac vel ulli Trium Nationum, earumque Juribus, Privilegiis, immunitatibus & Prærogativis, præjudicio esset. *l. c.*

3. Toleratarum Nationum cognitioni inserviunt AA. sequentes: 1. *P. Andr. Illiæ S.J. Ortus & Progressus variarum in Dacia Gentium ac Religionum*, edit. Claudiopoli 12. & 8vo. 2.) *Toppeltini, Ortus & Occasus Transylvanorum.* 3.) *Valent. Franck, Breviculus Originum Nationum.* 4.) *Mart. Schmeitzel, Dissert Epistolica de Statu Eccl. Lutheranæ in Transsilvania.* 5.) *Andr. Huszti, O és Uj Dacia M. S.* 6.) *Franc. Fasching S. J, Nova Dacia.* 7.) *Articuli Diætales Transsilvaniæ.*

§. CLVII.

I. VALACHI 1. à Romanis oriundi 2., è Coloniis, à Trajano & ceteris Imperatoribus, in Daciam deductis promanarunt, (§. *VIII. n.* 2. & *IX.* 7.) & ad facienda Nobilibus Transsilvanis officia servilia 3. devenerunt: non tamen penitùs, tot seculorum cursu, ab avita linguâ 4.. & majorum suorum consvetudinibus 5. defecerunt.

1. De

1. De *Valachis* uſque ad Cinnami Græci Hiſtorici (qui Sec. 12mo floruit) ſcriptiones, literis, quod ſciam, nihil traditum eſt. Ille bellum Manuelis Græcorum Imperatoris & Hungarorum, circa An. 1168. perſcribens, *Blacos* nominat; quam eorum appellationem retinuit *Andreas II.* in Privilegio Saxonibus dato, §. 152. *n.* 1. Innocentius P. M. quoque apud Reynaldum, An. 1203, & ſequenti, Valachiam dixit *Blachiam.* Saxonibus noſtris Valachus inde *Bloch* audit, ſed Germanis Walach. Aliis dein appellabantur *Valachi* ſive *Vlachi*; & rectiùs quidem, quàm *Blachi*: *B.* enim pro *V.* in Latino, Interpretes Zonaræ, Cedrini & aliorum Hiſtoricorum vitiosè uſurparint, contra molliorem pronunciandi rationem Græcorum: quos imitantes Turci, non *Iblach*, ſed *Iſlach*, dicunt. Sed unde hæc Romanorum fragmenta *Valachorum* ſive *Walachorum* nomen obtinuerunt? *Filſtich*, cujus mox cum laude meminerimus, à Germanico Wallen derivari putat: " Nobis, *inquiens*, vero ſimilior „ illorum videtur ſententia, qui Valachos, cum „ *Carione*, *Tepeltino*, aliisque, à Germanico ver- „ bo Wallen, i. e. peregrinari, denominatos „ volunt; eo, quod Genti Teutonicæ uſitatum „ fuerit, omnes ex Italia venientes populos no- „ minare *Valeos* ſive *Valones* aut Wanderer, à „ qua voce temporum lapſu nomen Valachorum „ videtur exortum. „ *Jo. Leonclavius* quoque in *Pandect. Hiſt. Turc.* hoc nomen à Germanis profectum arbitratur. Aliqui, auctore *Ænea Sylvio*, ex his Ovidii:

J. 152.85. 2.

Præfuit his Græcine locis modo Flaccus, *& illa*
Ripa ferax Iſtri ſub Duce tuta fuit. Lib. IV.
de Ponto.

putant à *Flacco* Duce Romano, qui Colonias Romanas in Transſilvaniam introduxerit, dictos fuiſſe *Flachos*, & molliori poſtmodum pronunciatione *Falachos* atque *Valachos*. Alii, fabuloſa origine, à *Volga* Moſcorum fluvio quaſi *Volgachos*, quidam ab Angliæ *Vallia* Valachos dictos eſſe augurantur. Sed valeant hæc & ſimilia figmenta! Valachi enim nec ex Wallia, nec à Volga Transſilvaniam immigrarunt. Nec Valachorum ulla fuit in Transſilvania Natio, Ovidii de Flacco canentis ætate. Rectiſſimè omnium, ut mihi quidem videtur, *Timon*, ex vocabulo Sclavonico *Wlach*, quod Italum ſignificat, *Valachos* nuncupatos retur. Quam ſententiam plures probant; tam quod ipſimet Valachi Italorum ſint ſoboles, quàm quod ſæpè cum Sclavis commercium vincinitasque iis fuit. Hungaris Valachus *Olá* (parvo admodum ab *Olaſz*, quod iisdem Italum ſignificat, diſcrimine) & in quibusdam ſcriptis *Voláh* vocatur. Ex hocque hungarico, Carolo I. Regni Hung. gubernacula tenente, quibusdam Hungaris, in Latinis quoque ſcriptis, *Olachi* & *Olahi* appellabantur. Nonne *Nicolaus* etiam *Olahus*, natione Valachus, Archi-Epiſcopus Strigonienſis?

2. Valachos, genus quidem hominum ſatis obſcurum & incultum, at majorum ſuorum ſplendore celebre, *Joh. Samoſius* Romanorum cognatos eſſe nullâ auctoritate negat. Graves quippe Scriptores, exteri iuxta & domeſtici, nihil magis in com-

comperto habent, quam Valachos promanasse à Romanis, qui ex remotioribus suæ ditionis provinciis, infinitas ferè Colonias in Daciam devictam transtulerunt; non quod agros colerent modò, sed & Urbibus toties devastatis pristinum splendorem darent. Romanis autem pluribus, An. Chr. 274. demigrantibus, (§ 9. n. 1.) non extincta in Dacia fuit Romana memoria: sed multæ eorum reliquiæ, cum Dacis indigenis retro manserant. Cave tamen putes, omnes hodiernos Transsilvaniæ Valachos ab his Romanis remansisse, quos primum Trajanus in Transsilvaniam sparserat. Hunnorum, Avarum, Hungarorumque armis, multi eorum Dacorumque fuerunt deleti: reliqui ad montana, quæ hodiedum in posteris retinent, è continente se se receperunt, subditique vixerunt. Sed insuper fuerunt numerosæ Romanorum coloniæ, in Mœsia, Bulgaria, Servia, & locis circa Danubium sitis; quæ cum Thracibus, Liguriis, & multorum populorum fece commistæ ac auctæ, magis magisque in dies, à lingvâ & moribus parentum recedentes, mox Orientalibus Imperatoribus facti sunt subditi, sub iisque latuerunt. Progrediente verò tempore, septemtrionem versùs, ad Podoliæ Russiæque fines, & mox in Transsilvaniam semet pedetentim diffuderunt, pecuariæque magis, quàm agriculturæ operam dederunt. Gens hæc robusta, firmo & carnoso corpore, temperie sangvinea maximam partem, in multiplicationem generis sui mirum in modum propendens, fœcunda adeo fuit, vt Hungaris in Transsilvania, huicque finitima Hungaria excisis, terras implevit. Imo in vicinam quoque Valachiam Transalpi-

alpinam & Moldaviam examina emiſit. Seculo namque 12^{mo}, è Diſtrictu Fagaraſenſi, maximus Valachorum numerus, ſub Duce, qui *Niger* ſive *Negrouot* vocabatur, cum familiis & reculis, per alpes Barciæ conterminas emigravit. Seculo pariter 14^{to}, fertiliſſimâ & ferè deſerta Moldaviæ terrâ anſam emigrandi præbente ſub Ludovico I. Hung. Rege, Nobilis Valachus (*Bojerones* inter eos Proceres vocantur gentis ſuæ in Moldavia & Tranſalpina) ſive Bojero, cui *Bogdan* erat nomen, multis in tractu Máramaroſenſi collectis, & è Transſilvania conſcriptis Valachis, alpes finitimas Transſilvaniæ transgreſſus, Cumaniam diu deſertam occupavit. De eo Turcis Carabogdania, id eſt nigra Bogdania dicta, nobis Moldavia à fluvio Moldau. Sed in Transſilvaniam revertamur. Nec miretur quispiam, quod partitè Valachos in Transſilvaniam inmigraſſe dixerim: evolvat, enim, cui licet, Articulos Diætales; & non ſolùm antiquioribus, verum patriorum quoque Principum temporibus adventaſſe ex vicinis ab auſtro regionibus pulcrè intelligit. Hoc ſanè docet, Art. 11. An. *1666.* 1. Febr. Fagaraſini conditus, ſpeciatim de Valachis & Raſcianis in Oppidum *Tövis* advenientibus. Conf. Compil. P. 3. T. 11. A. 10.

3. Aſpera rupibus & alpibus loca inter antiquiores revolutiones Valacha gens incolebat; at mitioribus Seculis plana jam Transſilvaniæ etiam inſedit. Valachi enim ſic ſatis in Sedibus Siculicis ſunt frequentes; in Sedibus Saxonum frequentiores, in Comitatibus Hungarorum frequentiſſimi; ubique verò ſervili in Statu. Hinc *Faſ-*

ſching

Sist. . . .

ſching appoſite dixiſſe videtur: " Gens hæc ſoli „ nunc nata ſervituti, nihil fermè aliud eſt, quàm „ Davorum turba, vt non temerè, veterum Da- „ vorum terras unà cum fortunâ occupaſſe vi- „ deatur. „ Ad ſervilem eorum conditionem „ pertinet *Art.* An. 1628. 9. Apr. latus, qui talis eſt: *Valachi & Rutheni, Dominis Terreſtribus deſtituti, in cujus fundis reperiuntur, liberè per Dominum Terreſtrem captivari & ad Jobbagionatum obligari poſſint.* An. 1685. 24. Octob. *Art.* 6: *Jobbagiones* (Valachos præcipuè) *Status Inquilinaris* ('Sellér Jobbágyok) *nemo cum migrandi facultate in terra ſua patiatur, ſed juxta* Appr. P. 3. T. 41. A. 2. & P. 5. Edict. 30. *ad abſolutum Jobbagionatum obliget, vt tanto magis malefactores coërceri queant.* Conf. §. 156. *n.* 1. Patet ex his, quàm verè dixerit Reichesdorfius: *Valachi in quibusdam deſertis poſſeſſionibus & villis reſident.* Faſſching: *Gurguſtiola duntaxat mapaliaque in montium faucibus, ſi paucos excipias, habitant.* Joh. Franciſci in Memorabilibus Transſilvaniæ §. 13: *Valachos ſparſim & ſine certa ſede incolere*, cet. Sparſim licet habitent, ſed certè certis Sedibus, ad Dominorum nutum; in gurguſtiolis licet vt plurimùm & in montanis, ſed etiam in mediterraneis, inque Oppidis & Suburbiis.

4. Lingvas, Latinam & Valachicam, conferenti, pronum erit dijudicare, hanc ex illa prognatam eſſe. Veniant in exemplum vocabula,

VALACHICA.	LATINA.
Carnye.	Caro.
Vin.	Vinum.

VA-

§. 157.

VALACHICA.	LATINA.
Csercure.	Circulus.
Domnu Zeu.	Dominus Zeus
(*nomen Dei*)	(*i. e. Dñus Jupiter.*)
Beſzerica.	Baſilica.
Szpune.	Expone, *i. e. dic.*
Pamunt, *i. e. terra.*	Pavimentum.
Pacular.	Pecuarius.
Szárá.	Sera, *i. e. veſpere.*
Lapada.	Dilapida.
Fuſzulye.	Phaſeolus.
Koraſzte.	Coloſtra.
Cumai dormit.	Quomodo dormiviſti.
Bineam dormit.	Bene dormivi.
Mujere.	Mulier.
Dregetor.	Director.
Tomná.	Autumnus.
Silbatic.	Silvaticus.
Derept.	Directè.
Szenetate.	Sanitas.
Lunye.	Luna.
Kirilla.	Cyrillus.
Kratſun.	Gratianus.
Urſzul.	Urſus.
Lupul.	Lupus.
Vulype.	Vulpes.
Jepure.	Lepus.
Saire.	Sal.
Ginske.	Ganſa.
Scroefe.	Scrofa.
Kal.	Caballus.
Fun.	Fœnum.
Chertia.	Charta.

. 3. 157.

VALACHICA.	LATINA.
Pepere.	Piper.
Maſa.	Menſa.
Foc.	Focus, *h. e. ignis.*
Mune boj.	Mone bovem.
Szingur.	Singulus.
Foaine.	Fames.
Járbá.	Herba.
Nyebun.	Nebulo.
Jeſit.	Exiit.
Bleſztemát.	Blaſphematus.
Currund.	Currendo.

Et ſexcenta alia, quæ tanto propiùs ad Latina accedunt, quanto convenientiùs enunciantur. Complura etiam vocabula à Dacis, Sarmatis aliisque populis, quibus miſti ſunt, accepêre. Sclavonica certe deprehendimus non pauca, qualia ſunt: *Owes*, hungarica pronunciatione *Ovez*, Avena: *Temnice*, carcer: *Plug*, aratrum: *Miloſztinie*, gratia: *Szlusba*, famulatus: *Szluga*, famulus: *Nyewáſzta*, glos, ſive nova nupta: *Szlanina*, lardum: *Brâna*, porta: *Szeráts*, pauper: (apud Sclavos *edacem* notat) *Ulice*, platea, *cet.* Facilè gens rudis voces peregrinas à quibusvis vicinis arripit. Multa etiam abs Hungaris mutuata eſt, quibus non in Transſilvania ſolùm, ſed & contermina Valachia utitur; e. gr. in Libro Valachico, cui titulus eſt: *Kezanie*, legitur *Vameſu*, id eſt publicanus, ex Hung. *Vámos*: *Pilda*, i. e. exemplum; ex Hung. *példa*: *Fitſor kurvaru*, i. e. filius prodigus, ex Hung. *Kurvas*: *Engeduit*, i. e. obedivit, ex Hung. *engedett*: & ſic porrò.

5. *a.*) Integer de moribus, consvetudinibus & ritibus Valachorum liber adornandus esset, quo Valachorum Romanitas doceretur. *Mart. Opitius*, à Principe Gabriele Bethlen, è Silesia ad docendas bonas litteras An. 1621. *Albam Juliam* vocatus, Poëta insignis, in sua *Slatna*, sive Itinerario Transsilvanico, vel ex choreis Valachicis, *Horra* nuncupatis, sangvinem eorundem Romanum, sequentibus versibus monstravit:

So steckt manch edles Blut in kleinen Baurenhütten,
Das noch den alten Brauch, und Art der alten Sitten,
Nicht gänzlich abgelegt. Wie dann ihr Tanz anzeigt,
In dem so wunderbar gebückt wird und geneig.
Gesprungen in die Höh, nach Art der Kapriolen,
Die meine Teutschen sonst aus Frankreich müssen hohlen,
Bald wird ein Kreis gemacht, bald wiederum zertrennt,
Bald gehn die Menschen recht, bald auf der linken Hand.
Die Menscher die noch jezt, fast Römisch Muster tragen,
Zwar schlecht, doch witzig sind, viel denken, wenig sagen, *cet.*

b. In multis tamen à Romana indole discesserunt, quod literis exculti non fuerint. Ideo *Reichersdorffius* his eos notavit: *Genus hominum durissimum, nec nisi armentis ac pecoribus præficiendum*: (Oves

(Oves & capras imprimis alunt, ac eas, fustes nodosos, *Matsuka* ipsis dictos, manibus gestantes, pascunt) *plerumque ex furtivo animalium abigeatu se alere: pilosis caprarum amiciri pellibus, pectore semper aperto: equos promiscuè viri feminæque absque stragulis æquitant: humanis legibus ægrè obsequuntur.* His, quoad furtum, adstipulatur *Articulus* 2. Diætalis An. 1667. 5. Jan. promulgatus, qui talis est: *Vbi pecoris furtivi cadaver excoriatum reperitur, Valachi loci ejusdem incolæ damnificato pretium pecoris solvant; eo, quod gens ista simili furto præ cæteris notoria sit.* Sed exspectandum à tempore, vt litteris, quarum cultura inter eos vigere cœpit, aliquando emolliantur. Quæ *Barclajus* de Hibernis dixit, hisce: " Qui ab Oppidis, cultuque recesserunt, mira *iis* cujusvis
,, aëris cibique patientia, paupertatis longò usu.
,, Victu parabili - - satiant famem - - - - incom-
,, moda ex ea barbarie frequentia, patientiâ quàm
,, laboribus, malunt repellere, tantaque est ignora-
,, tio deliciarum, ut nec sentiant mala. Simpli-
,, ci veste imbrem & frigora tolerant - - - fes-
,, sis, vel nocte deprehensis humus sufficit; con-
,, tectosque nivibus, vel imbre diffluentes, priùs
,, saties quietis, quàm cœli injuriæ, excitant, *cet.*
Cap. IV. Icon. Animorum. Hæc, inquam, apprimè Excell. & Celeber. D. CHENOT in *Tractatu de Peste* p. 56. similem ferè in modum Valachis adplicuit: " Opiliones, *inquit*, sunt aut
,, mercenarii. Vestitus est præcisè, qui tegen-
,, do corpori sufficit, apud plerosque laneus;
,, tamen & frequentissimè pelliceus. Calorem,
,, frigus omnesque aëris injurias tanto commo-
,, diùs ferunt, quod jam velut ab incunabulis

3.158...

„ aſſveſcant, nudipedes & ſolo tecti induſio colludant ſub dio infantes & pueri rigida hyeme, qua paucum habent domi focum, propè quem noctu cubant dura ſuper humo, diurnis operti veſtibus, aut tenui tamen lodice. Mira certè apud hanc gentem, in victu, amictu, totaque ſupellectile ſimplicitas, *cet.* Gens pacis, quàm belli cupidior. Parentes ac charas ſibi perſonas vitâ functas, detecto plerumque incedentes capite lugent. De Religione Valachorum §. 249. *ſeq.* de Literatura §. 266. videsîs. Valachorum denique Transſilvanorum hiſtoriam, licet brevem, reperies in Opuſculo *Joh. Filſtich*, Gymnaſii Coronenſis Rectoris, cui titulum præfixit: *Schediaſma Hiſtoricum, in quo de Valachorum Hiſtoria, Annalium Transſilvanienſium multis in punctis magiſtra & miniſtra, diſſerit J. F.* Jenæ 1743. 4to, philyr. 3. & apud AA. §. 156. *n.* 3; nec non, *Tröſterum*, Lib. IV. Cap. 1. - - 7.

§. CLVIII.

II. ARMENI Transſilvani, ex Armenia oriundi, à Perſis & Turcis preſſi, per Chrimiam & Moldaviam pedetentim ſedes ſuas promoventes, anno demùm 1672. Transſilvaniam ingreſſi ſunt, ex eoque tempore mercium quæſtum periclitantur.

1. Scilicet, Rex Armenorum Leo III. duos ſuperſtites reliquerat filios, *Oſcin* & *Hagagh*, quorum diſſidio Armeniæ Regnum diſcerptum eſt.

Ha-

Hagagh enim regnandi accenſus cupidine, ſuæque penitùs immemor gentis, ea lege adverſùs fratrem, Perſica ac Turcica implorat auxilia, vt hi, eo decedente, ſuccedant. Malum hocce conſilium conſultori exitium adtulit. Nam Perſæ ac Turcæ, poſtquam Hagagho ſolium ſtabiliviſſent, moram longiorem averſati, eo per inſidias ſublato, populationibus ac ferro ſui ſecuros Armenos invadunt, injuriis divexant, denique partito inter ſe Regno, cæſis potentioribus Civibus, finitimam Urbem *Ani* dictam, de qua illis minimè conveniebat, communi conſilio diruunt. Hac patriæ everſione ſuperſtites à cæde cives, pars in Perſiam, pars in Crimeam, pars autem (3000. plùs minùs familiæ) in Moldaviam & Poloniam conceſsêre. Pacta ſubinde cum Moldaviæ Dynaſtis conventione, in 7. recepti ſunt Civitates, quas Templis, ædificiis, mercibus, *cet.* nobilitarunt. Anno dein 1668., exorta, auctore Herculo, adversùs Ducam Moldaviæ Principem ſeditione; jam exciti Turcæ, ad oppugnandam munitiſſimam Podoliæ arcem *Caminiecum* proficiſcebantur. Perculſi eorum metu Armeni, (deſolationem undique intuentes) ſuisque rebus conſulturi, in alpes montesque profugerunt; ubi in tertiam hiemem deliteſcentes, tandem mutato conſilio, & deſertâ Moldaviâ, in finitimâ Transſilvania ſedes quæſivêre. Gubernabat id temporis Transſilvaniam Princeps Mich. I. Apafi, qui domicilium extorribus, ac unà mercaturæ libertatem, per quàm facilè conceſſit. Multi proinde hoſpitum Armenorum, *S. Nicolaum*, Sedis Gyergyó Oppidum, alii pagum *Szépviz* Sedis Csik, alii *Biſtricium*, *Görgény*,

§. 151. 2.

Felſalu, *Petele*, *Ebesfalvà*, & quosdam alios pagos delegerunt, parere omnes juſſi Armeno Judici, qui Officialibus locorum, quæ incolerent, obſequeretur. Poſtmodùm Leopoldus Imp. jus exſtruendæ Armenopolis (Hung. *Szamos-Ujvár*) in Tranſſilvania eis conceſſit; deinde *Eliſabethopolim* quoque (Hung. *Ebesfalva*) ad habitandum impetrarunt. Locus tandem uterque, Armenop. v. l. & Eliſabethop. Oppidi Privilegium obtinuit a Carolo VI. Imperatore & Tranſſilvaniæ Statibus, & quidem Armeni *Armenopolitani* A. 1726; id quod teſtatur Diploma 17. Octob. ejusdem anni exaratum. Privilegium verò *Eliſabethopolitanorum* quo jura Oppidi impetraverant, publicatum eſt An. 1738. 10. Maji; ſed illud nonnullis punctis auctum ac confirmatum, denuò publicatum eſt An. 1747. 27. Febr. Armenique Incolatum non tamen nomen & privilegium Liberæ Regiæque Civitatis, vt putavit *P. Andr. Illii, in Ortu & Progreſſu Nationum*. Armeni igitur, relictis priſtinis ſtationibus, & excuſſo Comitatuum ſediumque jugo, maximam partem, in memorata Oppida commigrarunt; ea ædificiis ornarunt, populo auxerunt, fortunis locupletarunt. Degunt tamen ex iis, in *Szépviz*, *S. Nicolao* Gyergyoenſi, aliisque Oppidis & Civitatibus ſparſim, mercaturæ dediti. Armeni noſtri, memoratam ſuperiùs gentis ſuæ jacturam, gemebundi, in Libello ſupplici, Comiti quondam *Rabutin*, Generali per Tranſſilvaniam Commendanti porrecto exponunt, qui ſic habet: " *Excellentiſſime Domine Comes & Generalis; nobis* „ *Domine, Patrone Gratioſiſſime*! Poſteaquam ex „ arcano Dei Conſilio, per potentiam Barbaro- „ rum,

7 adepti sunt.

S. 158. M. 4.

„ rum, patriâ pulsi, & diversas ad hujus mun- „ di plagas dilapsi fuissent infelicissimi hominum „ *Armeni*, nos etiam communis naufragii socii, „ Regnum Transsilvaniæ intravimus, & quo „ quisque nostrum se recipere potuit, variis in „ locis consedimus; ita tamen, vt domos Pa- „ triotarum, annuali mercede (*nondum enim pro-* „ *prias sedes impetraverant*) pro hospitio condu- „ centes, neque ullam externam Oeconomiam „ exercentes, unius solummodò quæsturæ, tot „ casibus & infortuniis expositæ subsidio, nos- „ met & familiam sustentare cogamur. Et qui- „ dem, anteactis temporibus erat nobis aliquod „ respirium; annuatim enim in Contributionem „ Regni, *centum Thaleros*, à nobis exigebant; „ postmodùm creverunt successivè onera (*e. gr.* „ *An.* 1687. *Flor. hung.* 400.) in tantum, vt „ in repartione 800000. Florenorum mille & „ trecenti floreni ad nos repartiti sunt - - - - - „ - - - Excellentiæ Vestræ Servi humillimi, uni- „ versi Negotiatores Armeni, diversis in locis „ per Regnum Transsilvaniæ inhabitantes. *Vide plura in Ortu & Progr. Nat. P. Andr. Illiæ.* Vestes Armenorum Hungaricas imitantur.

7. Quod adtinet Religionem: Ante adventum in Transsilvaniam, Eutychianæ plerique hæresi adhærebant. Anno tandem 1684. *Oxendius Verzireski*, gente Armenus, Româ, ubi 14. annis moribus & literis excultus erat, redux in Transsilvaniam, ad Romana sensa Armenos convertere conabatur: verùm potentiores nonnulli, cum Præsule suo *Minas* vocitato, à Romana lege alieno, conatus ejus præfocatum ibant. Postea ta-

men ii quoque ad communionem Eccleſiæ Romanæ accedentes, & Oxendium Epiſcopali inſignitum honore reverentes, in ejusdem gremio Eccleſiæ permanere videri poterant. Aſt gentilium recens ex Armenia & Moldavia advenientium perſvaſione inducti, Romana rursùs odiſſe ſacra occœperunt. Hoc ubi Transſilvaniæ id temporis Epiſcopo, R. GEORG. MARTONFIO, cui ab Oxendii obitu Armenorum cura concredebatur, innotuit: virum ex eorum numero Catholicis imbutum ſacris *Michaëlem Theodorovicſium* Sacerdotio initiavit. Is nihil licet, quo populares ſuos ad Eccleſiæ Rom. authoritatem revocaret, intermiſit: ſed gravior tunc res fuerat, quàm medelam admitteret. Subſequentibus tamen temporibus Eccleſiæ Romanæ ſe addixerunt Armenopolitani; quorum exemplo ceteri quoque eidem Eccleſiæ ſeſe reddiderunt. Hoc inter Armenos peculiare eſt, vt nativa ſuâ lingvâ illis *S. Miſſam* celebrare liceat.

§. CLIX.

III. GRÆCI, Imperio Græco ſive Orientali à Turcis vaſtato ſubjugatoque, ſedes ſibi tutiores atque commodiores quæſivêre in Transſilvania, hicque nunc quæſtui intenti vivunt.

1. Græcanica quædam veſtigia, in Dacia antiquiſſimis adhuc temporibus fuiſſe ſuſpicati fuimus *§. 7. n. 3.* Nec deſunt, qui credant, ex Thracia fuiſſe in Daciam traductas, Græcorum Literas

teras

§. 159. ...

teras & Leges, quibus Daci uſque ad Trajani adventum uſi fuerint. Et veriſimile eſt, ex hoc commercio olim Græcam lingvam his oris viguiſſe, adeò quidem, vt hodieque nonnullorum locorum & pagorum nomina merè græca ſint. Sic, *Libaton* ex Græco ΛΙΒΑΔΙΟΝ, quod herboſum locum ſignificat; *Paſzmos* ex ΒΑΣΜΟΣ, quod gradum denotat; *Bátos* ex ΒΑΤΟΣ, i. e. rubus. Parte Speciali plura exempla dabimus. Hodierni tamen Græci noſtri, non ſunt ita antiquæ in Transſilvania originis; ſed rebus Turcicis increſcentibus, in Transſilvaniam, ex Macedonia aliisque locis, & quidem partitim, devoluti ſunt. Dum verò hæc Græcorum gens, variis ad vitam rebus neceſſariis, quibus deficit Transſilvania, adeo undique adfluere Imperium Græcum, aut Turcicum obſervaſſet; inde, quantum opinari licet, in primo ſtatim adventu, animum mercaturæ dedidit, utpote non ignara regionum itinerumque orientalium: quamvis antea quoque aliquos eadem de gente ſvavi lucri odore huc allectos fuiſſe non inficiemur.

2. Uſque adeo Græci noſtri quæſtùi operam navant, vt vulgus Hungarorum & Valachorum in Transſilvania, mercatores cujuslibet gentis Græcos appellet. Fuêre eorum Seculo ſuperiore, qui eo cupidinis lucri devenerint, vt pecuniâ privilegia emerint, quò certis in locis nulli præter eos, merces ſuas venundare liceret: ſed quod immani merces ſuas pretio diſtraxerint, eorum privilegia monopoliaque ſublata fuêrunt. *Vid. Compil. P.* 3. *Tit.* 10. *Art.* 1. Tractu temporis, hæc Natio in peculiarem *Compagniam* ſive Socie-

§. 159.

tatem pro commodiori mercatura coaluerat; cui nunc quoque addicti vivunt. Non indignum reor, quosdam Legum Articulos, paucis ſcilicet cognitos, ad illuſtrandam Græcorum his oris mercaturam, producere. An. 1588. 8. Dec. Statuebatur: *Græci & alii Quæſtores extranei, contra Privilegia Saxonum, inter illos quæſtum ne exerceant.* Sua namque damna jam inde Saxones ſentiebant. An. 1600. 25. Oct. *Létzfalvæ* concluſum: *Græci, Valachi, Turcæ, Dalmatæ & Armeni, extranei v. l. Quæſtores è regno penitus excluduntur, eo, quod revolutiones ſub Michaële Wajvoda ipſi cauſaſſent: nihilominus loca Depoſitoria pro ipſis circa confinia ordinantur, vt: Káránſebes, Tolmáts, Roſnyó, Práſmár & Radna. Valachi extranei uſque Braſsó, Szeben & Beſztertze, ſed non interiùs intrent.* Anno tamen 1609. 26. Apr. Græci denuò ad quæſtum liberum admiſſi ſunt. An. 1664. 31. Jan. *Art.* 8: *Græci quæſtores menſurâ inſolitâ, merces ne diſtrahant, ſub pœna Articulari*, cet. An. 1668. 15. Jul. *Art.* 2: *Quæſtores Græci Cibinii reſidentes, præter Taxam, quæ Fiſco penditur, capitatim Thal. 6. contribuant, & alia onera publica in futurum ſupportent.* An. 1670. 1. Dec. Art. 31. *Græci Cibinienſes plures non ſint, quàm 60. nec admittant inter ſe, ſub pœna Articulari.* An. 1672. 10. Dec. *Art.* 2: *Companía orientalis inter Quæſtores ea lege admittitur, vt omnes, mercem Turcicam; item à Germanis, Venetis, Polonis, liberè importent, at nundinatim ne diſtrabant; ſed Albæ Depoſitoria habeant, ubi Regnicolis ſimul vendant*, &c. Vides ex his, L. B. principales ſeu receptas Transſilvaniæ Nationes negligentes nimium in ſua lucra olim fuiſſe; oculatas contrà con-

convenas. In ſola pellium quæſtura, Principem monopolium habuiſſe, docet *Art.* An. 1578. Sed Gabriele Bethlen clavum tenente, An. 1625. 1. Maji, *Art.* 4. *Interdicitur, ne quispiam, niſi Nobilis, aut cui Princeps annuatim dederit, quæſtum quemlibet exerceat, ſub pœna confiſcationis omnium Bonorum: equorum tamen & pellium bovinarum quæſtura ſolius Principis ſit.* An. 1630. 25. Jan. *Art.* 14: Liber quæſtus omnibus Regnicolis in forma perpetui Statuti conceditur; quod & An. 1649. 23. Jan. *Art.* 2. confirmatur. Ea verò ætate, Limitatio omnium rerum & mercium in Generalibus Provinciæ Comitiis fiebat, quæ ad obſervandum exhibebatur: utinam is mos revocaretur noſtro quoque tempore, quo Opifices & Mercatores pro ſuo ferme velle pretium rerum definiunt.

3. Græcorum Natio, peculiarem ab antiquo in Re Tributi conſtituit Cœtum, (Hung. *Görög Compania* dictum, ſummamque Contributionis per proprium ſuæ gentis Judicem adminiſtravit. Anno 1669. eique proximis, ſumma 2000. Thalerorum obvenit, *Compil. Part.* 5. *Edict.* 45. vnde patet Græcos ſatis fuiſſe numeroſos, cum hoc tempore, decem patresfamilias ruſtici aliarum Nationum, 15. Thaleros præſtiterint. Anno tandem 1672. 10. Dec. *Art.* 2. Contributio Quæſtorum Græcorum, quæ, vt diximus, in 2000. Thaleris fixa erat, 500. Thaleris aucta eſt.

4. Græci, cum agris deſtituantur, Oppida Civitatesque, Cibinium imprimis & Coronam inhabitant.

bitant.

bitant. Veſtes partim Hungaricas, partim ſemi-Turcicas gerunt. Religionem ab Orientali acceptam Eccleſia retinent. Lingva eorum, à veteri Græcanica multùm diſceſſit.

§. CLX.

IV. JUDÆI, mercatui ſimiliter addicti, tàm circa tempora Decebali, & ſequentibus centuriis; quàm, & præſertim quidem, poſt factam An. 1453. per Turcam, Conſtantinopolis expugnationem, Transſilvaniam immigrarunt: hic ſuæ penè lingvæ obliti, Carolinæ, & quibusdam pagis, ſedes obtinent.

1. *P. Andr. Illia*, in Libello, *de Ortu & Progr. variar. in Dacia Gentium ac Relig.* hanc de Gente recutita adornavit narrationem: Anno à reparata mortalium ſalute ſupra ſeptuageſimum ſecundo, ab Imperatoribus ultæ Chriſti necis nomine glorioſiſſimis, Tito & Veſpaſiano, imminente Hieroſolymis excidio, Judæorum profugorum coloniæ poſt longas tandem ambages in Daciam mediterraneam, quæ Transſilvania eſt, appulerunr. Daciam eo tempore univerſam gubernabat Decebalus Rex, prælio contra Romanos, à quibus demùm devictus fuit, inclytus. Is, vt in tempore Romanis reſiſtendo eſſet, exteras in regnum Nationes ultrò admittebat, eas præſertim, quæ mercaturæ operam impendebant ſuam.

J. 160. ...

ſuam. Has inter primi omnium fuêre Judæi, quibus ad perangustum è Valachia Tranſalpina in Transſilvaniam ingreſſum civitatis erigendæ poteſtatem conceſſit, eo cumprimis nomine, vt negotiationi, aut auro ex aquis Transſilvaniæ aurum ferentibus corradendo operam darent. Urbem propriis erectam impenſis *Thalmum* dixêre; quæ deinde Armenorum, Græcorum, Thracum, Mœſorum ac Triballorum acceſſu in florentiſſimum evaſit Emporium, celeberrimo *Rubræ Turris* propugnaculo à Templariis exſtructo munitum ac decoratum. Multiplicabantur ſubinde Judæi non in Transſilvania modò, verum etiam in Ungaria adeo, vt variis Regum Apoſtolicorum coërcendi fuerint ſtatutis, quorum è numero tria commemoraſſe ſufficiat. *Primum* D. Regis Ladislai *L. 1. Decr. c. 26.* de Judæis Feſto Die laborantibus ita decernentis: " Si in „ die Dominico, aut aliis majoribus Feſtivitati„ bus Judæum laborantem inveneris, (*alii legunt: „ aliquis invenerit*) ne ſcandalizetur Chriſtiani„ tas, cum quibus inſtrumentis laboraverit, illa „ amittat. „ *Alterum* Andreæ II. Judæis Ungaria, Zabolcs, Regétz & confinibus exceptis, ſeverè interdicentis. *Noviſſimum* denique Ludovici I. „ Hebræos, ſi deficerent à ſuis erroribus, pro „ Ungaris, cum uſu privilegiorum, agnoſcen„ dos, ſin minùs ex Ungaria omnes pellendos ſtatuentis. *Hactenus Ille.*

2. Neque ego negaverim, priſcis illis temporibus, Apellarum aliquos huc adveniſſe; ſed in comperto eſt, plures longè poſt ſubactum à Turcis Imperium Orientale, tutioris manſionis

&

§.160.~~~.4.

& negotiationis cauſa Transſilvaniam, à quâ, Regum ſtatutis, vt dictum eſt, vetuſtiores arcebantur Judæi, ſalutaviſſe. Nunc plures Carolinæ, pauciores Náznánfalvæ, Bethlenii, nec ſcio an alibi, mercaturæ & Spiritûs frumenti cocturæ ſive deſtillationi diligentem operam impendunt. Medio Seculi ſuperioris incolatus eorum, iſque inquilinaris, ad Albam Juliam (Carolinam nunc dicimus) ſolùm adſtringebatur, ſimulque liber iis quæſtus concedebatur; ſalvis tamen aliorum privilegiis, vt habet *Approb. Edict.* 82. Carolinæ, vbi extra Urbem domicilium obtinuerunt ſtatas in dies obeunt cerimonias. Nec inter res fidei aut cerimonias quidquam apud illos differt: pro ſuæ tamen lingvæ varietate duas diverſas habent Synagogas, ſive Oratoria. Scilicet, pars eorum *Judæi Turcici* vulgò nominantur, quod Lingvam ſuam, cùm Ottomanico & aliis orientalium populorum idiomatibus ferè commutarint, veſtesque Turcicas induerint; hi unam obtinent Synagogam: alteram habent *Judæi Germanici*, ſive lingvâ ſua (quod ex Germania, vt videtur, venerint) Germanisſantes; hi veſtes quoque vel germanicas vel hungaricas geſtant; de hac licet, An. 1650. 20. Mart. *Art.* 28. Statutum audiverint: *Judæi & Græci veſtes ſui ritûs portent, ab Hungaricis & Militum abſtineant, ſub pœna flor.* 200. Sacerdos, idem, utriusque gnarus lingvæ, hic ibique ſacra peragit.

§. CLXI.

§. CLXI.

V. MORAVI, ſive *Anabaptiſtæ* a Religione dicti, Hungaris *Uj-Kereſztyének*, (quaſi dicas *Novos Chriſtianos*) à Principe Gabriele Bethlen, pro ſingularibus artibus mechanicis, è Moravia in Transſilvaniam transportati, inque Oppidum Al-Vintz collocati, ſuis in poſteris, paucis iis, jam Fidem Romano-Catholicam amplectentibus, vivere nondum deſierunt.

Originis Anabaptiſtarum hiſtoriam apud Florimundum Raymundum, alioſque, qui avet, reperiet: nobis nunc de Transſilvano-Moravis Anabaptiſtis paucula delibanda. Beata ſanè hos Fortuna in Transſilvania exceperat; quod vel ex Articulo Diætali Anni 1622. 1. Maji colligas, quo ſic ſanciebatur; *Anabaptiſtæ in Al-Vintz, & Artes ſuas, & Religionem, liberè exerceant; à Contributione ſint immunes, & Privilegia ſerventur.* Quale verò artium emolumentum fecerint, teſtatur *Art.* An. 1627. 24. Oct. exaratus, quo *Anabaptiſtæ in ſerie Limitationis Articularis, in Arte mechanica ceteris Regni Artificibus potiores exſtitiſſe commemorantur: fuerunt autem inter eos Pannifices, Cultrifices, Lorarii, Fabri ferrarii, Serarii, Cerdones, Funifices, Textores, Pelliones, Doliatores & Figuli.* Morte Principis Bethlenii ſunt experti paululum deteriora; nam An. 1631. 5. Jun. Articulariter *prohibiti ſunt Opificia inter Saxones vendere.*

vendere, etiam in publicis nundinis. Adflictis poſtea temporibus, quorum in vita & geſtis Principum Franc. Rhedei, Acatii Bartſai, Joannis Kemény & Mich. Apafi, fusô ſatis calamo meminimus, tributi quoque oneri ſubjecti fuêre; & An. 1660. 5. Jul. Communitati Anabaptiſtarum 1000. Floreni impoſiti ſunt. Eodem Anno 20. Oct. 2000. denuò Thaleri. Anno 1662. 20. Oct. *Art.* 19. definitum: *Anabaptiſtæ contribuant capitatim Thaleros* 2. His igitur gravaminibus ordinariis, & Barbarorum inſolentiâ, priore ſua fortuna exciderunt. Tractu denique temporis decreverunt adeo, vt hodie viginti plus minus Patresfamilias numeres in Fundo Al-Vintzenſi ſibi per Gabrielem Bethlen exciſo.

§. CLXII.

VI. POLONI tempore Joan. Sigismundi, (§. CV.) ob Religionem Socinianam, è Polonia in Transſilvaniam influxerunt: ſuperſunt etiamnum quidam eorum poſteri, præſertim Claudiopoli; ibique peculiare in platea Monoſtor Oratorium obtinentes, Religionem Unitariam profitentur.

Hi in dies more quorundam ſuorum parentum, Nationi Hungaricæ ſe inſerunt; nec diverſas ab iis veſtes uſurpant. Eſt pagus in Sede Siculicali Udvarhely *Lengyel-falva* id eſt *Polonicus vicus* dictus; Polonus enim Hungaris *Lengyel* audit: at ejus incolæ nunc Siculi ſunt.

No-

§. 163. 164.

Notandum benè, Polonos in Transsilvania duplices hactenus fuisse, *antiquos* v. l. & *recentiores*. Antiqui aut in Hungaram vel aliam aliquam gentem transierunt, aut penitùs exstincti sunt. Recentiores, propter Religionem à *Fausto Socino* acceptam, Poloniâ *emigrare* jussi, An. 1660. in Transsilvaniam (multis eorum in varias Europæ regiones tum se recipientibus) venerunt, & Claudiopoli nonnullisque aliis locis, sedem habitationis fixerunt. De his *Parte Speciali* paulo plura. cf. p. 589.

§. CLXIII.

VII. RUSSI sive RUTHENI, Seculo octavo, è Russia Alba, novas Sedes quæsituri, egressi, Bulgariam, Serviam, vicinasque regiones & utramque Danubii ripam implerunt: eadem occasione pars eorum Transsilvaniam intravit, quam nec in hodiernum diem defecit.

Hac inmigratione pagos Bungárd, Raisdörflein & Csergöd insedisse constat; sed & vicos *Orosz-Falu*, *Orosz-fája*, *Orosz-hegy* aliosque, Russos tenuisse, ipsa nomina (*Russus* enim Hungaris *Orosz* cluet) produnt. Fides ipsis potissimùm Lutherana & Helvetica est. vid. 597.

§. CLXIV.

VIII. BULGARI, Turcarum populatione vexati, ex Bulgaria huc commi-

§. 164. ...

migrant, hodieque Albæ Juliæ, Alvinczini & Devæ manſionem retinent.

Duplices in Transſilvania Bulgaros habemus, *veteres* nempe & *novos*. *Veteres*, ad Coronam Civitatem conſtiterant, ubi etiamnum ſtatio ipſorum *Angulus Bulgaricus* (Hung. *Bolgár Szeg*) vulgò verò die obere oder walachiſche Vorſtadt, audit. Hi Valachis (à quibus parùm differebant) permixti, nomen ferè amittunt, aut etiam amiſerunt. *Novi*, poſtremo bello, quod LEOPOLDUS Cæſar feliciter cum Turcis geſſit, in Transſilvaniam venerunt. Erat quippe in Bulgaria propè Sophiam, Chriſtianorum regiuncula Turcis tributaria, quaternis, v. l. *Cziprovacz*, *Copilovacz*, *Zeleſnâ* & *Cliſinâ* ſive *Cliſzurâ*, exculta Civitatibus, quas opulenti Bulgari & Arnauti negotiatores incolebant uſque ad annum 1688. Quo glorioſis Leopoldi Imperatoris armis, erepto Turcis Belgrado, quatuor Arnautorum Centuriones Copilovaczio egreſſi, Friderico Veterani Cæſariano Peditatûs Ductori ſe ſe conjunxerunt, *Emericum Tökölium* Hungarorum Turcis fœderatorum Ducem intercipere conſtituerunt. Verùm unde incrementum ſperabant, inde perniciem ſuis acciverunt. Elapſa namque prædâ, Turcis illi proditi Paſſorovicii intercepti, primùm Vezirio, poſtmodùm Turcarum Imperatori, velut Turcici Imperii proditores, delati, dirè mulctabantur. Univerſi ſubinde dictarum Civitatum incolæ, qui fugâ ſalutem non quæſiverunt, parem experti ſunt fortunam. Suam ceteri prævidentes depopulationem, cum vxoribus

&

& liberis, relicta veteri ſtatione, in Valachiam Tranſalpinam, per occultas palantium Tatarorum inſidias, multis ſuorum amiſſis, ſunt delapſi. In Tranſilvaniam inde, An. 1690. cum Cæſareano exercitu commigrarunt, hicque per villas ac pagos quosdam diſtributi degebant ad An. uſque 1700, quo LEOPOLDUS Imperator, egeſtate tot advenarum motus, iis *Al-Vintzii*, Oppidi deſolati in emporium erigendi, ſedisque perpetuæ ibi collocandæ poteſtatem dedit, magisque immunitatibus auxit. Et jam rebus Bulgaricis adſpirare fortuna cœperat, cum mutato tranquillo Reipublicæ ſtatu, immani velut turbine everſa iterum ſunt omnia atque diſſipata. Excitata quippe in Hungaria ſeditione Transſilvaniam quoque depopulante, pars in Transalpinam abire, pars in munitiora loca, vitam ac fortunas ſervaturi, recipere ſeſe ſunt coacti. Hac tempeſtate Albæ Juliæ quoque nonnulli Bulgarorum ſedem fixerunt. Seditione demum An. 1711. compoſita (§. 127. c.) in ſtationem nonnulli remigrarunt ſuam, quorum poſteri in eodem *Alvinczio*, 14. fundos poſſident. Non mirum proinde eſt, venerabilem Epiſcopatum Transſilvanienſem (cui Caſtellum & Dominium Al-Vinczenſe An. 1715. adſignatum fuit) non pridem, *in Repræſentatione Damnorum & Præjudiciorum Bonorum Epiſcopatus Transſilvanienſis* ſic queſtum fuiſſe: " - - Bulgari
„ nec ipſimet ulla onera communia, præter
„ Contributionem, ſupportant; atque inſuper
„ cum Loca olim pro 500. Patribus familias ex-
„ ciſa nunc pauciſſimi poſſident, multos illoca-
„ runt diverſæ Nationis inquilinos, pariter, præ-
„ textu Privilegii ſibi pro ratione temporum da-

„ ti, ab omnibus oneribus publicis, puta: Quar-
„ tiriorum, Condeſcenſionum Militarium, refe-
„ ctionis viarum, & ſimilibus violentè immunes
„ ſervant.„ Ceteri Vinczium temporis hoſtium-que injuriis expoſitum cauſati, *Cibinium* ac *Devam* ſe ſe contulerunt. Multi verò ipſorum ſuperioribus annis, in Temeſienſem Banatum, novas facturi colonias conceſſerunt. Religionis Catholicæ, quam prioribus quoque ſedibus profeſſi fuerant, ſunt obſervantiſſimi. Apud hos habent PP. Franciſcani Obſervantes, vulgò PP. Bulgari, (Hung. *Bolgár Barátok*, & in quibusdam Scriptis, *Olá-Barátok*) tria Domicilia, unam Albæ Carolinæ, aliam Al-Vinczini, tertiam Devæ. Bulgari ac Boſnenſes vix à Valachis differre videntur, ſi eorum originem ac commixtionem reſpicias. *Vid. de Bulgaris P. Andr. Illia.*

§. CLXV.

IX. SERVII ſive RASCIANI pariter, adigentibus Rerumpublicarum ſub Turcicæ potentiæ propagatione converſionibus, iteratis in Transſilvaniam migrationibus, Seculis decimo ſexto & ſeptimo, penetrarunt; & Valachis commixti, agrum Comitatuum atque Sedium Saxonicarum colunt.

Servii ſive *Serbii*, *Sirbii* & *Sorabi*, in Actis Concilii Conſtantienſis *Sirfi* appellati, alias *Ratzii* ſive *Raſcii* & *Raſciani*, noſtris verò vulgò *Thraces*, & Lingva vernaculâ *Rátzok* vocantur. Hi ex vicinis Mæotidis Paludis locis, regiones Albim Salamque & Iſtrum contingentes ſalutarunt. Ex

Danu-

§. 166. 167.

Danubii poſtmodùm ripis in Transſilvaniam irrepſerunt. Sed ingrati hoſpites; anno enim 1583. in publicis Provincialium Comtiis ſic decretum legimus: *Raſcianorum ingreſſus Articulariter in futurum interdicitur; at qui eorum manſiones fixerant, Legibus Regnicolarum uti, Comitibus & Vice-Officialibus ſubeſſe debeant: qui dehinc admittere attentarent, centum marcis puniantur.* Mitiùs paulo An. 1601. 21. Jan. hanc in ſententiam: *Raſciani intra limites regni nuspiam; aſt in confiniis admittantur: ſi ſint habiles & compertæ fidei, inter milites; ſi verò inhabiles, pro incolis confinium, ſed in ſtatu Jobbagionali.* Querelas dominorum Poſſeſſorum Oppidi Tövis, adversùs Raſcianos, Vide *Compil. P. 3. T. 11. A. 10.*

§. CLXVI.

X. SCLAVOS in hac Provincia, præteritis temporibus, ſat frequentes degiſſe, infallibile indicium perhibent nomina aliquot pagorum, vt ſunt: Tót-falu, Tót-telke, Tót-háza, Tót-ſzálláſa, Tóti, Tót-ör, (qui nunc quidem Tötör, at nuper admodùm Tót-Ör, fide priſcarum literarum, vocabatur) ſiquidem *Tót* Hungaris *Sclavus* ſit: nunc vix eorum veſtigia ſuperſunt.

§. CLXVII.

XI. ZINGARI, extrema hominum fæx, quando in Transſilvaniam advola-

J. 167...

rint, in obſcuro eſt: nulli verò ignotum, eos aranearum inſtar Transſilvaniam perreptare, & aurilegulos, fabros ferrarios, tornatores, Symphoniacos, Cribrarios, Mangones ac Carnifices agere, vixque aliquam Religionem, ſi cultiores paucos excipias, tenere.

1. *Zingari* ſive *Cingani*, Hung. *Tzigány*, Germ. Zigeuner, unde nomen & ortum traxerint, nobis non conſtat. Spondanus refert, quod mentiantur ſe deſcendiſſe ex Urbis Singaræ in Meſopotamia Incolis, quos à Juliano Apoſtata inde pulſos poſtmodùm vagabunda ejusmodi vita diſtrahi oportuerit. *P. Joan. Molnár* (§. 146. n. 6.) opinatur, & nomen & genus accepiſſe à regione *Sinhar* Genes. XI. 2. quaſi hi, ex diſperſis a Babele gentibus, ſoli ſedem ſibi deligere neglexiſſent, vt continuâ ſuâ vagatione, luculenti Babelicæ confuſionis ac diſperſionis toto orbe indices dignoſcerentur. Vaga hæc hominum colluvies ex inferiori Ægypto aut Nubia ſe ortam profitetur, atque ad erraticum hoc vitæ genus divinitus damnatam, quod majores ſui olim B. Virginem cum Infante Jeſu hoſpitio excipere recuſaverint, referente *Aventino* Hollandis quoque Ægyptii, h. e. *Heydens ende Egyptenaeren*, nominantur. Sed cumprimis in Regno Hungariæ pro Ægyptiacis reliquiis habentur, & ſæpe Pharaones vocitantur; quod etiam Decretum Uladislai Regis, A. 1496. exaratum locupletiſſimè teſtatur apud *P. Fridwaldskium p.* 33. *ſeq.* quo *Pharaones*, h. e. Zingaros, *ſub* 25. *tentoriis*, *ab aliorum vagantium Pharaonum ſocietate ſegregatos*, pro

pro faciendis globulis pixidum sive aliis instrumentis ad belli usum necessariis, ad servitia P. Sigismundi Episcopi Quinque-Ecclesiensis deputavit. Transsilvanis saepè *Farabó népek*, i. e. populi Pharaonis audiunt. Vulcanio vocantur Nubiani, & voces idiomatis hujus ab ipso adductas fidem mereri colligit *Kelpius* in *Natalibus Saxonum*, ex vocabulis Zingaricis: *Dadé*, pater: *Manron* panis: *Yag*, ignis. Zingari porrò vocantur etiam *Móre*, procul dubio quasi Mauri sive Mori, quo nomine Graeci nigros in genere dicunt sive sint Ægyptii, vel Aphri, vel Arabes vel Æthiopes: Zingari verò nostri sunt nigerrimi. Cuidam ex hac appellatione *Amoritae* videbantur. Quorum quidquid sit, vt *Becmannus in Historia Orbis Terrarum* concludit, potuit fieri, vt hi errones, calamitatibus bellicis primùm ex Nubia & conterminis regionibus expulsi, & jam ante erroneo vitae generi adsveti post longas ambages, in circum Danubianas Regiones se effuderint, ibique ad tempus erraverint, & inde per Europae regna se propagaverint, variarum regionum erronibus aucti. Sub initium Seculi quinti primùm his oris innotuisse creduntur; quamvis *P. Illia* in *Ortu & Progr. Nat.* contrarium docuerit, dum scripsit: *Verior est conjectura ingressos esse sub Decebalo Daciae Rege, qui seu divitiarum corradendarum spe illectus, seu comparandarum adversus Romanos virium studio facilem peregrinis gentibus aditum in ditionem suam concedebat.*

2. Duplices in Transsilvania visuntur Zingari, alii *Linteati*, alii *Ordinarii* dicti. *Linteati* (Hung. *Lepedös Czigányok*) dicuntur ii, qui nusquam habitant, sed continuò errant: horum mares vestitum paulùm comtiorem, ac mulieres, habent,

reliquasque veſtes penulis Hungaricis (*Köpenyeg* ex Turcico *Gepenek* dicitur) vt plurimùm velant. At ſequior ſexus ſtragulis villoſis, lodicibus ac gauſapis, laceris plerumque, & adcumulatis propendulisque, atra corpora tegunt, & cucullis ſimili ex centone conſutis ac de interſcapulo ſuſpenſis infantes inponunt, vagientesque circumferunt. Horrendum adeo hominum genus, vt qui non antea oculis uſurpaverint, facile ſpectrum putent, & metu perculſi diffugiant. Jurares hos Linteatos, in ludibrium humani generis eſſe conſociatos totoque habitu deformatos. Vel intensâ bruma & nive alta, ſub dio noctem tranſigere diurnis ſtragulis opertos, novum non eſt. Sunt mortalium ab artis Autolycæ notitia celeberrimi: vix non oculos aliorum furantur. Donum impudentiæ his reliquisque Zingaris contigit ea menſura, vt impudentiſſimos quosque non rarò eorum nomine inſigniri audias. *Ordinarii* ſive *vulgares* Zingari alii dicuntur, quod Linteati rarò quidem Transſilvaniam peragrent; aſt hi ita ſunt frequentiſſimi per omnem Provinciam, vt vix pagum reperias absque Zingaro; ad Civitatum autem & Oppidorum extrema complures pullatas familias conſediſſe conſpicias. Sed duplices hi itidem ſunt, alii *Domigenæ* - alii *Tentoricolæ*. *Illi* (Hung. *Lakós Czigányok*) tam in pagis, quàm, & cumprimis quidem, in Civitatum & Oppidorum ſterquiliniis ſive locis ignobilioribus, tuguria incolunt, & perpetua malleorum tunſione, Cyclopum inſtar Vulcanum circumſidentium, non malè fabros imitantur; nonnulli ſymphoniacos agunt nullis in Transſilvania ſecundos, ſuntque hi plerumque reliquis, ex crebra

bra

bra diverſarum gentium converſatione, cultiores. Tam hi verò, quàm in tentoriis degentes, veſtes geſtant potiſſimùm Hungaricas, quæ ita ſæpe cohærent; vt pileus puniceus, chlamys item ex panno rubro aut alio, ſatis habeatur ornamenti, etiamſi caligarum & calceorum rimæ & aſſumenta vel Heraclito riſum moveant: vix tamen ſub ſole eſt natio, hâc ſuperbior. Magnatum ac Nobilium amictu, poſtquam illis uſus ejus exolevit, delectantur. *Tentoricolæ*, ſive quibus ſub papilionibus degere proprium eſt, portatiles ſuas domos æſtivas è rarioris texturæ panno, quem non mola calcatoria denſavit, conficiunt, earumque in umbris alii ad incudem desudant, faciunt alii torno fuſos, cochlearia & excavant pelvim; alii cribrum aptant frumentarium, cantu fidium alii famem pellunt. Sunt etiam complures horum aurileguli, qui arenas periclitantur §. 29. *n.* 9. & §. 57. *n.* 4. *vid. Fridwaldsky Minerolog. p.* 33. *ſeq.* In more his poſitum eſt in ſerum autumnum tentoria obſervare, tum deſoſſam in terra domunculam aliquot palis & ſtramine tectam, ad cujus fores equus, æſtivæ domûs è loco in locum vector indefeſſus, ſub nubilario fimo ſtramentoque obſepto ſtabulatur, incolere; at hanc priore vere, quàm ranæ coaxaverint, liberiorum hoſpitiorum deſiderio, deſerere.

3. Pluribus Europæ Regnis Zingari haud tolerantur. Gallia, Ordinum Edicto An. 1561. excluſi fuerunt. Hiſpaniæ finibus Edicto Ferdinandi Regis exceſſe juſſi. E Brabantia Decreto Caroli V. ſub pœna capitis & Bonorum in exi-

lium amandati. Ex Hollandia Decreto Curiæ pulſi. Sed felicius illis Transſilvaniæ clima; & cum ſuos habeant Heros ſive Dominos Terreſtres, nec volentes patriæ fines excedere permittuntur. Dominis ſuis non levia dant commoda. Ii qui Fiſcales ſunt, proprium habent Inſpectorem, eumque Nobilem Hungarum: hos ſcias cumprimis aurilegulos. Privatorum Zingari non mechanicis artibus modò, quas tractant, ſed & falce meſſoriâ, famulantur. Reliqui cum papilionibus errantes, ſua venundant opificia. Qui non aliud poſſunt, acus à mercatoribus emtas domatim circumferunt, non tam vendendas, quam monſtrandas: vt ſic ſaltem victualia, quæ gratis rogitare à teneris adſveti ſunt, cogant. Pro recenſitis commodis tutas Zingari hac Provinciâ ſedes obtinuerunt. An. 1558. Articulus talis de iis conditus fuerat: *Vajvodæ Ciganorum, juxta veterem conſvetudinem, à ſingulis Ciganis non niſi florenum unicum intra annum exigant; ad Georgii Feſtum Den. 50. ad Michaëlis totidem.* Anno 1588. 8. Dec. *Univerſa eorum Contributio in perpetuum remiſſa fuit:* ſed cum hæc immunitas eorum, injuria reliquis nationibus patriæ videretur, denuò cenſiti ſunt, hodieque pro tenui ſua ſorte Tributo obnoxii ſunt, quod eorum Decuriones, *Wajvodæ* dicti, colligunt & adminiſtrant. Univerſæ Nationi huic, antiquioribus temporibus, unus præerat Moderator ſive Director, quem Wajvodam dicebant, cuique Taxam annualem pendebant: Officium illud Lege publica ſublatum legimus, *Approb. P. 3. T. 58. A. I.* & Diætalibus Articulis An. 1588. 8. Dec. atque An. 1600. 20. Jul. Id commemoratione digniſſimum

noſtra

nostra ætate accidit, vt Augustissima Transsilvaniæ Princeps, Altissima Sua Ordinatione, omnibus Provinciæ incolis, non ita pridem injunxit, ne ampliùs hæc gens *Zingarica* & *Tzigány*, (illudi enim sibi hoc nomine putant, præsertim aurileguli, qui se *Aranyász*, i.e. aurilegos dici amant) sed *Új paraſztok*, h. e. *Novi Rustici*; dicatur.

4. Indolem gentis depinxit *Töppeltinus Cap.* 7: *Iracundi sunt*, inquit *ad stuporem*, *versuti*, *agiles*, *superbi*, *garruli*, *ebriosi*, *fures*, *mendaces*, *præcipites*, *discordes*, *ac in jurgiis insani. Adeo fœcundi sunt, vt non sine risu aspicias felicissimas matres liberis septas, veluti stipatas gallinas pullis - - - pueri & minorennes plerumque sequuntur parentes, eo solum vestimento, quod ab ipsis & à natura acceperunt. - - - Per universam Transsilvaniam carnifices sunt horrendi, crudeles, cet.* Idem eorum de Religione dixit: *Zingari - - - de Resurrectione sciunt nihil - - - Religiosos habent nullos. Infantes in Caupona sacris suis initiant, quem actum nefarie Baptismum vocant.* (Hodie non ita fit) *Sæpe uxores ducunt vix pubertatem egressi; quas iterum levi de causa repudiant.* Rectè verò P. Illia: *Religionem*, inquit, *aut sectam, vt plurimùm arbitrariam profiteutur, ac ferè quam Heri, aut ii, quorum ope ac patrocinio fruuntur.* Sunt Romano - Catholici, Helveticæ Confessionis, Græci Ritûs: sed, vt omnium sunt ignorantissimi, ita nullo ferè Zelo imbuti. Paucissimos reperias vel inter Seniores eorum, qui erraticum vitæ genus sequuntur, Orationis Dominicæ cognitione pollentes. Plures fronte (loquor cum Appulejo) quàm animo litteratos inter eos observaveris; hinc nullus ex hac Gente

Sa-

J. 168.

Sacerdos, ex quo in proverbium abiit: *Tot* (i.e. nullas) *habeas fortunas, quot Zingaros Popas videre mihi datum est.* Lingvâ, quantum Viri Eruditi censent, haud multùm ab Ægyptiâ dispari utuntur. *Camerarius* in *Horis succissivis* observavit, ubicunque locorum degentes unico fundamentali idiomate uti, dialecto singulis locis attemperatâ. Nos comperimus Zingaros nostros plurima vocabula hungarica & Valachica (sunt etiam, qui vix vernaculam, benè vero Valachicam callent linguam) suis miscuisse, lingvamque suam, ei quam *Aurelius Parastratus Paracelsus*, ab *Augusto Pfeiffero* reprehensus, (*Vid. Præf. Introduct. in Orientem*) ex omni genere lingvarum, fabricavit, similem fermè reddidisse. Vocabula Zingarica sunt: *Pátu*, i. e. lectus: *Ogyész*, Sol: *Cást*, lignum: *Páni*, aqua: *Rom*, Zingarus: *Romni*, Zingara: *Szcamin*, scamnum: *Gatsó*, vir: *Gatsi*, mulier: *Raśáj*, Sacerdos: *Rasani*, Sacerdotissa, &c.

Hæc scripsisse sufficiat de *Toleratis* Transsilvaniæ *Nationibus*; quarum *Valachicam*, *Joh. Petrus & Paulus Manucii* haud rectè inter tres Nationes, loco Hungarorum, posuerunt.

CAPUT VII.

DE TRANSSILVANIS QUOAD PRÆROGATIVAM.

§. CLXVIII.

Nationes Transsilvaniæ, ratione Prærogativæ, in NOBILES & IGNOBILES distribuuntur.

§. CLXIX.

§. CLXIX.

A. NOBILES ſunt Membra Coronæ ab omni ruſticitatis & ignobilitatis ſervitute exemta, & præcipuis Libertatibus prædita.

1. Origo Nobilitatis ex Militia repetenda eſt; quam luculentiſſimè docet Codex Legum Hungaricarum, *Decreti Tripartiti Part. I. Tit.* 3. Hunni enim atque Hungari è Scythia egreſſi, tamquam militiæ omnes addicti, nativâ æqualiter Nobilitate gaudebant; non hic Dominus, ille ſervus; non hic Nobilis, ille Ignobilis cenſebatur. Ii verò, Capitaneis inter ſe ordinatis, & uno præterea Rectore, ad lites diſſidentium ſopiendas & malefactores caſtigandos electo, decrevêre, vt dum aliquæ res communitatem æquâ ſorte tangentes occurrerent, aut generalis expeditio exercitûs incumberet, tunc enſis ſangvine tinctus per Hunnorum habitacula deferretur, iique armati, vel qualiter poſſet convocarentur. Hæc conſvetudo inter Hungaros, uſque ad tempóra Geyzæ, Patris S. Stephani inviolabiliter extitit obſervata. Et quia ſtatutum erat, vt transgreſſores ejuscemodi mandati, niſi rationabilem adſignarent excuſationem, cultro media per viſcera ſcinderentur, aut communem & perpetuam in ſervitutem redigerentur: hæc ſanctio plurimos Hungarorum redegit in ruſticitatem ſive plebeam conditionem. *l. c.*

2. Modi deinde aliquot Nobilitatem acquirendi enati ſunt. Præter generationalem enim, quæ per nati-

tivi-

§. 169. ...

tivitatem acquiritur, quando nempe ex patre nobili, matre licet ignobili (ſed non è converſo) quis procreatur, acquiritur quinque modis: 1. Per *collationem Bonorum & Jurium poſſeſſionariorum*, dum Princeps cuipiam ignobili ob præclara facinora, ac ſervitia, jus quodpiam poſſeſſionarium donat; mox enim ille per hujusmodi Donationem, ſtatutione ligitima ſubſequente, in verum Nobilem creatur, & ab omni ruſticitatis jugo eripitur. *Decret. P.* 1. *T.* 7. Et ii quidem, qui hoc modo nobilitantur, *Donatarii Nobiles* appellantur. 2. Per *Literas Armales*, dum Principes quemcumque plebejæ conditionis hominem à ruſticitatis & ignobilitatis ſervitute ſegregando & eximendo, in cœtum ac Collegium, numerumque Regni Nobilium per ſpeciale Diploma aggregat, & adſcribit. *Ibid. I.* 6. Et hujusmodi Nobiles, *Armaliſtæ* vocantur: quod in literis ſuper Nobilitate confectis *Arma gentilitia*, ſeu *Inſignia* exprimi ſoleant. 3. Per *Præfectionem*, dum Princeps mulierem ſeu puellam aliquam non exiſtentibus filiis, in Bonis Paternis vel etiam fraternis (ſi frater ipſe hæredibus careat, & præfectioni conſentiat) maſculinum duntaxat ſexum concernentibus, in verum hæredem, & ſucceſſorem præficit; hoc enim modo filii ipſius præfectæ etiam ex ignobili patre progeniti (quia præfectio naturam, vimque donationis ſapit, atque repræſentat,) veri nobiles reputantur. *Ibid. I.* 7. 4. Per *Adoptionem*, dum quis dominorum vel nobilium legitimis hæredibus, deſtitutus ruſticum, ſeu ignobilem quempiam in filium, ſibi adoptat, & ſucceſſorem hæredemque Bonorum ſuorum ſubſtituit, acceden-

dente conſenſu Regio, tandem & ſtatutione legitima eorundem Bonorum ſubſequente. *Ibid.* *Tit.* 8. 5. Per *Indigenatum*, dum extraneus aliquis Magnas, aut Nobilis ob merita Regno præſtita in indigenam recipitur & juxta *Appr. Conſt. Part. III. Tit.* 41. *Art.* 1. Statibus incorporatur.

3. Præcipuæ Nobilium Libertates & Prærogativæ ſunt: 1. Quod ipſi, niſi citati vel vocati, ordineque judiciario condemnati fuerint, in eorum perſonis, ad quorumvis inſtantiam vel clamores aut preces, nusquam & per neminem detineri poſſint. Violatur tamen hæc libertas in factis cauſisque Criminalibus, puta: Homicidio deliberato, villarum combuſtione, furtoque & rapina ſive latrocinio, atque etiam violento adulterio, in quibus honorem, titulumque & libertatem Nobilitatis quilibet amittit; & ſi fieri poterit, etiam per ruſticam manum in loco criminis commiſſi liberè detineri & puniri poteſt; ſed ſi de loco delicti aufugerit, proceſſu poſtea juridico adgravari debebit. 2. Quod ſolius Principis poteſtati ſubſint, qui via juris cum iis agit. 3. Juſtis ſuis juribus, & omnibus proventibus, intra terminos territoriorum ſuorum adjacentibus liberam ſemper, prout volunt, fruendi habent poteſtatem, ab omnique conditionaria ſervitute, ac Datiarum & Collectarum, tributorum, vectigalium triceſimarumque, ac Decimarum ſolutione, ac Militarium condeſcenſionum onere immunes & exempti babentur. 4. Veram alicujus Nobilitatem in Foro Judiciario temerè negans in homagio illius defacto convincitur, & aggravatur. Vide has omnes prærogativas Nobili-

bili-

§. 169. 170. 171.

bilitares aliasque Libertates, *Decr. Trip. P.* 1. *T.* 9. *P.* 2. *Tit.* 38. & in *Articulis Comitiorum passim;* quas confirmatas legimus in Diplomate Leopoldino aliisque Benignissimis Augustis. Domûs Austriacæ Resolutionibus, Sanctionibus *cet.* & postmodum Articulo VI^{to} Diætali, anni 1744. 5. Sed & Nobiles, Principe contra hostem insurgente, intra fines Patriæ, proprio stipendio & apparatu militare tenentur. Conf. §. 150. n. 8.

§. CLXX.

Nobiles sunt *Seculares* & *Ecclesiastici.* *a*) NOBILES ECCLESIASTICI sunt omnia Venerabilis Cleri sive Statûs Ecclesiastici Membra, puta: Episcopus, Præpositi, Abbates, Canonici, Archi-Diaconi, Parochi & Religiosi Ordines.

Omnes sanè V. Cleri Personæ singularibus gaudent juribus & prærogativis. Gaudent Immunitatibus (§. 169. n. 3.) recensitis, & insuper in Causis Personalibus liberi sunt à Judicio Civili, ac nonnisi intuitu Bonorum temporalium, coram eo juri stare tenentur. *Decr. Trip. P.* 1. *Tit.* 12.

§. CLXXI.

b. NOBILES SECULARES duplices itidem sunt, MAGNATES v. l. & NOBILES simpliciter ita dicti.

Magna-

§. 172.

Magnates & Nobiles propriè dicti, una eademque libertatis, exemtionis & immunitatis prærogativâ gaudent, nec habet Dominorum Magnatum aliquis plus, nec Nobilis quispiam minus de libertate; hinc etiam una eademque lege & consvetudine, ac uno & eodem juridico processu in judiciis utuntur. *Decr. Trip. P. I. T. 2*: Magnates tamen Nobiles (nisi eminentis Officii ratio aliud svadeat) in incessu præcedunt. Opes non distingvunt Magnates à Nobilibus; & certè Nobiles nonnullos, Opibus quandoque valentiores, quibusdam Magnatibus, facilè reperias.

§. CLXXII.

α. Magnates duûm ordinum numerantur: alii enim COMITES, LIBERI BARONES alii sunt.

1. *Comites* à comeando (ex *con* pro *cum*, & *eo*; quasi qui *simul it*, *Becm. Orig. Lat. Lingvæ*) ita dicti, duplicis sunt status: alii namque sunt *Comites Supremi Comitatuum*, & ab Officio, *Comitis* titulo ornantur, sed de his postea dicendi locus erit; alii *Comites* (Hung. *Grofok* ex Germ. Grafen dicti) simpliciter ita nominati, qui hoc titulo, etiamsi nullo gaudeant Officio, tamquam sangvinis & prosapiæ charactere fruuntur; de his nobis nunc sermo est. *P. Szegedi*, in Notis ad Decr. Andr. II. Regis, hanc de Hung. & Transs. Comitibus reliquit observationem: " Neque *olim* Comitum „ Titulus ad filios transibat, cum is fuerit Of- „ ficii & Dignitatis, non verò sangvinis & pro-

§. 172.

„ sapiæ. Fuerunt quidem plurimi Comites ra-
„ tione Officiorum, vt Præfectus Palatii, &
„ Curiæ Regiæ ac Reginalis: Castrorum item
„ Regalium & Reginalium: Comites præterea
„ Salinarii, Tributarii, & Camerarii Moneta-
„ rum; denique Comites Provinciarum, seu
„ Comitatuum Gubernatores & Administri. (*hi*,
„ *vt diximus*, *Supremi Comites*, *Hung. Fö-Ispányok*,
„ *hodie vocantur*) Sed usque ad tempora Ludo-
„ vici I. inclusivè, rarissimi sanè fuerant Comi-
„ tes, quibus hic titulus, demto Officio com-
„ petiisset. Unde imitatione Germanorum &
„ Bohemorum, aliarumque Nationum, *Comi-
„ tum Titulus* multiplicari cœpit reipsa, sub Si-
„ gismundo Imperatore & Rege Ungariæ ac
„ Bohemiæ. Quanquam non ignoremus, Ca-
„ rolum I. Ludovici I. Parentem, vt Hungaros
„ magis sibi devinciret, complures, quos opi-
„ bus præpollere & splendidius vestiri conspexe-
„ rat, *Italica libertate*, Comitum honore digna-
„ tum fuisse *cet*.

2. *a.*) *Baronum* vocabulum antiquum, quod pridem mihi mortuum videtur, multum sanè a recentiore *Baronis* nomenclatione differt. *Baro* Ciceroni erat Philosophus ineptus & muliebris, qui non acutior, ac femina quædam *Baro* dicta & Philosophiæ addicta, in philosophicis fuerit. *Petronio*, homo nequam & Baro idem erat. Non longo à Ciceronis ævo intervallo, milites, qui à præsidiis Ducibus erant, Barones adpellati sunt, apertè quod legitur apud Hirtium de Bello Alexandrino. At verò hæ vocis significationes, simul cum ætate, ita interciderunt; vt Baronis

tan-

tandem nomen, quaſi nunquam antea auditum, media ætate, cum aliis ſignificatibus, natum ſit. Clariſſ. *Mich. A. Ajtai* Profeſſor Lingvarum & Hiſtoriarum Enyedenſis, in Oratione Exſequiali, quam ſuper funere *Illuſtr. L. B. Moſis Joſika* Vice-Colonelli, *de Baronibus*, An. 1756. 13. Jun. Aranyas-Lonæ recitavit, eruditè vocis *Bári* primos natales, ad Hunnorum Hungarorumque lingvam & conſvetudinem retulit: *Caſtellum*, inquit, *nobis Vár dicitur, mox levi mutatione Bár; Hungaris Váron erat is, qui Caſtellis à Rege donatus erat, quæ ſita in medio terragii fuerant, inde Varonia, & mox Baronia.* Hanc recentiorem vocis notionem, quamvis, propter Lingvæ Hungaricæ, quæ Scythica eſt, ignorationem, non plane perfectam, agnovit *Cl. Wachterus*, dum ſcripſit: *Bar*, inquit, *vox perantiqua & Scythica, quæ Scythis olim enunciabatur* Vaor: *quæque Latinis eſt & effertur* Vir, *Cambris* Gwr & Wr, *Gothis* Wair, *Anglo-Sax.* Wer, *Legibus antiquis Francorum & Alamanorum & Longobardorum* Barus & Baro, *Hiſpanis* Varon, *Gallis aliquando* Gvaron. Vox Scythica, vt diximus, *Vár* eſt. Gallia itaque & aliæ Europæ Provinciæ, ex Hungaria, in terras intulerunt ſuas. Nec mirum, cum conſtet Gallos aliosque, militaris præcipuè eruditionis cauſa, in Aulis Regum Hungariæ frequentes comparuiſſe. Ad Baronatum interim, non antiquitas generis, nec ſplendor natalium adeo expedita erat via, ac virtus militaris. Qui bellicæ expeditionis laude inclaruit, is revera, data occaſione, Baroniam accepit, & tandem ſua cum Baronia Regem ad bellum ſequutus eſt. Hac ex conſvetudine factum, vt Epiſcopi quoque, Ba-

3.172.

ronias in Hungaria obtinentes, armis ad bellum præcincti esse debebant. Talium Investitura Baronum, Regio confirmabatur Diplomate, & datis Insignibus, fortitudinis & victoriæ emblemata exhibentibus, augustior reddebatur. Investituræ verò sollemnia in confertissimo olim Procerum agmine fiebant, quum summus Imperans, porrecto gladio, declarabat illum relatum jam verorum in Catalogum Baronum, cujus Jura & Privilegia sarta esse gratiosè vellet. Sic præmio virtus acuebatur. Fuerunt plura etiam in Transsilvania Terragia, benè de Patria meritis cum privilegio Liberi Baronatûs collata, puta: Districtus Fagaras, Districtus Kövár, Bona Episcopatûs Transsilvaniensis, Deva, Arx & Territorium Görgényense *cet.* Meritò horum possessores, *Liberi* Barones dicti fuêre: quisque enim eorum, cum exemtione à Jurisdictione Wajvodarum & aliorum Officialium, plena auctoritate Baroniam possidebat, juraque suprema, unica ad Regem vel Principem appellatione exceptâ, exercebat, nec rationibus reddendis, nisi in causa perduellionis, obnoxius erat. In foro itaque Baronis, omnes, intra fines suæ Baroniæ natæ, causæ & capitis & rerum Civilium decidebantur. Ex his intelligere queas complures Legum Transsilvanicarum Articulos, quibus declaratur, *Generalem Malefactorum Inquisitionem*, *Czirkálás* vulgò dictam (quæ omni saltem trienio semel omnibus locis peragi per Officiales debebat, *Approb. P.3. T. 46.*) omnibus in territoriis, præter Baronias & Oppida Privilegiata ac Civitates, sub pœna flor. 200. & post 500. admittendam fuisse. At ipsi L. Barones, suis in Baroniis, per subditos sibi Officia-

ficia-

ficiales, idem peragebant. Propria, hi L. Barones, ſigna militaria ſive Vexilla habuerunt, ſub quibus tempore bellorum, plebs circulo Baroniæ concluſa, debito numero, ſuum Baronem, Baro Regem aut ejus Perſonalem, ſequi debebat. Hinc Barones Hungaris *Záſzlós Urak*, i. e. Vexillarii Domini vocari conſveverant. Barones hodierni non ex antiquorum ſunt Ordine. Anno enim 1607. 10. Jun, & 1609. 9. Oct. Liber Baronatus per univerſam Tranſſilvaniam, publico Comitiorum Edicto ſublatus fuit; idem confirmatum legimus ſequentibus quoque annis de Baronatibus, præter Fagaraſenſem, qui in favorem Principiſſarum, quibus peculiari jure poſſidebatur, antiqua libertate utendi poteſtatem obtinuit, uſque in exodum periodi patriorum Principum. Si cui tamen voluptas eſt, quædam vetuſta Liberorum Baronatuum indicia conſpicere; is Templa quarundam Civitatum & majorum Oppidorum adeat, in quibus (cumprimis Claudiopolitano Helveticæ Confeſſioni addictorum) dum Vexilla ſuſpenſa intuebitur, ſciat oppidò, majores Nobilium Familiarum, quarum ea ſunt propria, Liberos olim Barones fuiſſe.

b.) Certum eſt, vocabulo Baronis in Aulas demigrante, etiam Viros quosque Nobiles Principum obſequiis & ſervitiis addictos, imò Viros Militares, & qui in Aulis Regum primas tenebant, notare incepit; unde Aulici & Barones, pro Synonymis habebantur. At in Regno Hungariæ & Tranſſilvania, in præcipuam & primariam Dignitatem Baronis notio pertranſiit: ubi quia duo ſunt Ordines, Eccleſiaſticus, & Secularis, qui

Reipublicæ administrandæ ab antiquo præficiebantur; hinc *Ecclesiastici* Administratores *Prælati*, quia Politicis præferuntur; *Seculares* verò, primariis Regni Officiis fungentes, *Regni Barones* dicebantur. Qui autem, in Hungaria, Regni Barones fuerint, docet luculenter *Decr. Trip. P. I. Tit.* 94.; quorum v. l. ab antiquo nomina Decretis & Literis Confirmationalibus Regiis inseri consveverunt: Palatinus Regni Hungariæ, Judex Curiæ Regiæ, Regnorum Dalmatiæ, Croatiæ & Sclavoniæ Banus, Waywoda Transsilvaniæ & Siculorum Comes *cet.* Hodie (quod incidenter notemus) Barones Regni, in Hungaria supremas dignitates tenentes, censentur: 1. *Primas Regni*, qui Archi-Episcopus Strigoniensis est. 2. *Palatinus*. 3. *Judex Curiæ Regiæ*. 4. *Banus Croatiæ*. 5. *Tavernicorum Regalium Magister*. 6. *Pincernarum Reg. Magister*. 7. *Dapiferorum R. M.* 8. *Agasonum R. M.* 9, *Curiæ Reg. Mag.* 10. *Janitorum R. M.* 11. *Cubiculariorum R. M.* 12. *Duo Sacræ Coronæ Conservatores*.

c. Hodierni nostri *L. Barones*, ab iis, quos recensuimus, sunt diversi, huncque Titulum non ab Officio, sed ex Sangvine & Prosapia habent: eoque, tamquam honorario, à Nobilibus simpliciter ita dictis distingvuntur; & quemadmodum Comites, Hi quoque *Illustrium* ac *Illustrissimorum*, vt & *Magnificorum* Titulo insigniuntur. Reliqua de Baronibus, apud Artis Heraldicæ Scriptores legenda. vid. p. 590.

§. 173. ...

§. CLXXIII.

COMITUM in Tranſſilvania, hoc tempore, Familiæ ſunt: Sacri Romani Imperii Comitum *Teleki*, Comitum *Bánffi*, *Béldi*, *Bethlen*, *Brânkován* Principis, *Csáki*, *Eſzterházi*, ~~*Ferrati*~~, ~~*Földváni*~~, *Gyulai*, *Haller*, *Kálnoki*, *Károlyi*, *Kemény*, *Kendeffi*, *Kornis*, *Kun*, *Lázár*, *Mikes*, *Mikó*, *Nemes*, ~~*Pethi*~~, *Rhédei*, *Székely*, *Tholdalagi*, *Tóldi*, *Torotzkai*, *Was*.

1. Illuſtriſſimas Comitum Familias, ſerie, nec ab opibus, nec à pluralitate Dominorum alicujus Proſapiæ, ſed ab Alphabeto, deſumta, ex *Titulari Dacico* Anni 1770. huc tranſtulimus. Sunt harum nonnullæ, quæ jure Civitatis Tranſſilvanicæ & Hærediis gaudent: rariſſimè tamen aliquid in Tranſſilvania temporis tranſigunt. Sic Familiæ totâ Hungariâ celebratiſſimæ, *Eſzterházi* & *Károlyi* vix Tranſſilvaniam incolunt. Wajvodalis in Valachia Tranſalpina Familia *Brânkován* ſive *Canthachuzena*, ob ſingularia in hanc Patriam merita, An. 1679. 27. Maji, vi Articuli Diætalis 22di, Indigenatum obtinuit, Bonaque in Diſtrictu Fagaras poſſidet, at in Tranſalpina vt plurimùm degit. De hac Familia, lectu ea ſunt digniſſima, quæ *Demetrius Kantemir* Moldaviæ quondam Wajvoda, in Geſchichte des Oſmaniſchen Reichs (Edit. An. 1745. in 4. Hamburgi) litteris conſignavit; *pag.* 606. dicit: Er (Brarkován) iſt in Europa unter den Namen Kantaku-

zenus, Brankovan und Bassaraba bekannt geworden. Ejusdem vero *Kantemiri* Beschreibung der Moldau, apud Celeberrimum Büschingium, Magazini T. III. à pag. 537. ad. 574. multa de Valachis, eorumque lingva, *cet.* contient, quibus Transsilvani quoque Valachi illustrantur.

2. Tanta, in materia Familiarum Magnatum, est Scriptorum penuria, vt præter *Historiam Genealogico - Transsilvanicam*, *Ladislai Mikola Lib. Baronis*, frustra scriptum aliquod publicum quæsiveris: & memorata quoque Historia, nec omnium Familiarum meminit, nec omnes eas, in quarum mentionem incidit, plena scriptione prosequitur. Orationes & Conciones Exsequiales publicè recitatæ in hoc argumento nonnihil juvabunt. Nos, *Parte Speciali*, Hæredia Illustr. Comitum ac Baronum passim descripturi, Familias Pocerum digito saltem monstrabimus.

§. CLXXIV.

Baronum Familias ordo alphabeticus sic exhibet: *Alvintzi*, *Andrási*, *Apór*, *Bálintith*, *Bánffi*, *Bartsai*, *Bornemisza*, *Bruckenthal*, *Dániel*, *Dietterich*, *Dioszegi*, *Dujardin*, *Györffi*, *Henter*, *Húszár*, *Intzédi*, *Josika*, *Josintzi*, *Kemény*, *Korda*, *Miske*, *Möringer*, *Nalátzi*, *Orbán*, *Pelnitz*, *Prinyi*, *Révai*, *Radák*, *Seeberg*, *Szent-Kereszti*, *Sztójka*, *Toroczkai*, *Vesselényi*, *Vaji*.

§. CLXXV.

§. CLXXV.

B. Nobiles Transſilvani, omnium jurium, prærogativarum & libertatum Nobilitarium (§. 169. n. 3.) integerrimi participes, ſunt numero prolixiſſimo; omnesque veri nobilis Sangvinis, multum licet conditione facultatum & opum inter ſe differant, unam tamen eamdemque Nobilitatis immunitatem habent.

1. Ne Siſyphi ſaxum volvam, omnes Transſilvaniæ Nobiles & eorum familias enumerare non intendo: poſteriore tamen operis mei parte, non planè Nobilium memoria mihi excidet. Sunt certè Florentiſſimæ & Spectabiles eorum Familiæ complures. Multas verò Seculis ſuperioribus Celeberrimas & nominatiſſimas jam defeciſſe videmus; tales cumprimis fuerunt: *Alárdi* de Kerelö-Szent-Pál, *Alia* de Serke, *Ártándi*, *Apafi* de Apa-Nagy-Falva & *Báthori* de Somlyó (Familia Principum,) *Baladſi* de Kis-Kend, *Baláſi* de Caſtro Szent-Demetrienſi, *Baſa* de Zabola, *Bornemiſza* de Kolosvár & Petrelin ac Kápolna, *Darlatzi*, *Erdélyi* de Somkerék, *Füzi*, *Folthi*, *Gávai*, *Gétzi*, *Haranglábi* de Eadem, *Harinnai*, (magni nominis,) *Iſju* Principibus Bathoriis ſangvine juncta, *Kamuthi* de Szent-Láſzló & *Drág*, *Kendi* de Szarvas-Kend, *Kereſzteſi*, *Kereſzturi* de S. Benedicto, *Kováſótzi*, *Lépeſi*, *Majláth*, *Mind-Szenti* de Vitze, *Napolyi* de Fel-

§. 176.

Ör, *Patzolai*, *Perusithi*, *Radvántzi*, *Ravaszdi*, *Serédi*, *Sigeri*, *Zólyomi* de Albis, *Havasalyi* de Papfalva, *Mikola*, *Vitéz*, *Almádi*, *cet.* quæ omnes in sexu virili, multæ etiam in fœmineo extinctæ sunt.

2. In Articulis Diætalibus prioris Seculi, *Nobiles* ante An. 1657. tempore quolibet creati vocantur *Nativi*, postea verò Nobilium Catalogo adscripti dicuntur *Nobiles Novitii.* De illis, An. 1595. 16. Apr. Statutum in Comitiis erat: *Nobilis ante An.* 1593. *se ad Jobbagionatum obligans, maneat ibidem; at dein pro effugio Militiæ se obligantes, restituantur; nec unquam Nobilis in Rusticum & Jobbagionem redigi possit, sub pœna amissionis Bonorum omnium ejus, qui se obligaret, capite in gratia Principis relicto.* Sed ea illorum ad Jobbagionatum obligatio sequentibus temporibus ratione pœnæ dissimulabatur. Scilicet, vt sunt hac ætate, fuerunt priscâ quoque, Nobiles Primicerii, quibus quum opibus valerent, Nobiles tenuiores obligare ad Jobbagionatum, adflictis temporibus, haud multùm difficile erat

§. CLXXVI.

Fuerunt verò, & sunt hodieque homines, à Rusticorum conditione certis terminis remoti, ac pro Nobilibus sub peculiari schesi habiti; qui plebeis servitiis subjacent.

1. Tales sunt fueruntque *Nobiles unius Sessionis* sive *Fundi*, lingvâ vernaculâ *Egyházi Nemesek* nuncupa-

§. 176.

cupati, i. e. qui (docente *Art.* 7. Anni 1689. 24. Nov.) Jobbagionem hæreditarium in loco portatim censito non habuerunt, etiamsi inquilinum in fundo suo Nobili, aut terra pagi communi habuerint. *Nobiles unius Sessionis* & Militiæ & Tributo fuerunt obnoxii. Princeps igitur, An. 1569. Festo Purif. B. Mar. Virg. contra Nobiles unius Sessionis in Comitiis *questus est*, *quod sæpe pauci & serò, cum insurgitur, comparere soleant.* Statux horum intelligitur ex Articulis Diætalibus; en eorum unum alterumque; An. 1680. 12. Dec. Art. 2. *Nobiles residentiati, aliique Incolæ Liberi, qui se Militiæ Campestri addixerunt Principis, Contributionem præstent, eo, quod pro stipendio serviant.* An. 1682. 17. Febr. Art. 3: *Vidua Nobilis unius Sessionis, pecora & seminaturas non habens, sit immunis; si habuerit, mediam Contributionem Articularem præstet.* An 1687. 26. Jul. Art. 11. *Nobiles in Fundo censito residentes, ad manus Judicis pagi, i. e. Portatim contribuant; demtis tamen Nativis Nobilibus* (unius nempe Sessionis) *qui à Contributione Portali exemti sunt.* An. 1688. 27. Sept. *Fundi Nobilium ab An. 1657. in Fiscalitatibus, per Donationes creatorum, è numero Census Portalis defalcantur; & hi quoque ad instar aliorum Nobilium unius fundi, solùm capitatim contribuere jubentur: licet antea à capite seorsim, & Portatim, contribuissent.* An. 1671. 25. Octob. Art. 34. *Nobiles nativi unius Sessionis etiamsi in Fundo juxta Portas censito resideant, solùm à capite contribuant Thal. 1. à Fundo & Bonis nihil; at contra Nobilis, ab An. 1657. creatus à capite Thal. 1. à Fundo censito, quod obvenerit, præstet.* An. 1697. 9. Mart. Art. 10: *Si plures Nobiles unius Sessionis*

Fun-

§ 176.

Fundum unum inhabitent; ad æqualem cum ceteris Contributionem ſingillatim ne cogantur, ſed juxta facultates ſit inter ipſos æqualis repartitio. Porrò, cum hi Nobiles, Militari quoque ſervitio addicti fuerint; à quartiriis, præjuncturarum & victualium præſtatione, à teloniis item & vectigalibus (niſi quæſtum exercuerint) immunes fuiſſe eos, docent Articuli An. 1588. 8. Dec. An. 1613. 1. Maji, & An. 1649. 23. Jan. Art. 13.

2. *Sclopetarii* ſive *Venatores*, Hung. *Puskáſok*, qui è ſtatu Jobbagionali, pro Principum beneplacito, exemti, venationibus in rationem Principis factis, onera Jobbagionalia compenſabant, & Libertini habebantur: portali nihilominus Contributioni ſubjacebant. Nam Art. 11. Anni 1670. 1. Dec. ſtatutum eſt: *Viginti tres Sclopetarii in Dominio Dévenſi juxta Portas contribuant.* Anno 1691. 1. Dec. Art. 11: *Nobiles Sclopetarii jubentur ad inſtar Ruſticorum portatim contribuere; non obſtante, quod Dominum ſuum Terreſtrem* (i. e. Electum Principem) *ſolùm ut Sclopetarii ſerviant.* Tenore Articulorum, Sclopetarii per univerſam Transſilvaniam 200. immunitari debeant; unde An. 1678. 1. Oct. Art. 46. concluſum eſt omnes, qui numerum ducenarium ſuperarent, ad priorem Ruſticitatis conditionem, reducendos eſſe. Denique, *Compil. P. 3. T. 1. Art. 11.* ſancitum, ne Sclopetariis in rationem Principis venantibus, vinum, & equi curſorii à plebe ſuppeditentur. Hi ergo fuerunt *Semi-Nobiles temporarii.*

3. *Cives* h. e. Liberarum Regiarumque Civitatum incolæ eorum in homagiis Nobilibus Regni æqui-

S. 176...

quiparantur. *Trip. P.* 3. *T.* 9. & Titulo *Prudentium* ac *Circumſpectorum* gaudent, nec Domino Terreſtri ulli ſubjiciuntur: at Tributum, Quartiria, & alia plebea ſervitia præſtant. Imò in Lib. Reg. Civitatibus ne ipſi Magnates Poſſeſſores quidem Tributi immunes ſunt. De Siculorum Nobilitate alibi dictum.

4. *Armaliſtæ*, recenter quoque creati, ſi Jobbagiones ſive ſubditos congruo numero non habuerint. Opere pretium erit, Reſcriptum Cæſareo-Regium, Auguſtiſſimæ Imperatricis, Sereniſſimæ & Hereditariæ Noſtræ Principis, hanc in rem transferre, ſic ad Excelſum Reg. Gubernium exaratum:

„ MARIA THERESIA &c.

„ Illuſtres, Reverende &c. Quid de illis,
„ quos ab An. 1753. per Collationem Arma-
„ lium, ad gradum Nobilitatis evcximus, ſtatuere
„ dignatæ ſumus, è Benigno Noſtro de 15ta Febr.
„ anni ejusdem, ad Vos emanato Reſcripto in-
„ tellexiſtis quidem; cum nihilominùs obſerva-
„ retur, Altiſſimam hanc Intentionem Noſtram,
„ eo quod ſufficienter explicata Vobis nos fuiſſet,
„ adæquato ſuo effectu deſtitui, hanc ad genuinum
„ ſuum ſenſum ſequenti modo Vobis duximus
„ interpretandam: Nobiles quippe tales bifariam
„ conſiderandos eſſe; alii enim ſunt, qui è re-
„ ceptis in Transſilvania Nationibus jure Indige-
„ natûs gaudentibus Armales impetrarunt; alii
„ autem, qui ex Advenis & Peregrinis Hono-
„ rem Nobilitatis conſecuti ſunt. Enimverò

„ quem-

§. 176 ...

„ quemadmadùm prioribus Jus Indigenatûs „ præ Advenis & Peregrinis præcedentiam con„ciliaret: ita hos inter & illos, in præcitatæ „ Altiſſimæ Reſolutionis Noſtræ applicatione „ hanc obſervandam eſſe diſtinctionem, vt In„digenæ à Contributione tum eximantur, quan„do ſe ad minus decem Subditos Contributio„nis bajulos habere demonſtraverint; eousque „ verò Honoris ſaltem gratia habeant Nobilita„tem. Nobilitati ex Advenis & Peregrinis è „ converſo, habeant quidem ad inſtar Nobilium „ aliarum Noſtrarum Hæreditariarum Provincia„rum Honorem Nobilitatis; eo tamen, quod In„digenæ non eſſent, peculiarium & propriorum „ Nobilitatis Tranſylvanicæ Privilegiorum partici„pes haud reddantur: & hinc, tam Contributio„nem, quàm Triceſimas & Telonia, hisque „ ſimilia, quibus præſtandis ante adeptam Nobili„tationem obnoxii fuerant, præſtare obligati „ ſunto. Id quod Vobis, pro Veſtra directio„ne & diſponendorum diſpoſitione hiſce inti„mamus. In reliquo Gratia Noſtra &c. Da„tum Viennæ Auſtriæ, Die 14. Apr. A. 1766.

MARIA THERESIA
m. pr.

CAROLUS COMES BRAINER
m. pr.

Ad Mandatum &c.
VOLFFGANGUS CSEREI
m. pr.

§. CLXXXVII.

§. CLXXVII.

B. IGNOBILES in Transſilvania adpellantur Libertaribus & Prærogativis Nobilitaribus deſtituti homines, ſuntque ii: 1. Cives & Oppidani (§. CLXXVI. n. 3.) 2. Libertini. 3. Subditi. De Subditis quædam nunc nobis ſtrictim perſequenda.

De *Civibus* jam §. 76. n. 3. dictum. *Libertini* ſunt à Dominis ſuis Terreſtribus manumiſſi. *Subditi* ſunt vel *hæreditarii* (*örökös Jobbágyok*) vel liberæ migrationis ſive *Inquilini*, (*'Sellérek*) gaudentque Titulo *Providi*.

§. CLXXVIII.

Subditi, vulgò *Jobbagiones* dicti, ſervi ſunt Magnatum & Nobilium, tam ex Receptis Nationibus, quàm & præſertim ex Toleratis Gentibus Transſilvaniæ facti, qui communiter & de Lege *Ruſtici* nominantur.

1. Subditi, vernaculâ noſtrâ *Jobbágyok*, per antiphraſin, vt arbitror, dicti ſunt. Vetuſtiſſimis enim temporibus, *Jobágio*, *Jobbágio*, *Jobbágyio* & *Jubágio*, idem erat, ac Baro Regni, §. 172. *n.* 2. *b.* vt proinde, doctè obſervante *P. Job. Szegedi* in *Decr. Andreæ Regis*, Jobagionatus Regni

§. 172. ...

gni, pro Baronatu Regni sumtus fuerit. Hoc sensu *Jubágio*, in Privilegio Andreæ, Saxonibus dato §. 152. *n.* 1. comparet. Filii verò primariorum Regni Jobagionum, vt vetustiora docent Diplomata, Titulo *Magistri*, velut honorificentissimo ea tempestate, ornari solebant: Eodem v. l. quo Minores Regni Barones, putà, Magistri Tavernicorum, Janitorum &c. Scilicet, Hungaris *Jobb*, meliorem; *Ág*, ramum, significat; unde *Jobbág*, hominem ex *meliore* sive excellentiori *prosapia* ortum, quales Regni Barones fuisse oportebat, denotaverit. Hoc profectò sensu, *Articulo X. Decreti Andreæ II. Regis Hungariæ*, vbi de Remuneratione filiorum Baronum in bello occumbentium sermo est, verba accipienda sunt: *Si quis* Jobágio *habens honorem in Exercitu fuerit mortuus; ejus filius vel frater, congruo honore sit donandus.* Hodie autem Jobbagionem (*Jobbágy*) vocamus solùm subditum aut Colonum hæreditarium; quasi dicamus, eum Jobagionis, h. e. Magnatis aut Nobilis esse hominem sive servum. Hac significatione, præsens vocabulum, *Art.* 19. *Decr. Andr. II.* usurpatum legimus. *Jobbágy* igitur non dicitur à Leibeigen vel Laibaigen, vt vult *Tröſterus*, nec à Jochbar, vt aliqui putant. Nec rectè *Kelpio* Jobbágy *Jobgáyi* nuncupatur. ingens etiam olim talium *Servorum*, in Hungaria & Transsilvania multitudo fuit; & hinc *de Servis*, plurimæ in vetustioribus Regum Decretis Leges.

2. Sunt omninò Subditi è gente Hungarica, sunt & ex Saxonica ii, quos in Hungarorum Comitatus commigrasse §. 152. *n.* 3 memoravimus,

sed

3.178.

ſed ſunt prolixiore longè numero è Valachica natione §. 156. *n.* 1. Plebs tamen Valachica, triplici, *Libera* nimirùm, *Inquilinali* & *Jobbagionali*, conditione diſtincta eſt. Valachi *liberæ conditionis* ſparſim in hoc Principatu, & cumprimis Saxonicis Sedibus habitant. His longè longèque, ex eadem gente, numeroſiores Inquilini & Jobbagiones, maximam Subditorum partem, per univerſam Magni hujus Principatûs extenſionem conſtituunt.

3. Ruſtici hi, Litem contra Nobiles movere non poſſunt, ſed nomine eorum Dominus Terreſtris activè litigat. Dum verò Nobilis in jus vocatur ſive citatur, etiamſi propriam illius perſonam lis ſpectet, non Nobili, ſed Subditorum ejus alicui, qui Domino referat, Citatio denunciatur. Apud quemque Dominorum Terreſtrium Forum Judiciarium habetur, eſtque Jobbágionum prima Inſtantia: in eo, quoties neceſſitas exigit, certi Nobiles conſident, Judiciumque ferunt. *Dominale Forum* nuncupari conſvevit. Vid. §. 195. Hinc parti litigantium, ſi quæ fortè ſententiâ ſe gravatam ſenſerit, datur poteſtas, cauſam, maturioris reviſionis gratia, ad Forum Comitatûs aut Sedis, provocandi. Dicam planiùs: Jobbagio injuriam cuipiam inferens, ſuo coram Domino lite perſequendus. Is proinde in majorem incidens culpam, ad Dominum ſuum protinus confugit, vltròque in vincula ſe committit, nec ſecùs, quàm conſtituto Vade, qui, occaſione poſcente, in vadimonium veniat, dimitti cupit: vel ſine tali etiam ipſius cautione per Dominum Terreſtrem in vincula conjicitur, ſecus enim per

J. 179.

præventionem Officialis Circuli, in quo incolatum habet incaptivatur, Judicioque Continuæ Tabulæ subiicitur: nec ei, in eadem causa, à Domino Terrestri Jus dicitur. Notandum & illud: Nobilitatis est proprium, possidere Subditos; at Subditi, quamvis numerosissimi Nobilem reddunt neminem. Ad comprobandam autem Nobilitatem literæ Armales cum nobilitatione exaratæ, aut Donationales, vel Statutoriæ cum declaratione possessionariæ collationis, editæ; immo illis non habitis, litteræ duntaxat expeditoriæ super solutione quartalitiorum (dummodo tempus præscriptionis Jurium Regalium transcendisse dignoscatur) confectæ, abundè sufficiunt. *Trip. p. 1. T. 6.* prout etiam juxta *Ap. Const.. P. 5. Ed. 28.* fide digna testimonia humana, vel alia litteralia.

§. CLXXIX.

Sicut Domini Terrestres, de Subditorum & Inquilinorum fundis habitationis, nec non agris & fœnetis providere tenentur: ita Subditi, Inquilinique hebdomarium præstitutis diebus servitium præstare lege inviolabili obligantur.

1. Quantum qualeque servitium Rustici Dominis suis debeant, ex Articulis Legum discimus copiosè; omnium verò luculentissimè ex Altissima Cæsareo-Principali Ordinatione, A. 1769. 12. Nov. ad tenorem Articuli Diætalis anni 1714. & Mandatorum Principalium An. 1742. ac 1747. emanata, posteaque linguâ hungaricâ, Cibinii typis editâ.

§. 179.

editâ. Juxta quam, 1.) *Subditus*, labores manuarios, qualibet hebdomade quatuor diebus; curru autem aut aratro ſufficientibus bobus aut equis juncto, tribus diebus præſtare tenetur. 2.) *Inquilini* Fundo & Adpertinentiis debito modo proviſi, ſive manuarios ſive currules duobus tantum diebus: Adpertinentiis verò carentes die unico laborem manuarium perficere obſtringuntur. 3.) Subditi cujuslibet uxor, quatuor libras cannabis, aut lini, aut lanæ, annuatim nere obligatur. 4.) Victu proprio, ſubditi, Dominorum ſervitio incumbunt: ſi tamen eos remotiùs ab Oeconomia Dominorum habitare contingat, ideoque ultra quatuor dies uno termino retineantur, pane muniendi erunt. 5.) Decimas proventuum, frumenti v. l. vini, agni, apumque ſolvunt. 6.) Volente Domino, redimere argento ſervitia poſſunt. Reliqua ex citato fonte haurienda. Hæc denique ſervitiorum Norma, non ubique obtinet: In Sedibus ſiquidem Siculicalibus Decimæ non præſtentur; & à Feſto S. Michaëlis ad F. S. Georgii, dies duos, alia anni parte, tres, quavis hebdomade, impendere Subditi ſervitio ſoleant, cibatione quidem plerumque à Dominis ſubminiſtrata.

2. Fungentes tali ſervitio *Subditos* fulcire Fundis & Pertinentiis, Dominorum eſt obligatio: hinc, è Fundorum & Agrorum Fœnetorumque habitatione & pacifico uſu nequaquam Subditi turbantur, ſed poſſeſſio eorundem ad ſucceſſores quoque & filios hæreditario quaſi jure transmittitur. Quod ad *Inquilinos*, qui liberæ migrationis ſunt homines; iis, docente Reſcripto Regio-Principali,

§. 180. ∴ ?.

24. Mart. anni 1774. dato, indultum fuerat, vt dum in Fundo Dominali durabiliores domos è solidis materialibus, propriis sumptibus ædificarent, de constanti in illis permansione, per Dominos Terrestres taliter assecurentur, ne pro arbitrio ex illis turbari possint; verùm in casu etiam, quo inevitabilis necessitatis ratio, Dominum Terrestrem, ad amotionem ejusmodi Inquilini commoveret, hæc non aliter, nisi indagato priùs per Tabulam concernentem genuino inpulsivæ necessitatis statu, instituendaque desuper Magistratuali deliberatione, neque secùs, quàm post præstitam à Domino Terrestri Sumptuum bonificationem admittatur. *l. c.*

§. CLXXX.

Excessibus, si fortè quibus Subditi, gravari per Dominos Terrestres comperirentur, in consideratione Boni publici, vt profugia nempè & emigrationes illorum è provincia, ipsaque adeò Ærarii diminutio & alia nociva consectaria evitentur, Clementissimè per Altissimas Regio-Principales Ordinationes obex positus est.

1. Rem totam docet clarissimè, *NORMA Procedendi in Causis Subditorum ad removenda gravamina tenore Benignissimi Rescripti Cæsareo-Regii die 6-ta Mensis Julii, A.* 1774. *emanati præscripta*; quam typis mandatam, per universum M. Transsilvaniæ Principa-

§. 180.

cipatum, Excelſ. Reg. GVBERNIVM, diſtribui vicatim juſſit. Tenore ejus *Judicium* ordinatum eſt, cujus Objecta ſunt: 1.) *Exceſſivæ Robottæ* (hoc eſt, *Labores ſerviles*, ita dicti ex hungarico *Rab*, quod captivum ſignificat) & aliæ indebitæ Exactiones, quæ vel contra Legem, vel contra Vrbaria Legi non adverſantia, vel contra Regias Ordinationes fiunt. 2.) *Sævities*, quæ conſiſtit in duriore Subditos tractandi modo, vt ſunt: immodica verbera, vinculationes, carceres, & aliæ immeritæ afflictiones corporales. 3.) Subtractio eorum, quæ Subditis de antiquo uſu, vel expreſſa Lege, aut Inſtitutis Regiis, ſeu in alimentorum, ſeu in neceſſariorum Fundorum ſubminiſtratione debentur. Si ergò contingat, Subditos in aliquo ex præmiſſis caſibus injuſtè gravari, *Actores* in hujusmodi cauſis erunt, in Comitatibus *Vice-Comites*, in Diſtrictibus *Vice-Capitanei*, in Sedibus Siculicis *Vice-Judices Regii*; quibus Subditos contra oppreſſiones tuendi obligatio ex Lege, vel Regia Ordinatione incumbit. *Rei*, in hoc Judicio erunt, vel *ipſi Domini* Terreſtres, ſi gravamen ab ipſis, aut ex mandato ipſorum proceſſit; vel *Bonorum Præfecti* aut *Proviſores*, quatenùs nempè Subditos ultra juſtum & æquum gravaſſent. De querelis autem, quæ ex præattactis gravaminum cauſis emanarent, cognoſcere pertinet, ad Continuam Tabulam Circuli, in quo gravatus Subditus incolatum habet; *Judex*, inquam, his in cauſis, *Continua Tabula eſt.* Si Subdito non per Dominum Terreſtrem immediatè, ſed per ejus Proviſorem, injuria fiat; querela ab ipſo ad Dominum ſuum Terreſtrem, tanquam primam Inſtantiam deferenda primò eſt: qui ſi ſatisfactionem

g. 180.

impendere nollet, aut ultra octiduum procrastinaret, vel absens esset, aut injuriam ipsemet Dominus fecisset, recurret Subditus ad Vice-Officialem Circuli, qui illud Tabulæ Continuæ, propter satisfactionem proponet. Tabula summario Processu causam cognoscet, & satisfactionem læso impendi curabit. Cavetur verò diligenter, ne Rusticus, durante processu, vel à laboribus suis avocetur, vel expensis gravetur. Si autem injustam fuisse querelam compertum fuerit, expensas quidem & fatigia, quæ liti querulatus (Dominus) insumsisset, ne per refusionem Subditus Contribuens, cum ipsius etiam damno enervetur, tolerabit; injuriam tamen querulans, Domino suo injusta delatione illatam, pœnâ corporali, secundùm prudens Iudicis arbitrium, compensandam habebit; nisi forsan per Dominum Terrestrem relaxaretur. Complanatio denique litis, seu ante cursum, seu per ejus decursum, permittitur, sed præsente aliquo Circuli Officiali, à Continua Tabula exmissone Subditos ad complanationem metu induci contingat. Plura, qui volet, habessit, è citata *Norma*, quâ isthic usi sumus.

2. Subditus fugitivus & vagus ad Fundum Dominalem reducitur. Qui ad Fundum Domini alieni, inscio & invito Hero migrat, per Scribas Regios (Cancellistas) repetitur; reddere nolens evocatur, pœnamque subit Legalem, & simul Jobbágionem restituit. Subditi verò in Valachiam Transalpinam & Moldaviam fugam parantes, à Militibus Limitaneis arceantur; nec Miles, emigrare volentem intercipiens, aut fures & malefactores in finibus

§. 180.

finibus Provinciæ detinens, spem præmii frustratam habebit.

3. Non plura de Rusticis dicere constitueram: eorum nihilominus in vestibus & armis gestandis circumscriptionem, pro historica eruditione, ex articulis Legum depromo. Anni 1683. 10. Febr. Art. 8. sic habet: *Rusticus Arma & Vestes ex panno & syndone* (gyolts) *exotica gestare non possit.* Anni 1714. *Art.* 14: *Rusticus Arma, Sclopos, Gladios; Vestes item è panno exotico* (sed quem suis manibus fabricat.) *Penulas, Pileos marturinos, & Cothurnos ne portet; à Venationibus abstineat, sub pœna confiscationis: quam Officiales, sub amissione Honoris & officii perageut. Excipiuntur tamen, Servi Curiales, Pastores Vinearum, quamdiu isti servitio incumbunt. Nec non Venatores Dominales; qui tamen à Dominis, quod in rationem eorum venari velint, testimonia habeant.* Praxis hodierna ab his Legibus recessit.

SVP-

SVPPLEMENTA.

Ad pag. 8. *De Lingva Dacorum.*

Dacos non modò usurpasse lingvam Sarmaticam, (quæ eadem cum Slavonica est,) sed revera Sarmatas fuisse origine, *P. Sam. Timon*, *P. Steph. Kaprinai Hung. Diplom. P. I. p.* 23, aliique, apertè perhibent, ducuntque argumentum; 1.) E compluribus locorum in Transsilvania nominibus, ipsam Sarmatiam redolentibus, ut sunt: *Dobra*, *Branitska*, *Hari*, *Tséſztve*, *Koronka*, &c; quæ à quibus, nisi à Sarmatis, eorum incolis, quondam imposita fuissent? 2.) Ex hodierna lingva Valachorum, qui idioma suum, Sarmaticis vocibus partim integrè retentis, partim corruptis, vel parum per deflexis, non respersum, sed planè innumeris refertum habent; unde? quàm ex mutuo Sarmatarum, una illic viventium, convictu, usu, commercio, familiaritate. „Nunquam enim (*ut ait P. KAPRINAI*) „ Romani suum in Dacia sermonem sarmaticis tam „ fœdè vocibus depravassent; si Daci, quibus de- „ victis Romani primùm permixti vixêre, Sarma- „ tici generis populi non fuissent. „ 3.) E vetere Romana Inscriptione, in lapide, ex Vlpiæ Traianæ ruinis eruto, reperta, in qua, quædam Romanorum Colonia (quam putant plerique fuisse *Apulum*) nuncupatur *Dacica Sarmatica*; cur? *respondent*: Quia Daci, inter quos fuerat excitata, Sarmatæ fuerunt. Inscriptionem istam, à Comite Ariostio, Husztio, Lazio, & Bonfinio Dec. I. L. 1. recitatam, D. JOAN. SEIVERT, *Inscript. Monum. Rom. p.* 88.

p. 88, hocce modo legit: „Lucio Annio Fabiano
„ Trium Viro Capitalium, Tribuno Legionis Se-
„ cundæ Augustæ, Quæstori Turbantium, Tribu-
„ no Plebis, Prætori, Curatori Viæ Latinæ, Le-
„ gatus Legionis Decimæ Fretensis, Legato Augu-
„ stali, Primo Præfecto Provinciæ Daciæ, Colonia-
„ rum: Ulpianarum, Traianarum, Sarmaticarum.
„ Dis Manibus! Civis (*nisi: Caius Julius*) Sabinus
„ Miles Legionis XIII. Geminæ Librarius eius a Ra-
„ tionibus, Vixit Annis XXX. Cajus Julius Valens,
„ Duum Vir Coloniæ, & Comminia Florentina,
„ Parentes Jnefficacissimi (*i. e. omnibus liberis orbati,*)
„ Publio Furio Saturnino, Legato Augustali, Præ-
„ positoque Consulari Coloniæ Dacicæ Sarmaticæ.
„ Locus Liber Datus Decreto Decurionum." Vide similem huic Inscript. *Seivert. p.* 43. Ex his sanè evidentissimum videtur, Dacos, circa ea tempora viventes, quibus Romani Daciâ potiti sunt, lingvam Sarmaticam calluisse, atque, si non Sarmatici generis populum fuisse, mixtim saltem cum Sarmatis vixisse.

Pag. 15. *lin.* 12. post vocem *Censet*, adde:

Judicio verò D. Seivert, Inscriptio ista Aurarias Dacicas celebrat. *Inscr. p. 6.*

Ad pag. 18, 19. *De Colonia Vlpia Traiana.*

Hanc Romanarum in Dacia Mediterranea Coloniarum metropolim, cujus in Pandect. Justiniani mentio facta est, in meridionali Transsilvaniæ plaga, non longè à Passu *Porta ferrea* dicto, olim sitam, victor Traianus, Colonis Romanis implevit, amplo Senatu ornavit, splendidisque ædificiis, fanis, & turribus magnificis, amphitheatro, colossis, hortis, mœnibus, viis lapidibus stratis, aquæ ductibus, balneis ex petra excisis, aliisque romanæ magnificentiæ monumentis instauravit, & suo de nomine

Vlpiam Traianam adpellari voluit. Dicta verò fuit, nominibus coacervatis: *Colonia Vlpia Traiana Augusta Dacica Sarmizegethusa*; ut loquuntur plurimi lapides, quorum Inscriptiones videsis in præclaro, Opere D. JO. SEIVERT, cui titulum fecit: *Inscriptiones Monumentorum Romanorum in Dacia Mediterranea*; *Viennæ* 1773 4; & quo, Inscriptiones, non tantùm à Scriptoribus editas, sed & ineditas nonnullas, diligenter collegit & pulcro ordine disposuit. Vide, *inquam*, apud eum, de hac Colonia, *p. 6*, 7, 11. 25, 29, 43, 53, 127, &c. Vir hic Doctissimus, Coloniam, nobis *Sarmiz*, *Sarmizægethusam* seu *Sarmizegetusam*; legit ubique per TZ. *Sarmitz* & *Sarmitzegethusam*, quòd Inscriptiones habeant passim SARMIÆ: at nos, combinatas litteras Æ, non TZ, sed ZE, legimus; cumque post Æ, aliud quoque E simplex nonnunquam compareat, ut videre est *l. c. pag.* 14, 22, 53, 59, ubi SARMIÆEGE - - legitur; duo EE, pro diphthongo Æ, legenda esse, cum aliis Viris Eruditis, nihil ambigimus: sciamus licet non insolitum esse, scribi etiam per E simplex: SARMIZEG.

Porrò, non modo laudatus Scriptor p. 128, sed alii quoque sæpiùs, putarunt, in ruinis Sarmizægethusæ, præter vicum Valachicum, Hungaris *Várhely*, Valachis *Gradistya* nuncupatum, exstare locum *Veczel* aut *Vecel*: sed sciamus, locum & vicum valachicum *Veczel* (al. *Viczel*, *Vitzel*, *Vicel*) nominatum, non admodùm procul quidem a *Várhely* remotum esse, quatenus in eodem Comitatu Hunyadensi, cum priore jacet: distat tamen ab eo duobus milliariis hungaricis; nec est in *Districtu Hátszeg* sed in *Vallem* fluminis *Maros*, ubi pagus nominatissimus *Maros-Németi* conspicitur, discedit.

Ager

Ager Vici *Vitzel* monimenta Romana adcolis ſæpe. offert eruenda. Si in Dacia noſtra unquam exſtitit *Sergidava*, quam Zamoſius in valle Hátſzegenſi proximam Sarmizægetuſæ fuiſſe credidit: non alibi, quàm hoc loco floruiſſe exiſtimarem; & vetuſtiſſimis illis temporibus, juxta Vetzel ac Németinum, Pontem, navalem, aut lapideum, in Maruſio fluvio exſtitiſſe; quem bellorum iniuriâ & amnis violentiâ diruptum, *Aulus Criſpus* reſtituiſſet, juxta Inſcriptionem Oſtrovienſem, apud D. Seivertum numero LXXIIItiam, quæ ſic legitur: „Aulus Criſpus è. „ Tribu Volteia, Præfectus Legionis XIII. Geminæ, „ Pontem Bellorum injuria & Amnis violentia di- „ ruptum, Populo Plebique Sergidavenſi reſtituit.„ Potuerit verò & *Sergidávæ*, & corrupto *Decebali* nomine, alternatim, ab accolis vocari.

Ad pag. 22.

In locum Coloniæ *Perendaneſiorum*, quam ad *Zalatnam* locavimus, D. Seivert p. 77, poſt Köleſerium, ponit *Patroiſſam*, eamque *cum* Paraliſſo *vel* Paraliſo *Sponii eandem eſſe, ex ſitu & diſtantia, viderumque alibi haud extantium conſideratione*, cenſet, aut *Soterium* ſic cenſentem adfert. Köleſerius autem Paroliſſum ad *Salinas*, ſive *Tordam* Oppidum, floruiſſe, ſuſpicatur, *Aurar. Rom. Dac. p.* 22. Nos, Paraliſenſium Civitatem & Municipium in Provincia Dacica exſtitiſſe, ſvadentibus etiam Inſcriptionibus Seivertianis p. 71, 77, 108, non dubitamus; locum tamen illius determinare nequimus.

Ad pag. 23.

Apulenſis Coloniæ, ab Apulo ſeu Apulia Vrbe ac Municipio ſic dictæ, memoriam, præter citatam Inſcriptionem, plures aliæ quoque conſervant. Vid. *Seiv. p.* 32, 74, 75, 76, 99, 105, 106, 111, *cet.*

Hanc

Hanc autem Coloniam, fuiſſe ab hoſtibus, aut infortunio aliquo, vaſtatam vel deletam, à Decio verò Imperatore, ſeculo Chriſti 3tio, reſtauratam, & novis civibus auctam, demonſtrare videtur Inſcriptio apud Seivertum XXXVIIma, quam Idem ſic legit: „ Imperatori Cæſari, Marco Cneo Meſſio „ Quinto Traiano Decio, Pio Felici Auguſto, „ Pontifici Maximo, Tribunitia Poteſtate ſecun„ dum, Conſuli ſecundum, Patri Patriæ, Reſtitu„ tori Daciarum, Colonia Nova Apulenſis ſolvit. „

Ad pag. it. 23.

Vrbs antiqua Romana *Salinarum*, ſita erat in colle, occidentem inter ac meridiem Oppido *O-Torda* proximante, & communiter *Vár* (Arx) vocato, ubi hodieque foſſæ veſtigia in ſuperficie terræ conſpiciuntur; è terra verò, licet ſegetibus lætâ, lapidea murorum fundamenta, urnæ ſepulcrales, &, cetera Romana monimenta, eruuntur Lateres magni pulcrique, quibus ſtructus fuerat Canalis ſeu aquæ ductus, quo fons ſaluberrimus è territorio pagi *Koppánd* in Vrbem derivatus erat. Tales lateres in pavimento Bibliothecæ Collegii Ref. Nagy-Enyedenſis calcabis. Vid. de hac Vrbe Ill. WOLFFGANGI *de* BETHLEN *Hiſt. Lib.* 8. *p.* 509; & *Köles. p.* 22.

Ad pag. it. 23.

Coloniæ Romanorum, in agro Claudiopolitano, *Sextæ Traianæ* olim dictæ, memoria ſuperat in Inſcriptione, quam ex lapide Claudiopolitano, *Lazius* in Republ. Romana p. 930, Tröſter in Alt- und Neu deutſchen Dacia p. 454, ediderunt, quamque Seivert, malè deſcriptam nihil dubitans p. 129, hoc modo reſtituendam putat, „ Imperatoribus Opti„ mis: Severo Maximo Pontifici; Antonino Pio „ Divi Hadriani Filio; Marco (*Aurelio*) Auguſto, „ Co-

„ Colonia Sexta Imperatoris Cæſaris, Traiani Par-
„ thici, Divi Nervæ (Filii.) „ Eamdem Inſcriptionem, ſed multùm detritam, in Comitatu Hunyad, ad Templum pagi *Peſtyén*, ante fores turris, in marmore albo exſiſtentem tradit Seivert, ſeque neſcire ait, quare eam Lazius Vrbi Claudiopolitanæ adſcripſerit. Negare itaque videtur, *Sextam Traianam*, ad Claudiopolim aliquando floruiſſe. Sed, nonne, quæſo, una eademque Inſcriptio in duos lapides referri potuit? aut Lapis Claudiopolitanus ad *Peſtenum*, ab aliquo loci Poſſeſſore, deferri? Nos itaque Gravium Scriptorum ſententiæ non contraimus, ſed admittimus *Coloniam Sextam Traianam* eo loco, quo nunc Claudiopolis floret, viguiſſe; quæ, ſcilicet in ordine militari *Colonia Sexta* dicta fuerit, vulgò autem *Cluſa* ſeu *Cluſæ*, à *cluſis*, hoc eſt, anguſtis per petras viis, quo nomine Romani interpoſitiones locorum difficillimas vocare (à verbo *claudo*) conſveverant, quodque huic Caſtro, tamquam primo ad alpes Kalatenſes, conveniebat. Hinc Valachi, romanæ originis homines, dixêre & dicunt hodieque Civitatem Claudiopolim *Clus*, Hungari *Kolosvár*, latinè demùm à medio circiter Seculi 16ti *Claudiopolim*, pro *Clauſòpoli*: non enim à *Claudio* hoc nomen venit. *Vid. plura Part. II.* Ptolemæus tamen, qui ſeculo Chriſti 2do, imperante Antonino Pio vixit, non his nominibus inſignivit, ſed *Patroiſſam* vocavit, quo videlicet nomine, Daci lingvæ græcæ gnari, qui ante Romanos hoc loco degebant, Caſtrum ſuum nominabant, ex vocabulis, vt credibile eſt: Πετρος, quod ſaxum, & οὖς, quod aurim, impropriè verò aperturam, ſignificat.

Petroſz, nomen vici Valachici, intra Paſſum Vulkányenſem, in Diſtrictu Hátſzeg, cujus Huſz-

tius

tius meminit, non è *Patroiſſa* natum eſt, ſed ex voce *Petroſa*; quam, Coloniæ Romanæ in eo loco petroſo ſitæ, nomen fuiſſe, ex erudita relatione Spectabilis & Doctiſſimi D. SAMVELIS BALIA *de Felsö Szilvás*, ad Tabulam Continuam Incliti Comitatûs de Hunyad Notarii, accipio.

Inſcriptionem Claudiopolitanam quam, ad Portam, Samuſium reſpicientem, *Hid-Kapu* Hungaris dictam, eſſe memoravimus, Jo. Seiv. p. 18. hoc modo legit: „I. O. M. Taviano, pro Salv. Imp. „ Antonini & M. Aureli Cæſ. Milites Conſiſtentes „ Municipio poſuerunt. „ Dicitque, p. 19: Dii gentilium nonnunquam Vrbibus, Populisve, ubi præcipuè, vel peculiari more colebantur, cognomina ſua debent. Sic *Jovem Cantabricum* legimus in numis Gallieni; *Herculem Argivum, Cretenſem, Lybicum, Deuſonnienſem, Macuſanum,* in numis Poſthumi patris. Hinc crederem *Jovem Tavianum*, à Caſtello *Tavium*, quod emporium metropolisque Trocmorum in Gallo-Græcia, ſive Galatia, fuit, ſic dictum fuiſſe. *Hæc ille.*

De hac denique Colonia,Georg. Huſzti, in ſua *O és Uj Dacia*, adfert opinionem quorumdam, qui putaſſent ſupra Abbatialem pagum *Kolos-Monoſtor* (antiquè *Klus-Monoſtra* & *Clus-Monoſtra*, ſeu *Clws-Monoſtra.*) Civitati Claudiopolitanæ proximum, exſtitiſſe Caſtellum Dacorum, *Zeugma* nuncupatum, quod milite præſidiario Trajanus firmaſſet, ſucceſſores verò Imperatores neglexiſſent, usque ad Claudium; cujus Præfectus quidam militaris, ſub montem *Kö-mál*, ubi nunc Claudiopolis ſplendet, lapides murales transferre, Arcemque Veterem Claudiopolitanam exſtruere iubens, primùm quidem *Zeugma*, dein verò *Claudiam* aut *Claudiopolim* nominaſſet; unde etiam hodie in eadem Arce Vetere, quædam platea *Zeugma*,

altera

altera autem *Claudii*, vocarentur. Quid ad hæc? Scifcitatus Claudiopoli, & non femel extra eam à Claudiopolitanis, harum platearum nomina (figmenta) reperi nunquam. Et certè nomen *Claudiopolis* refpectivè recens eft, utpotè, quod ducentorum annorum fpatium vix excedit: cum antea in latinis quoque litteris *Kolosvár* & *Klvsvár* fcriberetur.

Ad pag. 26.

Quid fi *Prætoria Augufta* dicta fuit pars præcipua Vrbis Sarmizægetufæ, in qua Pro-Prætoris & fummorum Officialium palatia auguftè eminuerint; Si ita; tamen ad *Forum Siculorum*, aut Caftellum *Véts* (cum & hàc via romana tendat,) nunc juribus Illuftr. Domini Lib. Bar. SIMONIS KEMÉNY *de M. Gy. Monoftor*, Supremi Comitis Comitatûs Albenfis Inferioris adnumeratum, aut ad utrumque, Coloniæ Romanæ exftiterunt. Scio quidem Civitatem *Marus-Váfárhely* (quæ olim *Székely-Váfárhely*, lat. *Forum Siculorum*, recentioribus Agropolis ex ἀγορα & πολις) è pagis Siculicis: *Nagy-* (alias *Felsö-*) *Sásvári*, *Kis-* (five *Alfó-*) *Sásvári*, *Székelyfalva*, *Gurdásfalva*, *Bene-falva* & *Kis-falud*, in Oppidanos militiam perofos (Oppida namque Nobilia caftra fequi tenebantur,) Jus Liberæ Regiæque Civitatis, cum confveto Civitatibus onere Tributi, à Principe Gabriele Bethlen, An. 1616, impetraffe, atque adeo non è vetere Civitate aliqua Romanorum inftauratam fuiffe: in hoc tamen agro, Romanorum, & Dacorum fortè antea, Civitatem ftetiffe, præter viam illam romanam, quæ etiam verfus Mikhazam deflectebat, teftari videtur nomen fontis in territorio Civitatis, *Király kutja*, i. e. Regis puteus, ab antiquo aliquo Rege Dacorum, in cujus honorem hoc nomen nactus fuerat, fic nuncupati; quod nomen,

anti-

antiqui Siculi noſtri, à prioribus loci incolis acceptum, retinuerint.

Ad pag. itid. 26.

Napocenſem Coloniam, ſi ad *Szamos-Ujvárum*, è ruderibus veteris arcis, locare vellemus: ea ſanè reperiremus in terreno ejus, juxta Vineam Gerlaienſem, à prædio ſeu viculo *Gerla*, Novæ Arci proximo, ſic dictam; ſed hæc non probant, quod probandum eſſet. Seivert p. 108, de hac ſcribit: „ Colonia *Napocenſis* tertia eſt, quæ in Jure Romano occurrit; ſed ubi locorum olim fuerit, pro certo affirmari vix poteſt. Lapis enim iſte Claudiopolitanus ſententiam eorum, qui *Claudiopolim* Coloniam Napocenſem eſſe putant, minimè evincit, aliunde forſan illuc allatus. In orientali Transſilvaniæ regione, haud procul à Maruſii ripa ſupereſt pagus *Poka* dictus; quid ſi hocce ſuum nomen Civitati *Napucæ* deberet, atque Colonia Napocenſis olim hìc conſtituta fuiſſet?„ Sed abs Hungaro *Pouka* (hodierna ſcriptione *Póka*,) nomen hoc huic loco, in Comitatu Tordenſi ſito, atque pago *Póka-falva*, in Comitatu Albenſi Inferiori locato, adhæſit. Si quis non adſentiatur; videat, utrum pago *Poka* magis, quàm *Pokafalvæ* Coloniam adtribuat?

Ad pag. 27.

Patavicenſium Vicum, cujus mentio fit in *Pand. Juſtin. Lege* 1. §. 8, 9, *de Cenſibus*; &, qui à Septimio Severo Jus Coloniæ impetravit; Zamoſius p. 34. idem fuiſſe putat cum *Petovio*. Inſcriptiones hactenùs duæ ſunt, quæ Petovii mentionem faciunt. *Vna* eſt Saxopoli reperta, quam Seiv. p. 168, ſic legit: „Dis Manibus. Marco Aurelio Creſcenti, „ Auguſti Liberto. Vixit Annis LXI. Et Aureliæ „ Floræ, Filiæ ejus defunctæ Petovii. Vixit Annis

XXIII,

„ XXIII, Menſibus XI, Diebus XX. Ælius Julia-
„ nus Socero, & Conjugi Pientiſſimæ, Benè Me-
„ rentibus Poſuit. „ *Altera*, Tordæ reperta, p. 89,
cum interpretatione, ſic habet: „ Dis Manibus.
„ Publio Ælio, Titi Filio, Quæſtori Reipublicæ,
„ Auri Luſtralis Coactori, ac Civitatum Volmerii
„ & Petovii Curatori, Quintus Lælius Æſopus
„ bene merenti Monumentum poſuit. „

P. Timon, *Imag. Ant. Hung.* Cap. XV, hanc in rem hæc ſcribit: „ An autem revera *Petovium* quod-
„ dam, itemque *Volmerium* fuerit in Dacia, du-
„ bium controverſumque eſt, ſi quidem ex Inſcri-
„ ptionibus illis id non videtur confici. Idem enim
„ Vir poterat eſſe *Auri luſtralis Coactor* in Dacia, &
„ Curator Civitatum Volmerii & Petovii in alia pro-
„ vincia, atque adeo Tordenſis Inſcriptio imbecil-
„ la eſt ad probandum: epitaphium autem Creſcen-
„ tis & Floræ apertè contra Zamoſcium facit, quia
„ Floram Petovii eſſe defunctam declarat. Non
„ enim moris erat Romanorum, ut in epitaphiis ex-
„ primerent locum, ſi in eo ipſo quis fato conceſ-
„ ſit, in quo vitam tranſigebat. „ Porrò, idem Timon, Petovium, eandem eſſe Civitatem cum Petovio Styriæ Inferioris, exiſtimat. Sit ita. Non tamen deſunt Viri Eruditi, qui fati locum in Epitaphiis expreſſum, non indignum Romanis cenſeant, & *Volmerium* locent in eam terram Comitatûs Hunyad, ubi pagus *Balamir* iacet; quem à *Valamiro* priſco Rege Daciæ ſic nuncupatum judicant; indeque juga montium ſilveſtrium, Saxopolim verſus vergentia, *Valamiri juga* Scriptoribus audiunt. Zamoſius verò putabat ibi Volmerium fuiſſe, quà Sargetia ſive Strigius (Hung. *Sztrigy*) amnis, ex Vlpiæ

Traianæ clauſtris, per anguſtias montium elapſus, in Maruſium ſeſe mergit. *Petovium* autem, quidam quærunt in pago *Pata* Comitatûs Koloſenſis, alii in vico *Klopativa* Comitatûs Hunyad: ſed nihil certi adfirmari poteſt.

Rever. ac Eruditiſſ. Vir, D. JOAN. KEREKES, Illuſt. D. Comiti GREGORIO *Seniori de* BETHLEN à Sacris Aulicis; Amicus Dilectus; quasdam mecum Schedas Inſcriptionum Romano-Dacicarum communicavit, Viri alicujus Eruditi, Paſtoris Helv. Confeſſ. addicti (cujus tamen nomen nos latet,) qui Petovium ad Saxopolim (Hung. *Száſz-Város*) Oppidum locat, ſcribens: „ Non poſſum ſilentio præter„ ire, hìc etiam Saxopoli, me deprehendiſſe an„ tiquitatis Romanæ veſtigia, a nemine hactenus re„ lata, penes Fornicem (forſan *Fornacem*) latera„ riam; crebri & ingentes rivi vulgò Bétz dicti elu„ viones, anni 1739 & 1740, aperuerunt ac de„ nudarunt nobis fundamentum arcis, ex lateribus „ ad formam Sardienſium (*vid. infra*) longis & la„ tis inceptum, verùm aliqua de cauſa interruptum; „ rudera prope fundamentum in cumulos ſparſa & „ ſpinis obſita, fuiſſe aliquam Romanorum ope„ ram loquuntur. Conjectare licet, fuiſſe *Petovium*, „ cujus titulum, in Templo Saxopolitano ſupereſſe „ monet Faſſching *p. m.* 40. Ad vicum Sebeſély, „ inter orientem & ſeptentrionem, in ſummitate „ montis coni inſtar faſtigiati, hodiedum ſupereſt „ acropolis, cujus muri longinquitate temporum „ parùm ſunt debilitati: opinor ego ibi fuiſſe Ex„ cubias Romanorum; qualium munitionum in ca„ cumine montium locatarum ruinis abundat no„ ſtra Dacia. Adjacent rivo *Városviz* (ab Oppi„ do Száſz-*Város* nomen adepto) vocato, in-

„ ter vicum Szereka & Vàrosviz, Saxopoli ferè
„ unico milliari germanico diſſito, ad auſtrum, pa-
„ rietinæ cum fundamentis mœnium ex terra pro-
„ ſtantium, quæ priſcorum Romanorum in conden-
„ dis Vrbibus induſtriam perhibent. „

Idem ſchedarum Auctor, producit raram quamdam Inſcriptionem, quæ ſic habet:

ΑϹΚΛΗΠΙΩ ΚΑΙ ΑΓΙΕΙΑ
ΘΕΟΙϹ ΦΙΛΑΝΘΡΩΠΟΙϹ
ΑΞΙΟϹ ΑΙΛΙΑΝΟ ΝΕΩΤΕΡΟϹΕΥ
ΧΑΡΙϹΤΗΡΙΟΝ
ΙΟΝΙΟϹ

cenſetque vocem ΑΓΙΕΑ, ſcribendam verius ΥΓΕΙΑ, ex Inſcriptionibus antiquis; & ſubnectit: „ Hæc In-
„ ſcriptio reperta à nobis in Boldogfalva, in Villa
„ Illuſt. Domini Ladislai Kendeffi, occaſione fune-
„ rationis Ill. quondam Gabrielis Kendeffi. „ NB. *Axius Ælianus* fuit ſub Traiano Procurator Aurariarum, *Seiv.* p. 3, 117, 118.

Ad pag. 27.

In territorii Oppidi *Sárd*, valle fluvii Apuli, Lateres omninò in hunc diem eruuntur, magnâ ſæpe copiâ, vt perhibet memoratarum quoque Schedarum Auctor, inquiens: „ Ille ipſe vidi Lateres
„ plurimos, ingentis longitudinis & latitudinis, qui
„ ruebantur ex dumetis juxta Apulum ad meridiem,
„ è regione molendini Sardienſis; conjiciebam,
„ præſentibus oculis hæc fideliter luſtrans, ex ope-
„ re, binis ordinibus laterum, ab invicem non lon-
„ gè diſtantium, conſtante, fuiſſe Aquæductum
„ Romanorum, *&c.* „ Non tamen ſequitur Romanam aliquam Vrbem ad Sardum ſtetiſſe: illa enim monimenta romana, quæ hoc loco, & in omni val-

le Apuli, usque Zalatnam, reperiuntur, funt vestigia ædium & variarum ftructurarum, quas, inter Apulum (nunc albam-Carolinam) & Coloniam Pe-rendanefiorum (Zalatnam,) Romani pofuerant, & incolis feu cuftodibus tradiderant, pro auri rerumque monetalium commercio fecuriore. Memorabile eft ad hanc vallem, inter Sard & Zalatna, Caftellum, jam S. Michaëlis dictum; quod à Romanis (ut monimenta loquuntur) pofitum, excelfa è rupe, vicum valachicum *Tötfalu* defpicit. Sunt in Comitatibus quoque Küküllö & Kolos, pagi *Sárd* nominati; fed an ex fola voce fequitur Colonias Romano-Sardicas illic unquam ftetiffe? Monet Seivert p. 187, Vrbem Sardicam equidem Daciæ adfcribi; &, tefte Theodoreto, metropolim ejus Provinciæ fuiffe: fed non Daciæ antiquæ, cujus metropolis Vlpia Traiana Sarmiz; at Daciæ Aurelianæ, cujus nos p. 30. meminimus.

Plurium quoque, quàm commemoravimus, Romanarum Arcium veftigia, in Dacia noftra, certè fuperant. Curia Nobilitaris & Domicilium, in pago *Ólt́fzeme*, Sedeque Sepfi, Ill. Dom. NICOLAI *Comitis* MIKÓ *de Bodok*, multorum judicio, in ruderibus, (quæ & nos vidimus,) Romani Caftri, jacet. In Sede Siculicali Bardotz; pago *Bibartzfalva* objacet ex auftro mons rivulum *Vár patak* (i. e. arcis rivum) demittens, filvâque fagineâ veftitiffimus, cujus in vertice rudera arcis manifefta, & muri terra æquati, confpiciuntur: hanc Romanam fuiffe teftantur numi ibi reperti, & urna fepulcralis nec pridem, cum defuncti cinere, inventa; qualium teftes autoptas adeas, fi placet, Spectabile ac Generofum par Fratrum germanorum, D. SAMVELEM OSVÁTH *de Bibartzfalva*, Inclitæ Sedis Siculicalis Bar-

dotz

dotz V. Judicem Regium Confultiffimum (cui multa Inftrumenta in Notitiam Transfilvaniæ facientia, Articulos Diætales cumprimis, grati debemus,) & D. LADISLAVM OSVÁTH *de Bibartzfalva*, dictæ Sedis Notarium Ordinarium. Arcem hanc filvefcentem, fupereffe putavit, &, fub nomine *Bivarcz-falva*, exhibuit *P. Fafching*, *Nov, Dac. p.* 37. Hujus arcis incolæ adcolæque Romani, ut fufpicari licet, cum tempore, ejusdem Sedis pagum, Bibartzfalvæ, Bardotzo, Száldobofo, Vargyafo & Baroto collimitaneum, atque *Olafz-telek* (i. e. Italicus fundus) nominatum, infederunt; quem ex eo, fupervenientes è Scythia Siculi *Italicum* dixerint, quòd incolas loci ex Italia veniffe noverint. Auftralis pagi hujus campus cum proximo Barotenfi, vocatur *Vêtzer*, nomine non multùm difcedente à *Veczel*, quod è corrupto Decebali nomine natum, Scriptores, ut retulimus, opinantur.

Ad pag. 31. *lin.* 4. poft vocem: *hauftæ.*

Lapides Romanis Infcriptionibus notati, frequentes adeò fuêre in noftra Dacia, ut innumeri licet deftructi & in varia ædificia compacti fuerint, ante feculum præfertim noftrum, quo tales jam antiquitates venerantur à compluribus; Jo. Seivertus tamen, in *Infcript.* ad folum Apulum five Albam Carolinam 111. repertos & defcriptos tradat, ad Várhely feu Vlpiam Traianam 37, plurimos infuper in Civitatibus, Oppidis & Pagis, quorum nomina, apud eum, funt: Claudiopolis, Cibinium, Sabefus, Torda, Nagy-Enyed, Zalatna, Székely- (Maros) Váfárhely, Hátfzeg, Saxopolis, Schæsburgum, Mercurium, Auraria magna (Abrud-banya,) Déva, Brettye, Oftro, Kernyesd, Peftyén, Sárd, Al-Vintz, Klopativa, Nalátz, Demfus, Arannyas-Lona, Görgény, Bóldogfalva, Németi, Vetzel, Diód, Bi-

ſtricium, Petreſan, Bedellö (*Petelle* habet Seiv,) Zejkfalva (Szék-falva habet,) Tótfalu, Mikeſzáſza.

„ Inſcriptiones Romanæ per Transſilvaniam ob-
„ viæ, vt Viennam portarentur, ab Imperatore
„ Carolo Auguſto, An. 1723. mandatum eſt, tan-
„ tæque rei cura, Comiti Italo Arioſti (*qui Librum*
„ *inſignem ex Inſcriptionibus Lapidum concinnavit*) com-
„ miſſa fuit. Minimè verò votis omnia reſponde-
„ bant, Valachi enim in Comitatu Hunyadenſi,
„ omnes ſicubi reperirent, deſtruebant Lapides, ut
„ ab onere deportandorum Albam tanto faciliùs im-
„ munes forent. Accidit etiam, ut duæ ad Lippam
„ naves, una cum lapidibus, in Maruſio ſubmerſæ ſint,
„ cura vero Arioſtana nonnullos lapidum iterum ex
„ alveo fluminis productos eſſe, dicitur. *Seiv. p.* 30.

Ad pag. 47.

Tabula ſanè Geographica Transſilvaniæ, quemadmodum maxima omnium, (utpote, quæ orgiam longitudine excedit, latitudine æquat propemodum,) ita & optima, edita eſt A. 1735, ſub hoc titulo: *Nova & accurata Geographica Mappa Daciæ Mediterraneæ, ſeu moderni* Principatûs Transſilvaniæ. *Auguſtiſſimo Romanorum Imperatori* Carolo VI. *Principi Hæreditario, Patri Patriæ devotæ. Sub Præfectura Militari* Franciſci de Paula S. R. I. Comitis à Wallis. *Sumptibus Provinciæ. Cura Architecturæ Militaris Protribuni* Joh. Conradi de Weiſs *comenſurata & delineata* M. DCC. XXXV. Inſtituerat Doct. D. Weiſſius *Hiſtoricam, Geographicam & Topographicam Deſcriptionem hodiernæ Daciæ Tranſylvaniæ*: ſed an abſolverit, haud novi, nec quidquam ex ea, præter Conſpectum vidi.

Ad pag. 133. *l.* 14.

Immò Falconarii tales (lingvâ noſtra *Solymár*, & plural. *Sólymárok* magis uſitatè dicti,) inter Siculos noſtros,

ſtros, plenariâ ab oneribus & ſervitiis plebejis immunitate, atque adeo prærogativâ nobilitari, donabantur, non in propriis tantùm perſonis, ſed in Poſteris quoque ſuis, ad tale aucupium obligatis. Teſtes huius rei poſſidemus Litteras Privilegiàles, Petro Máthé, Nicolao Máthé, Andreæ Márok, Matthæo Márok, Thomæ Lörintz, in Sede Siculicali Bardotz, Pago Vargyas; & Nicolao Pál, Valentino Pál, Michaëli Benedek Seniori, Valentino Mihály & Laurentio Kováts, in Sede Siculicali Udvarhely, Pago Lövéte habitantibus, à Principe Chriſtophoro Bathori datas, & à filio ejus Sigismundo Principe A. 1602, 28. in Mart. Civitate Corona, ac poſtea à Principe Georgio I. Rákoczi An. 1634, 27. Jun. Albæ Juliæ, confirmatas.

Ad pag. 151. lin. 6. & p. 439. ſeqq.

Nationale quidem *Privilegium* Inclitæ Nationis Saxonicæ ab Andrea II. datum, aut periit prorſus, aut lucem non videt: ſed in Litteris Confirmationalibus ſucceſſorum Regum, Cibinii adſervatur. Tales ſunt Caroli Regis, de An. 1317, ſic habentes:

„ CAROLVS, Dei Gratia Hungariæ, Dalmatiæ, Croa-
„ tiæ, Ramæ, Serviæ, Galliciæ, Lodomeriæ, Coma-
„ niæ, Bulgariæque Rex; Omnibus Chriſti Fideli-
„ bus præſentes Literas inſpecturis, Salutem in
„ omnium Salvatore. Ad univerſorum Notitiam
„ harum ſerie volumus pervenire, quod accedentes
„ ad noſtram præſentiam Comites Blantz & Hen-
„ ning pro tota Vniverſitate Saxonum de Cibinio,
„ ac ad Sedem Cibinienſem pertinentes, exhibue-
„ runt nobis quandam chartam, tenorem, ut dixe-
„ runt, Privilegii ſuper libertate ipſorum confecti,
„ continentem, petentes à nobis, cum Inſtantia,
„ ut ipſam ratificare & approbare, ac noſtro digna-
„ remur Privilegio confirmare, Cujus tenor talis eſt:

„ *In Nomine Sacratissimæ Trinitatis & Individuæ* „ *Vnitatis - - - Datum anno ab Incarnatione Domini* „ *Millesimo Ducentesimo Vigesimo Quarto, Regni au-* „ *tem nostri Vigesimo primo.* Nos igitur petitionibus „ dictorum Blantz & Henning Comitum, ac totius „ Vniversitatis Saxonum prædictorum indicati teno- „ ris dicti Privilegii eorundem, eatenus, quatenus „ ipsum valere invenimus & cognovimus præsenti- „ bus de verbo ad verbum insertum, approbamus „ & etiam confirmamus. In cujus rei memoriam „ præsentes concessimus Literas duplicis Sigilli mu- „ nimine roboratas. Datum per manus Discreti Vi- „ ri Magistri Johannis, Ecclesiæ Albensis Præpositi, „ ac Archidiaconi Küküll. Electi, & Fidelis Aulæ „ nostræ Vice-Cancellarii, octavo Calend. Junii, „ Anno Domini 1317, Regni autem nostri simi- „ liter 17. „ Tales sunt porro Confirmationales Ludovici I. Regis de An. 1366, Mariæ 1383, Sigismundi 1387, 1406, Matthiæ 1486, Vladislai 1493, Ferdinandi 1552, aliæque.

Sed An. 1770, in Causa Fisci Regii, contra Incl. Nationis Saxonicæ Vniversitatem, ratione minorum Decimarum mota, & coram Inclito FORO PRODVCTIONALI agitata, Fiscus Regius, priusquam de natura competentiaque Decimarum disputaret: contra Producta Incl. Nationis Saxonicæ, cumprimis autem Privilegium Andreanum in Confirmationalibus Caroli Regis exhibitum, ipsasque Confirmationales Carolinas excepit, illudque nec quoad *formam*, nec quoad *materiam* in Judicio subsistere posse allegavit. *Quoad formam* subsistere minus posse tribus *rationibus* ursit, quarum *prima* erat, quod *Datis diei & loci* careret, & nulla prorsus illius ævi Archi-Episcoporum, Episcoporum ac aliorum Regni

gni Judicum facta mentione, nec quidem hoc, per cujus manus dictum Privilegium datum esset, fuisset expositum. Natio Sax. ad hanc Fisci Objectionem reposuit, Omissionem Dati, Diei & Loci, non vitiare Instrumenta illius ævi, cum omnia fermè ejus temporis Instrumenta hoc vitio laborare conspicerentur. Sed neque hoc, quòd dictæ Litteræ, per cujus manus datæ fuerunt, aut qui in ævo illo Archi-Episcoporum, Episcoporumque vel Judicum Regni sedes & officia obtinuerint, eorundem mentio non haberetur; siquidem Pars Actorea Legem hoc ipsum positivè præcipientem exhibuisset prorsus nullam. *Quoad materiam* verò subsistere non posse, septem argumentis Fiscus Regius contendebat, quorum *primùm* erat, quod per Saxones non Privilegium Andreanum, verùm nuda *Charta*, seu Privilegii copia fuisset ad confirmandum præsentata. Ad quod respondebat Sax. Vniversitas, antiquo illo ævo *Chartam* significasse *Privilegium*. Quibus Partium rationibus & argumentis juxta se positis, sub effluxu iteratarum Sessionum disputatis & maturo judicio excussis, comperit Forum Productionale, tam pro oppugnatione, quàm verò propugnatione in Quæstionem vocati Instrumenti, non defuisse Partium validissima argumenta, conclusit tamen uno voto, ut, quia ex prælectione Deliberationis R. Gubernii à Sax. Natione in specie productæ, Forum Productionale sat liquidè fuisset informatum, Fiscum Regium coram Foro Regii Gubernii, in Actione sua, annis retroactis contra Vniversitatem Nationis Saxonicæ, in Causa *Censûs S. Martini* instituta, Censum hunc à 500. Argenti Marcis, in Litteris Andreanis expressatis, non solùm prætendisse à Saxonibus administrandum, vi Instrumenti illius Andreani, sed

Deliberationem etiam obtinuiſſe favorabilem: ideo eumdem Fiſcum Regium, contra inſtrumentum illud, cui antea adhæſit, & formalitatem ejus extrinſecam, quam pro ſuo adminiculo agnovit, in hoc Proceſſu jam agere non poſſe.

Interim, dum ex allegationibus Partium anterioribus compertum fuiſſet manifeſtè, Vniverſitatem Sax. Nationis, Fundum, quem incolit, iure perpetuæ Collationis ad ſe pertinere prætendere, ac ex eo, Vigeſimam & ſubinde Quinquageſimam, à Valachis in eodem Fundo commorantibus, Paſcui titulo deſumſiſſe; naſcebatur Quæſtio: *Utrum jure Collationis, proprietas Fundi, quem incolit, ad Vniverſitatem Nationis pertineat, vel non?* Fiſcus negativam tenens, adſeruit, Inſtrumentum Andreanum, *non* eſſe *Donationem* formaliter talem, ſed *Contractum* duntaxat *Emphyteuticum*; quia 1.) Uſus fructus Terræ conceditur Hoſpitibus Teutonicis, ut Canon, ſeu 500. argenti marcæ ad lucrum R. Cameræ, annuatim per Delegatos Regios colligatur, &c. 2.) *Canonem* ſub nomine *Contributionis ordinariæ* venire non poſſe; quia Contributio ordinaria cum aliis Nationibus communis, per Nationem Saxonicam præſtetur, &c. 3.) In hoc Inſtrumento, verba: *Damus, donamus, in perpetuum,* quæ Donationis perpetuæ ſemper formalia eſſe ſolent, non continentur, *cet.* Quòd verò proprietas Fundi, de quo agitur, non ad Nationem, ſed ad Principem pertineret, patere ex his: 1.) Quòd Saxones in Transſilvania Regios, unà cum Fundo, *Decreta Vladislai* & *Ludovici* Regum Bonis Sacræ Coronæ adnumerarent. 2.) Quòd *Approb. Conſt. P. 2. T. 20. Art. 6.* Nationem Saxonicam *Peculium* Principis nominaret. Et licet hæc nomenclatio, iuxta *Compil. Conſt. P. 3. T. 13. A. 6.* habe-

haberetur abrogata: obligatio tamen huic nomenclationi inhærens, ipſam Nationem etiam hodie maneret ex Lege inviolabiliter præſtanda. 3.) Quòd glorioſiſſimè regnans Sacratiſſima Majeſtas, in Benigniſſimis Suis Reſcriptis, ſignanter 27. Mart. 1753, ac aliis iteratis propinquioribus, Viennæ emanatis, Fundi Regii proprietatem ad Se pertinere, & Se in eodem Dominam Terreſtrem eſſe declaraverit, & eadem iterata Reſcripta vim Legum fuiſſent ſortita.

Incl. Sax. Vniverſitas ad hæc repoſuit: 1.) Litteras Andreanas non redolere *Contractum Emphyteuticum*; cum contineat perpetuam Collationem Terræ, & omnium ejus Beneficiorum liberum uſum, Jurisdictionisque exercitium; cumque Rex donans actum ſuum collationem & donationem nominet, ſubſequi autem Reges, uſque ad Ferdinandum, *Privilegium* appellent. 2.) *Lucrum Cameræ* non ſignificare *Canonem annuum*; ſed Contributionem ordinariam, etiam cum aliis Nationibus communem: iuxta Decretum enim Ludovici Regis 1351, Nobiles etiam comperiuntur de Bonis propriis ſolviſſe Cameræ R. Lucrum; nullus tamen eos dixerit fuiſſe & eſſe Emphyteutas; probari hoc etiam ex aliis Regum Decretis, Lucrum Cameræ, pro reali Contributione, non veró Cenſu Dominali accipientibus. Quòd verò in hoc Privilegio, Lucrum Cameræ in fixa quantitate, & per Regios Collectores exigendum imponatur, inde non Juris Dominalis exercitium, ſed potius erga Sax. Nationem favor inferri poteſt, ut ſcil. Contributio Nationis ſemper ſit fixa & ſtabilis, nec per quosvis obvios cum extorſionibus, ſed per Regios denominatos, cum cautela præſcripta, exigatur. 3.) Verbum *Contulimus*, perinde eſſe, ac *Donavimus*, &c.

Qui-

Quibus Partium allegationibus & argumentis ad-ſumtis, reflectens ſe Forum Productionale, ad Inſtrumentum Andreanum, cui, tamquam ancorae, Vniverſitas, in ſubſtrata praetenſione, adhaerere comperiebatur; reperit in ejus textu, *uſus communes exercendo cum praedictis Blacis & Biſſenis*, non plus Teutonicis tunc Hoſpitibus addixiſſe *cet.* ideoque conclufit, vi Inſtrumenti Andreani, Terrae proprietatem ad hoſpites Teutonicos haud tranſiviſſe, ac etiam hodie ad Sax. Nationem non pertinere; & ſic, proprietate Fundi non habita, ex capite proprietatis Terragii vel Paſcui, à Valachis Fundum Regium inhabitantibus, vel aliis quibusvis illius incolis, nullas Decimas, Vigeſimam, vel Quinquageſimam, Sax. Vniverſitatem in Fundo Regio percipere de lege potuiſſe, vel poſſe etiam de praeſenti judicialiter deliberavit. Haec omnia, ſimulque Cleri Saxonici in hac Cauſa (ratione Decimarum) Ingerentis rationes, & reſponſa Fiſci, fuſè legi poſſunt in Deliberato Incliti Fori Productionalis, hac in cauſa, Cibinii, An. 1770, 15. Dec. deciſa; at, ab Actore in oneroſis; atque ab Ingerentibus, appellata, & transmiſſa. Quae verò poſtea in his Rebus acta ſint, *Parte Speciali* referemus.

Ad pag. 162. *lin.* 17.

Pagi, *Almás* (à fructu Mali, Hungaris *Alma* vocato) nuncupati, aliquot in Transſilvania numerantur, ut in Sede Siculicali Udvarhely, Sede item Kézdi, Comitatu Hunyadenſi, &c. *Almás* ille, qui inter Civitatem Mediam (*Medgyes*) & Oppidum Eliſabethapolim (Hung. *Ebesfalva,*) in boreali ripa magni Kükülllö fluvii jacet, ad Comitatum Küküllö pertinet, Juribusque Ill. DD. Lib. Baronum *Bánffi de Loſontz* adnumeratur, creditur vulgò locus arcis

Balaſ-

Balaſſanæ, & ego ipſe Studioſus exſiſtens, ita ab Hiſtoriarum Profeſſore didiceram: ſed arx certè Emerici, cum cognomine pago *Nagy-Almás*, fuit in Comitatu Kolos, ad fluvium *Almás* ſimiliter dictum; ubi pagus memoratus hodie florens eſt, qui jure uxorio CSÁKIANO, Excel. Dominum Comitem NICOLAVM *de* BETHLEN, S. C. R. & Apoſt. Maj. Camerarium, *Status* & Excelſi Regii in M. Principatu Transſilvaniæ *Gubernii Conſiliarium* utrobique Actualem Intimum, *Theſaurarium*, &c. Poſſeſſorem primarium veneratur; arx verò *Almás* rudera ibi luget in colle. Arcem hanc An. 1540. everſam, ſubinde reſtauratam fuiſſe, diſcimus ex WOLFFG. *de* BETHLEN *Hiſt. Lib.* 4. *p.* 165, ubi perhibetur, arcem *Almás*, juſſu Iſabellæ, fiduciâ omni & regio ſpiritu deſtitutæ, An. 1551. Caſtaldo deditam fuiſſe.

Ad pag. 164.

Præſidiorum quoque nonnullorum & Arcium Præfectos, *Wayvodas* olim nominatos fuiſſe, ducet Matthiæ II. Regis, *Decretum IV. Art.* 30, *An.* 1618. Hic hodie titulus in Transſilvania eſt viliſſimus, & nonniſi Zingaris Officiolantibus, Zingarorumque Proviſori, tribuitur.

Ad pag. 168 -- 173.

Catalogum quemdam Wajvodarum Transſilvaniæ ab Amico obtinui non pridem, in quo Wajvodarum à nobis recenſitorum non pauci deſunt; aſt, ex adverſo, ſunt nonnulli in ſerie noſtra non deſcripti, his nominibus: „ 1. *Oſul*, ex primoribus Ducis Gyu„ læ Proceribus. 2. *Kutesk.* 3. *Kopulch*; hunc S. „ Ladislaus ad fluvium Temes propria manu inter„ emit (*vid. pag.* 166,) circa 1093. 4. *Akus*, pro„ ſtratus item à S. Ladislao 1094. 5. *Mirkod*, 6. *Ta-*

„ *tár*,

„ *tár*, desiit circa An. 1170. 7. *Leustathius*, &c. Sed sex illos priores, Wajvodas Transsilvaniæ non fuisse, Eruditi pervidebunt. Catalogus idem, sub *numero* 48, exhibet Wajvodas Transsilvaniæ, *Petrum Chaak de Leva*, & *Ladislaum Chaak*, ad annum 1436. sed hi fortè fuerunt *Nicolaus* & *Ladislaus Chákii*, sub numeris 44. & 45. á nobis exhibiti. Quem verò nos, sub numero 39. nominavimus *Georgium Bikaf*, eum vocat *Georgium*, filium *Rikalf*, *de Tarkö*, & in numerum Vice-Wajvodarum refert ad An. 1453. Vtrum horum nominum sit genuinum, & numerus anni verus, aliàs determinabimus.

Porro adnumerandi sunt Wajvodis: *Nicolaus*, 1176. *Emericus Balassa* de Gyarmath, Wajvoda & Comes Siculorum, 1239. *Andreas*, 1309. *Ladislaus Deseo*, (Desö) 1336. *Stephanus* Wajv. & Comes de Zonuk 1337. Joannes Homo de Tamási, Wajv. & Com. de Zonuk, 1406. *Georgius*, filius Rykalf, Wajvoda 1442. *Joannes Rozgony*, circa An. 1456. *Sebastianus de Rozgony* An. 1459. Vid. P. Palma Not. Rer. Hung. Part. II. pag. 240. *Joan. Graf*, Wajv. ante An. 1468. *Franc. de Várad ya*, 1486. Comes *Stephanus de Apor*, Judex Curiæ, nec non Wajvoda Transsilvaniæ & Comes Siculorum: legitur nomen hujus in Confirmationalibus Matthiæ Regis A. 1486, 8va Idus Febr. quibus, Privilegio, Saxonicæ Nationis Andreano, robur addidit.

Vice Wajvodæ: *Petrus*, 1345, 1355. *Stephanus*, 1353. *Simon de Sambuki* 1361. *Bartholomæus* 1393. *Joannes Schutz*, 1397. *Ladislaus de Macedonia*, Comes Csanádiensis, Vice-Wajvoda Transsilvanus, & Siculorum Vice-Comes.

Ad pag. 176.

De *Stiborio* Polono, vid. *Tim. Epit. Chronol.* ad A. 1400. & 1404.

Ad

Ad pag. 177.

Propter auctoritatem Scriptorum Celeberrimorum, etiam recentiorum, veram Natalium JOANNIS HVNYADI Historiam reticendam constitueram, ideoque, cum Iis, *Buthii* filium nominaveram: sed an in verba Magistri jurandum? An non Socrate Platoneque magis amica veritas? Dico ergo audacter, quod sentio; *inquam*, quod verum est.

Anton. Bonfinius quidem, *Histor. R. Hungar.* Lib. 4. Decadis 3. docet, Corvinum patre usum fuisse Nobili Valacho *Buthi* dicto, matre verò Græca quadam (quam *Elisabetham* Palæologam nominant) Byzantinorum Imperatorum stemmate prognatâ. Plurimi Scriptorum Bonfinium sequuntur, Joannemque ingenuum Buthii filium adserunt, & eorum narrationem, qui Sigismundi Imp. ac Regis Nothum tradiderunt, ad fabulas amandant. Horum è numero memorandus est Auctor *Dissertationis de Ortu & Nativitate Joannis Hunyiadis* An. 1708. Jenæ editæ; cujus summam in *Specimine Hungariæ Litteratæ Davidis Czvittingeri*, sub nomine *Joh. Huny. Corvini*, Lector inveniet. Pariter *P. Fasching*, *Nov. Dac. P. II. p.* 54, his verbis elogium ejus subscribit: „ Jo. Corvinus, „ Gloria Transilvanorum, Nobilis Soboles Ingenui „ Valachi Budi - - - à Ladislao Posthumo, Alber„ ti filio, Comes Bistriciensis, in Basilica D. Ste„ phani (*imò in publico foro*) Viennæ creatus. *Et pag.* „ 73: „ Ab hoc Sigismundo arbitrantur nonnulli, „ cum Bonfinio (*minimè, nisi Hungaricum Bonf. Ca„ sparis Heltaii dixerit,*) Io. Corvinum, ex adoles„ centula quadam Valacha, hoc loco (*Civitate Co„ rona*) susceptum fuisse; sed criminationem hanc „ Eruditi Scriptores explodunt, cum Joannes ferè „ coævus fuerit Sigismundo, jamque ante A. 1379.

„ (tunc

„ (*tunc nec natus erat*,) apud Demetrium Cardinalem
„ ſuæ virtutis rudimenta poſuerit; Sig. autem pri-
„ mùm An. 1392. Transſilv. ac Valachiam ingreſ-
„ ſus ſit, dum domitis Valachis, pulſisque Turcis,
„ minorem Nicopolim ad Danubii ripam recepiſ-
„ ſet. „

Quid nos ad hæc? Certè, reliquorum in hac opinione anteſignano, Bonfinio, præ ceteris, genus Joannis, & filii ejus Matthiæ Regis, in cujus aula ſcripſit, cognitum eſſe debebat: *ſed ille* (monente P. Szegedio) *plus ſtyli nitorem, quàm Hiſtoriæ veritatem & ubertatem attendit. Ut non immeritò Spondanus, in Actis Anni* 1476, *eum, magnum Oratorem potiùs, quàm Hiſtoricum compellet; nam, uni ferè Corvinianæ gloriæ* (*vitio etiam adulationis quandoque lapſus*) extollendæ intentus, hoc genus Corvinianum, in Corvinos, qui inter priſcas Romanorum familias numerabantur, referre adnitebatur, magisque decorum cenſebat, Joannem Valachi (Romano ſcil. ſangvine creti) filium legitimum, quam Sigismunmundi nothum pronunciare; & ob hanc intentionem, me ac plerisque (ſi non omnibus) Transſilvanis judicibus, longe à vero diſceſſit. Noſtra enim ſententiâ, fuit Joannes Sigismundi, ex nobili Valacha puella *Morſinaiana*, Naturalis. Sententiam hanc ſatis probant:

1. *Teſtimonia Hungaricorum Scriptorum*, quorum principem conſtituimus Heltaium, *Vid. Tom. II. §.* 271,) qui in *Chronic. Hungaror.* A. 1575. Claudiopoli edit. ortum Joannis ad hanc ſummam refert: Hoc loco loqui me oportet de genere Joannis Hunyadi, non ſecundum Scriptum Ant. Bonfinii, ſed juxta vetam hiſtoriam, quam ab iis accepimus, quorum genitores Joanni ipſi ſerviverunt, & pluribus cum

eo

eo præliis interfuerunt: nam Italus Bonfinius placere ſtudens Matthiæ Regi, à Romanis ortum ejus arceſſit, Italumque eum facit; ſed aliter ſe res habet, prout videlicet in hoc ſcripto reperies. Anno Chriſti 1392, quo Sigismundus Regni Hung. faſces teneret, Principatusque Transalpinæ & Moldaviæ ſub Corona Hungarica exſiſterent, mortuo Valachiæ Wajvoda, diſſidium ingens inter ejus filios *Dán* & *Mirtse* exortum eſt. Dan ab Imperatore Ottomannico Copias adverſus fratrem impetravit: Mircseo, ex adverſo, Sigismundus, juxto exercitu, ſuppetias tulit. Sigismundus proinde, ad partes Transalpinas tendens, ad Sargetiam ſive Strigium (Hung. *Sztrigy*) fluvium, in Comitatu Hunyad Transſilvaniæ, caſtra locavit; eoque, tædio viduitatis captus, dum opulenti Bojeronis (i. e. Valachi Nobilis) filiam elegantiſſimam, per aulicos ſuos, quibus puellæ venuſtas jam innotuerat, adduci juſſiſſet; puella ad concubitum ſollicitata, hæc Regi fata eſt: Celſiſſime Domine! ego ſum nobilis puella, ex genere *Morſzinai* (paſſim legitur hoc nomen etiam *Morſinai*,) quæ ſi a te gravida facta fuero, quid mihi ſobolique meæ fiat, id tibi primò curandum. Reſpondit Rex: ſi gravida à me redieris, crede, curam tui prolisque me habiturum, & pulcrum hæredium donaturum, genusque tuum ad majorem Nobilitatis dignitatem elevaturum; en fidem manumque - - -. Poſt aliquot dies caſtra Rex in Valachiam promovit, ibique victoria de Turcis & Valachis reportata Mircseum beavit; ac tandem, in Transſilvaniam, ad memoratum fluvium redux, puellam Morſzinaianam rurſus ad ſe per miniſtros arceſſivit: illâ gravidam ſe exponente & benignitatem Regis orante, nihil non obtinuit. Rex enim, habitâ temporis

ratione, dum eam quarto à menſe gravidam intellexiſſet; magnificè donavit, annulumque ſymboli loco apud eam reliquit, imò ſchedulam etiam porrexit. Poſtmodùm Budam cum Copiis ſe contulit. Erat verò hoc tempore in Comitatu Hunyadenſi Transalpinus quidam Bojero, nomine *Volk Buthi*, qui, ob ſimultates Valachicas, huc ſe patriis ex oris receperat: hic amplitudine dotis & venuſtate Morſzinaianæ captus, uxorem eam duxit. Interim *Buthius*, à Mirceo Valachiæ Transalpinæ Wajvoda, promiſſione reſtitutionis omnium hœrediorum, in patriam revocatus, cum conjuge ſua Transalpinam ſalutat: ubi, non multo poſt tempore, Morſinaiana (Eliſabetham vocatam ferunt) ſcitum & elegantem puerum felici partu enititur, eumque *Jankulam*, i. e. Joannem, nominat, & diligenter, ut juſſerat Sigismundus, educat. Sigismundo Rege poſtea rurſus Transalpinam cum exercitu, adverſus Turcas, ingreſſo, ei Morſzinaiana puerulum cum ſchedula & annulo regio præſentat: quibus viſis, Rex exhilaratus, jubet matri, ut ſuo tempore, puerulum Budam, Hungariæ Regiam, ferat, amplè donandum. Certo tempore, poſt Sigismundi inde in Hungariam regreſſum, mortuo marito ſuo, Morſzinaiana, cum *Jankula* in Transſilvaniam regreſſa, dum apud fratres ſuos vitam duceret, germanum ſuum Caſparem Morſinai rogat, ut ſecum & Jankula fraterculo Budam iret: recuſat primò frater, ignarus regalium promiſſorum ſorori ſuæ factorum; at, cunctarum rerum ſeriem edoctus, ad commoda ſororis animum inclinavit. Lapſis interea aliquot diebus, Morſinaiana lavandis veſtibus occupata, plorantem filiolum lenitura, annulum ſymboli loco datum ei porrigit; quem de manibus ludentis pueri

cor-

corvus advolans eripit, ac in arborem tollit, non ſine plangore pueruli. Mater, viſo Corvo annulum roſtro verſante, attonita, fratrem Caſparem accurrit & exorat, ut Corvum inſectaretur, & annulum recuperaret, ne pueri ſpes magna, inauſpicatæ avis rapina perderetur: ſine enim annulo Regem promiſſis obnoxium adire vix tutum & utile exiſtimabat. Frater igitur confeſtim ſagittam ejaculatus, ob nimiam feſtinationem Corvum minus ferit: at altera ſtatim vice arcum tendens, feliciter configit, annulumque recipit. Poſtea Marſinaius ſororem cum Jankula Budam duxit; quæ, die quodam, Regi pranſo ac in foro Vrbis moranti accedens, puerumque cum annulo & ſchedula porrigens, ſupplex orat Regem, ut promiſſorum memor, ſibi, filiolo & genti Morſinaianæ benignum ſe præbeat. Rex rubore parùm ſuffuſus, illico Janculæ ſubriſit, annulum matri retribuit, eamque, quòd puerum Budam tulerit, laudatam, bona ſpe eſſe juſſit. Citra moram proinde, *Franciſco Bán* ad ſe arceſſito mandat, ut de bono eorum hoſpitio & cunctis neceſſariis probè provideat, nec ſinat eos excidere Regi, cum conſolatione in Transſilvaniam remittere volenti. Franciſcus igitur, matrem cum filio & fratre, Peſtum, proximum Budæ Oppidum, traduxit, & in domo cujusdam Civis collocatos, convivio quotidie excepit lautiſſimo. Ex hoc autem hoſpitio ſæpius Rex Budam transferri jubebat Janculam, & ſeorſum exſiſtens cum eo ludebat, pulcrisque annulis, torquibus, ac multis florenis aureis ornatum reducendum curabat. Peracto uno menſe, Franc. Bán, Regem, dum hilarem videret, adloquitur, & puerum eximiæ pulcritudinis, ad magna natum prædicans, benè donandum commendat; nec ſurdis au-

ribus: Rex enim donavit ei Oppidum Hunyad cum adiacentibus villis (quas 60. fuiſſe ferunt) ac prædiis; datisque ad Wajvodam Transſilvaniæ litteris ſigillo ſecreto corroboratis, ſtatuendum eum in dicto Dominio juſſit; *Corvum* autem, *annulum aureum roſtro gerentem*, pro gentilitiis Inſignibus Jankulæ & toti Proſapiæ Morſinaianæ adtribuit; matrem inſuper pueri, magnâ ſummâ aureorum florenorum & carpento ſejugi cohoneſtavit. Adhæc, viatico illis larga manu dato, lætabundos in Transſilvaniam remiſit. Reduces in patriam, donata hæredia occuparunt; habitavitque pulcra Morſinaiana, cum filio ſuo, in Hunyad, unde nomen *Hunyadi* (quibusdam latine ſcribentibus *Hunniades* & *Hunyades*) Joannes nactus eſt. Mater ejus in propinquo loco Opp. Hunyad mortua eſt, humataque (ſi bene auctor meminerit) in pago *Telek*: nec Joannes enim Peſtini educatus, nec mater ibidem humanis exemta eſt. *Hæc ferè ex HELTAIO., erudito Hiſtorico.* Hanc ſententiam memoriæ prodidit Auctor Operis poëtici, antiquiſſimis verſibus hungaricis exarati ac editi, ſub titulo: *Az Felséges Matthias Kyrálynak az Nagyságos Huniadi Janos fiának ieles viselt dolgairol, életeröl és halálarol valo ſzép Hiſtoria. Debreczembe, Niomtattot Komlos Andras áltał An. Do.* 1574. Cuius Libri rariſſimi (à Spectabili Domino ADAMO CZIRJÉK *de Sepſi Zóltán*, ad Incl. Tabulam Continuam Sedis Siculicalis Miklósvár Actuali Adſeſſore, & Vener. Tractûs Sepſienſis Helv. Conf. Addict. Curatore mihi dati) titulus latinè eſſet: *Elegans Hiſtoria de rebus geſtis, vita & morte Sereniſſimi Matthiæ Regis, filii Magnifici Joannis Huniadi.* Cum hoc Auctore atque Heltaio ſentiunt, qui lingva hungarica de Joanne Corvino commentati ſunt. Mirum verò

videri

videri nequit, extraneos, gravissimos quoque Scriptores, quibus Bonfinius, & qui eum sequuti sunt, notitiam fecerunt, à vero Joannis ortu aberrasse. Gaudeat Bonfinius, eo statim tempore, quo suam de Coruino narrationem litteris mandavit, Historiam suam, in lucem publicam typorum beneficio non prodiisse: eam enim risissent in vulgus ejus seculi homines, natalium Joannis benè gnari; Heltaio ergo fabulam ætate sua vulgatam refellere competebat.

2. *Continua, non tantùm communiter Transsilvanorum, sed cumprimis Fratrum Condivisionalium ipsius Joannis, ac eorum Descendentium, narratio & traditio firmissima.* Transsilvanos sanè, Joannis videlicet populares, oportet plura & veriora scire de genere Corvini; & eorum testimonia apud exteros probatiora esse. Sed præter & supra hos, sunt in Transsilvania Posteri Fratrum Condivisionalium Joannis Corvini, quorum scientia, litteralibus quoque Instrumentis roborata, firmissimè sustinet, Joannem fuisse Sigismundi Naturalem. Scilicet, postquam mater Joannis, quam Buthius viduam reliquerat, gratiis Sigismundi exculta in Transsilvaniam rediit: mox alteri viro, Nobili Valacho, cui *Jariszló* nomen erat, nupsit; ex quo obtinuit filios: *Dan*, *Vojk*, *Petrum* & *Joannem de Chionak*, mox in Hungaros (more Joannis Hunyadi) transformatos. Ex hac Prosapia (nomine *Jarijzlo* transeunte in *Csolnakosi*; à pago *Csólnakos*, seu *Csólnak* aut *Csonak*, antiquè *Chionak*, dicto) descendit Inclita & antiquissima Familia CSOLNAKOSI *de Csolnakos*, quæ cetera inter hæredita sua, possidet hodieque pagum *Csolnakos*, in Comitatu Hunyadensi, supra Oppidum Hunyad, in valle quadam, situm, &, præter Dominorum Terrestrium domicilia, Valachis Subditis ha-

bitatum, magnâ eâ Immunitate, quâ Joannes Hunyadi, Fratribus suis Condivisionalibus, Majoribus v. l. Incl. Familiæ Csolnakosianæ, donaverat, quamque Reges & Principes postea confirmarunt. Nam Coloni hujus vici Tributum non solvunt; Comitatûs Jurisdictioni non subjacent; causæ eorum Criminales Foro Dominali, h. e. coram Dominis suis Terrestribus, vertuntur, salvâ appellatione ad Tabulam (non Continuam Comitatûs, ut aliàs fieri solet) Regiam; Sigilla & Mandata Regia, apud istos virtute destituuntur, nisi Sigillum maioris Fratris DD. Csolnakosiorum, tamquam Inspectoris loci, accesserit. Sic, Domini Csolnakosii hoc loco (reliquis enim in Possessionibus Jurisdictione Circulorum minùs eximuntur) instar Regulorum, nullo alio vel Oppido vel Pago Transsilvaniæ hac prærogativâ gaudente, dominantur; & *gentilitio Corvo*, quo & Comitatus Hunyad atque Oppidum cognomine gloriantur, in Insignibus suis utuntur. Singularis hæc prærogativa innititur: 1.) *Litteris Statutoriis*, quibus, An. 1446, in Festo Ascensionis Domini, Temesvarini exaratis, *Joannes de Hunyad*, *Regni Hung. Gubernator*, *consideratis & in memoriam revocatis multimodis fidelitatibus & fidelium servitiorum gratuitis meritis*, *sinceris complacentiis atque virtuosis gestis*, *Nobilium* Daan *filii quondam Jariszló* de Chionakos, *nec non* Vojk *ac* Petri & Joannis, *filii dicti quondam Jariszlo*, *Possessionem Chionakos*, *in cujus Dominio præfatus Daan hucusque more* Keneziatûs *perstitisset*, *cum omni Jure Regio iisdem donat.* N. B. *Kenez* sive *Chenez*, latinâ terminatione *Kenezius* ac *Kinizius*, Hungarica vocabula sunt, composita ex *Ki*, i. e. foras, extra, ex; & *Néző*, h. e. spectator, ut adeo *Kinez*, seu *Kenez* Inspectorem, aut Judicem denotet. Hoc quod dicimus, patet

patet (antequam *Parte II*, plura exempla adduxerimus) ex Litteris Isabellæ, *P. Fridvaldszky Minerolog. p.* 97. recitatis, in quibus pagorum nonnullorum Inspectores seu Primarii Judices, *Chenezii* & *Kenezii* nuncupantur; imo in Banatu Temesiensi Hungariæ hoc nomine tales hodieque vocantur. Ergo *Jus Keneziatûs* seu mos, *fuit Jus Judicatûs* seu Inspectoratûs. Consequenter, Nobiles, quibus Possessiones cum Jure Keneziatûs (ut non paucis in Comitatu Hunyad) conferebantur; non Dominali tantùm Foro, sed etiam ordinaria in iis Jurisdictione, Magistratui Comitatûs aliàs competente, gaudebant. Solutiones Quinquagesimales Regnantibus debitas, Expeditiones exercituales, consvetas Dacias, Collectasque, præstabant quidem Populi Possessionum Juri Keneziali addictarum: sed ceteroquin Jurisdictioni Dominorum Kenezialium suberant, &c. Tali autem iure Keneziatûs, Possessiones ad omnem Posteritatem conferri non solebant, imò raro etiam ad Filios. Inclita ergo Gens Csolnakosia, Jure Keneziatûs ad hunc diem fruitur in Possessione Csolnakos, quam Regio quoque Jure sibi donatam tenet. 2.) *Donationalibus de An.* 1447, *quibus idem Joannes donat eamdem Possessionem iisdem itidem* Dan, Vojk, Petro (Csorbe *cognominato*) & Joanni. 3.) *Exemtionalibus ejusdem Joannis*, quæ hujus sunt tenoris:

„ JOHANNES *de* HUNYAD, Regni Hunga-
„ riæ Gubernator. Vniversis & singulis Dominis
„ Prælatis, Baronibus, Comitibus, signanter autem
„ in Castris Hunyad & Hátzeg constitutis Castella-
„ nis, alteriusque cujusvis statûs & præeminentiæ
„ Hominibus, præsentes hasce nostras visuris, Sa-
„ lutem cum favore. Dicit nobis egregius *Vojk de*
„ *Chionak* Frater noster (*in Bonis maternis*) Condivi-

„ ſionalis, in ſua, ac *Ladislai* & *Sandrini*, filiorum „ ſuorum, nec non *Dan Jariſzo de* dicta *Chionak*; „ perſonis, quomodo complures Nobiles & Ca„ ſtellani, qui ipſos in diverſis Servitiis, Daciis, „ Collectis, & exercitualibus Expeditionibus ni„ mium aggravaſſent, aggravarentque etiam de præ„ ſenti, contra noſtram gratiam authoritate noſtræ „ Gubernationis ipſis factam. Vnde nos præſenti„ bus hiſce noſtris requirimus Dominationes Veſtras „ & Fraternitates, quatenus præfatos, Egregium „ *Vójk de Chionakos*, ac *Ladislaum* & *Sandrinum* filios „ ejusdem, nec non *Daan* filium *Jariſzlo*, Poſteri„ tatesque ipſorum univerſos, in ipſorum Poſſeſſio„ nibus, puta *Chionak*, & *Hátzeg*, & *Doboka (hodie* „ *Prædium eſt, non Pagus, in juribus Dominorum Csol*„ *nakoſior.*) in Hunyad Diſtrictibus habitis, nullo „ impedimento, & impedire facere dignemini. Sed „ eosdem & Poſteritates eorum univerſas, ab omni „ exercituali expeditione, Servitiorum Collectis & „ Daciis quibusvis, volumus habere exemtos, imò „ eximimus & ſupportamus præſentium per vigo„ rem; quicunque Regni Hungariæ Succeſſores, „ Prælatique & Barones Regni H. ſignanterque Ca„ ſtellani Caſtrorum Hunyad & Hatzeg prædicto„ rum præſcriptam noſtram gratiam infringere at„ tentaverint, Indignationem Dei Omnipotentis, „ Suæque Genitricis Virginis glorioſæ, Sanctorum „ Petri & Pauli Apoſtolorum, ac omnium Sancto„ rum, incurrant, & eo facto Anathemati ſint. „ Datum in Karanſebes, Feria tertia ante Feſtum „ decollationis Johannis Baptiſtæ, Anno Domini „ 1448.„ Poſſidemus has, in Copiis, à Principe Gabriele Bathori An. 1609, 29. Apr. & à Pr. Michaële Apafi A. 1677, 9. Sept. confirmatas. 4.) *Exemtionali-*

tionalibus Matthiæ Corv. Regis, *de An.* 1466, *in vigilia nativitatis B. Joh. Baptistæ.* Huc, huc, ergo Lectores! &, quæ, narrationes, Litteræ, monumentaque Inclitæ Prosapiæ, docent, amplectamur; Bonfinioque, tot Eruditos in Europa Scriptores seducenti, nihil amplius, hac in materia, deferamus.

3. *Tempus Donationis Dominii Hunyad Joanni factæ*: ei enim non adulto & meritis claro, sed puero, atque adeo notho suo, Sigismundus Donationem fecit. Spes me alit, *Litteras Statutorias*, quarum virtute puer Joannes, sub matris tutela naturali agens, in dictum Dominium (*Vajda-Hunyad*, i. e. Wajvodæ-Hunyadum, à Joannis officio nuncupatum; ad distinctionem Oppidi Hunyad in Comitatu Kolos siti, & ab Illustr. Lib. Bar. Possessoribus *Banffi-Hunyad* vocati: quibus locis, Hunnos, Siculorum Majores Castra olim pro vigiliis posuisse, indeque nomen *Hunniad* iis adhæsisse, non citra rationem creditur) introductus est, lucem publicam visuras: quod si contingat, omnis de Joannis ortu controversia terminabitur, terminata tamen iam nobis.

4. Si Buthi Valachi fuisset filius, an non *Buthiano* nomine aliquando compellatus fuisset?

5. *Verba Vlrici, Comitis Cilejensis, quamvis ab hoste prolata & indebita, non tamen penitùs falsa.* Dixit enim Joannem *Valachum*: quia à Valacha natus erat. Dixit Joannis filios, *Caninum genus*: quod Joannes non legitimo toro, sed vagâ libidine procreatus fuerit. Quam tamen nativitatis ignominiam ita virtutibus detersit, ut Hungarorum *Jephte* (*Judic. XI.* 1.) nominandus censeatur.

6. Matthiâ Corvino defuncto, quum de novo Rege eligendo diversa fuissent hominum studia, & multorum animi in Joannem Corvinum Ducem (de

quo Vid. *Bonfin. Iſtvánffi*, *Wolf. de Bethlen*, *P. Pray*, *P. Palma*, *P. Kereſélich*, cet.,) Matthiæ Naturalem, inclinaſſent: alii Nothum eum objiciebant, ideoque Sceptro minùs dignum. Sed reponebant prioris ſuffragii fautores, Joannem quoque Hunyadi nothum fuiſſe, Regibus tamen majorem ſe præſtitiſſe: quo ſi Hungari caruiſſent, *nemini profectò dubium eſt*, *quod jam diu non ſolùm de Pannonibus*, *Noricis & Germanis*, *verùm etiam de univerſa Chriſtiana Republica fuiſſet actum.*

7. Mores Sigismundi, qui intemperante libidine, qua poſt Conjugis obitum, nobiliſſimos toros, virginesque invadebat, laudes ceteras obſcuraverunt. Vid. *P. Palma Not. Rer. Hung. P. II. p. 126.* Clarum eſt ex his, Joannem *neqve Buthii filium*, *neque è Proſapia Székely*, (in paterna ſaltem linea) fuiſſe.

Neque *de loco nativitatis* Joannis convenit inter Scriptores. Sed non in Oppido Hunyad, verùm in Valachia Transalpina natus eſt. Bonfinius quoque adſerit natum fuiſſe in Tranſalpinæ vico *Holló* ſeu *Hollós*: quidam tamen putant hunc vicum à Bonfinio in Transſilvaniam locatum fuiſſe. De *Corvo* pariter, Joannis *Inſigni*, in varia abeunt Scriptores: Bonfinius, pro ſcopo ſuo, ad Corvinos Romanos refert. Corteſius ad ſomnium Eliſabethæ Szilágyi, Conjugis Corvini. Aliqui dicunt Matthiam Regem Corvo gentilitio annulum adjeciſſe; ſed falſum eſt: cum inſignia Joannis, in Caſtro Oppidi Hunyad (quod caſtrum, *rudus eſſe*, minùs rectè ſcripſit *Clar. Száſzkius*,) in quibusdam Templis, &c, Corvum cum annulo habentia, contrarium evincant. De curſu vitæ, glorioſis geſtis, de Comitatu Biſtricienſi Joannis Hunyadi &c, vid. apud P. PRAY *Annal. Reg. Hung. P. III.* 125, *ſeqq.* P. PALMA *Not.*

Rer.

Rer. Hung. P. II. p. 169, *seqq.* Nos quoque *Parte Spec.* quædam de his referemus, ubi hæredia Transsilvanica Joannis describemus.

Ad pag. 195.

Comites Siculorum fuêre etiam *Nicolaus Petheo*, 1377. *Nicolaus*, filius Desö, 1383. *Joannes Pongrátz* de Dengelegh 1518. *Ladislaus Edeniti* 1550.

Ad pag. 226.

De electione *Bathorii* à Maximiliano confirmata, sic quidem *Istvanffius*: sed aliter habet Illustr. *Wolf. de Bethlen*, ut §. 270. referemus. Dignum autem est observatu, hunc & successores *Bathorios* Principes, scriptos fuisse *de Somlyo*: floruit enim alia quoque Inclita Prosapia *Bathori*, *de Nyir* dicta, ex qua fuit Stephanus Wajvoda, §. 99. *not.* 16.

Ad pag. 229. *lin.* 20. *adde:*

Et plurimis Diplomatibus passim in Transsilvania reperibilibus.

Ad Pag. 233 & 234.

Personas jussu Principis Sigismundi peremtas, locaque, quibus ultimo supplicio datæ sunt, aliter *Wolf. de Bethlen Hist. L.* 8. enumerat: sed nos, hac de re, *Parte Speciali*, ubi Claudiopolim, & celebrata in hac Civitate Comitia, describemus, quædam commemorabimus.

Ad pag. 234. *lin.* 16.

Fœderis Rudolphum Imperatorem inter & Sigismundum Principem icti, Puncta, in *Corpore Juris Hungarici*, ad *An.* 1595, 28. *Jan.* habentur, sub titulo *Tractatuum Transsilvanicorum.*

Ad pag. 246. *l.* 14.

Diem 22. Julii scripsimus, cum *Istvánfio*: at *Marcus Fuchsius* Coronensis, Parochus tum Rosnaviensis in Barcia, & testis harum rerum oculatus,

in

in Manuſcripto ſuo Opere, *Notatio Hiſtorica* nominato, diem 17^{mum} ejusdem menſis ſcribit, quo Radulius cum 17000. mil. exercitu, adversùs Moſen, in caſtris ſuis adhuc hærentem, moverit.

Ad pag. 254. *lin.* 1. 2.

Hajdones fuiſſe Milites pedeſtres, atque ſeculi 17^{mi} initio ortos, ſcripſimus: ne verò hæc contra Decreta Regum Apoſtolicorum adſeruiſſe nos aliquis putet, ſequentia eum ſcire volumus.

Hajdonum quidem nomen antiquum eſt in Hungaria: ſed id olim *Bubulcos* (ex hungarico *Hajtó*, quod abactorem, aut veriùs cuſtodem pecorum valet, facta nomenclatione *Hajdo*, & poſtmodùm *Hajdu*) notaſſe, docemur Decreto VII^{mo} Vladislai Regis, An. 1514. condito, cujus Art. LX. eſt; „ *Bubulci*, vulgari ſermone *Hajdones* nuncupati, „ cuſpides & alia arma pariter non deferant & ne- „ que ruſtici pixides gerere præſumant. Nam ali- „ ter, ſi *Hajdo* arma geſſerit, per quemcunque & „ ubicunque comprehendi poterit; primo caſtige- „ tur: ſecundo, ſi iterum arma tulerit, decolletur, „ vel alia morte mulctetur.„ *Art. LXI.* „ Item „ ſtatutum eſt, quòd pro pecudum aut pecorum „ conſervatione in terris aliorum, nemo ruſtico- „ rum, etiam Liberarum vel aliarum Civitatum Re- „ giarum, domos ſeu caſas de cætero campeſtra- „ les, ſive tuguria, communi vocabulo *Szállás* nun- „ cupata, tenere aut conſervare poſſit: ut per hoc „ malitia *Hajdonum* ceſſet, & depereat, &c.

De talibus pecorum cuſtodibus, aliisque erronibus, circa medium ſeculi 16^{ti}, facti ſunt (Nobilibus & Officialibus nonnullis eos conducentibus, ac in arcibus aliisque locis tenentibus,) vagi, temerarii, audacesque, peronati pedeſtris ordinis milites, *Hajdones*

dones vulgò dicti, quorum arma *acinacis*, *pelta* & *cuspis*, erant. His inaudita facinora & latrocinia patrantibus, data est occasio Legi, qua An. 1557, statuebatur, ut *Haydones, qui ex confiniis rapinas exercent, aut qui causam depredationi iis dederint*, dignâ pœnâ adficiantur; *Art.* 23. Mox verò, anno v. l. 1563, in Conventu Posoniensi, nonnisi in confiniis teneri eos posse decretum est, Articulo 23tio, qui talis est: „ De Hajdonibus, quos liberos vocant, „ & pro quibus tollendis Sacra Majestas Cæsarea „ certum remedium inveniri, decernique postulat: „ statutum est, ut hi nusquam alibi, quàm in con- „ finiis certo numero & stipendio conducti interte- „ neantur. Confinia enim iis nullo modo carere „ posse videntur, eò quòd ejusmodi pedites emit- „ ti soleant, ad conservandos in obedientia colo- „ nos Turcis subjectos, retinendamque Suæ Maje- „ statis jurisdictionem, quando equites per ea lo- „ ca, quæ peditibus sunt pervia, non semper pos- „ sint transire, & his excurrentibus, pedites illi „ pro custodia arcium relinqui soleant: ii tamen „ nonnisi de voluntate Capitaneorum emittantur, „ & emissi, si miseram plebem indignè oppresse- „ rint, damnificaverintve; eos Capitaneus ipse sta- „ tim & defacto graviter puniat. Stantibus vero „ cum Imperatore Turcarum Induciis, diligenter „ superintendat, ne quid ab eis in illarum violatio- „ nem committatur. Quod si vero aliqui comper- „ ti fuerint, qui nulla habeant loca finitima, sed „ in tuto & securo manentes loco, tales *Haydones* „ prædæ tantùm & lucri causa interteneant, tales „ puniantur irremissibiliter, pœnâ quæ in Articulis „ Conventûs anni 1557mi, contra illos est consti- „ tuta, *cet.* Confirmatus Articulus his An. 1575,

Arti-

Articulo 3tio Possoniensi. Anno autem 1595, penitus tolluntur Hajdones, vi Articuli 31mi Posoniensis, sic se habentis: „De liberis *Haydonibus*, pe-
„ ditibus & equitibus (*jam enim multi eorum equites*
„ *facti erant*,) tam nobilibus, quàm ignobilibus,
„ statutum est, ut nemo Dominorum aut Nobilium,
„ sive indigenarum, sive exterorum, tales liberos
„ *Haydones* teneat: secùs faciens, in notam perpe-
„ tuæ infidelitatis ipso facto incurrat: Ipsi etiam Haydones pœna capitis puniantur: Articulo 13tio, anni 1596. revocatur hæc Constitutio & statuitur, ut ubicunque Hajdones inventi fuerint, è medio tollantur; pariter Art. 23, anni 1597; Art. 29, An. 1598; & Art. 3, An. 1599, „hoc addito, ut fau-
„ tores & intertentores talium *Hajdonum*, pœna ca-
„ pitis per Suam Majestatem puniantur, &c. Articulo 27, anni 1601, Insurrectio in Liberos Hajdones decernitur, item Art. 20, anni 1608; Art. 19, An. 1609; & Art. 3. An. 1618.

Præter eos, de quibus egimus, alii quoque prædones, sub nomine *Hajdonum*, in Hungaria latrocinabantur; de quibus Articulus 24tus Anni 1597, sic sonat: „Liberi autem *Hajdones*, hoc loco ii
„ etiam intelliguntur, qui sub nomine & titulo ser-
„ vientium, à plerisque Magnatibus & nobilibus,
„ in bonis suis habentur, & qui ideo saltem inter-
„ tenentur, ut excursionibus suis, ipsos dominos
„ lactent. Qui sub specie excurrendi in ditiones
„ Turcicas, pecora miserorum colonorum Chri-
„ stianorum abigunt, ipsamque plebem miserè op-
„ primunt, & perpetuis latrociniis incumbunt. Si
„ quis Dominorum aut Nobilium, aut etiam Capi-
„ taneorum, tales latrones in suis bonis scienter
„ posthac intertenuerit, amittat eadem bona, &

„ con-

„ confiſcentur per Suam Majeſtatem.„ De iisdem loquitur etiam Art. 142, An. 1647. Ex ea fortaſſis conſvetudine hodieque Magnatum ſervi quidam, inſtar Accenſorum ſe habentes, ut & Carcerarii, *Hajdones* vocantur.

Ex præmiſſis videmus copioſè, fuiſſe quidem ante ſeculum 17^mum^ *Hajdones* in Hungaria; ſed eos lege ſublatos. Initio ergo ſeculi 17^mi^, novi orti ſunt *Hajdones*, à prioribus (licet ex eorum partim reliquiis) multum diverſi, *Oppidis Hajdonicalibus*, cum antea certis habitationis ſedibus caruerint, donati (de quibus Vid. *Art.* 43, *Decr. III. Ferdinandi III.* Imp. & Regis. *Approb. Conſt. P.* 3. *T.* 86. *Art.* 1. Loſontzi *Magyar Orſzág Kis Tüköre*, in Comitatu Szabólts;) fortitudinis ac militaris gloriæ famâ celebres. Exſtant hodie quoque in Hungariæ Comitatu Szaboltſenſi, ſex Oppida Hajdonicalia: *Vámos-Pirts*, *Hatház*, *Nánás*, *Rátz-Böſzörmény*, *Szoboſzló*, *Dorog*; Opp. verò *Polgári*, olim Hajdonicale, jam nunc Vener. Capitulo Agrienſi ſubjectum. Oppida hæc Hajdonicalia ſeparatam habent à Comitatu Jurisdictionem, reguntur que à ſuo proprio Capitaneo, quem è gremio ſuo electum, Conſilio bellico confirmandum præſentant. Quoties negotia eorum publica requirunt, in aliquo Oppido Conventum agunt, præſidente Capitaneo: ſed jure ſeſſionis Comitiorum non gaudent.

Pedeſtres Milites maximam partem fuêre hi Hajdones Botskaiani, tempore erectionis (ſicut & antiqui, ut docet adnotatio marginalis Art. 23, An. 1557; Art. 23, An. 1563; & Art. 13, An. 1575;) poſtea Equeſtrem etiam ordinem ſequuti. Hinc eſt, quod Ill. JOAN. BETHLENIVS, *Rer. Tranſylv. Lib.* 1. §. 1. ſcripſerit de Hajdonibus; „Hi erant

„ liberi

„ liberi ſub Principatu Transſilvaniæ equites, nulli„ que præter Principem, niſi Capitaneo Váradien„ ſi ſubjecti.„

Patet ex his omnibus, non citra rationem, ortum horum ad initium ſeculi 17^{mi}, cum *Barone* FRANCISCO MIKO, *Hiſt. Mſcr.* nos retuliſſe, ſimulque pedites dixiſſe.

Ad pag. 337 & 338.

Quæ de *Collatione Beneficiorum Eccleſiaſticorum*, & eorum *vacantium perceptione* diximus; & ex mente Legis, & ex uſu, pertinent ad Eccleſiam ſive Religionem Romano-Catholicam: Religionum enim Proteſtantium alia eſt ratio.

Ad pag. 350.

Loca ſeu *Oppida Taxalia* dicebantur, quæ non militabant, ſed certam Taxam ſeu Contributionem pendebant: cum ex adverſo *Oppidorum Nobilium* Cives, militiæ addicti, armis, non ſolutione Tributi, Imperantibus & Patriæ olim ſervierint; quamvis nec hi immunes Cenſuum fuerint in variis patriæ mutationibus.

Ad p. 352. *lin.* 27, poſt vocem: *adplicabit.* adde:

Juxta *Portarum* numerum, vi *Accordæ* determinatum, ſolvebatur Contributio uſque annum 1698; quo, ac ſequentibus etiam, Saxones ab Hungaris & Siculis in perferendo Tributo juvabantur, teſtibus *Articulis.* Anno tamen 1702, & 1703, Natio Saxonica ſuas ſuper Contributione querelas renovabat adeo, ut cumulum Litterarum poſſideamus maximum, quo Poſtulata Saxonum, & reſponſa Hungarorum Siculorumque comprehenduntur. Anno igitur 1703, in Comitiis M. Mart. habitis, ad tollendam, ſi quæ eſſet, Contributionis inæqualitatem, nova Nationum Connumeratio decre-

ta

ta eſt, & conſcriptores nominati. *Art.* 18. At motus Rákócziani effectum impediverunt. Interim tamen, M. Dec. An. 1705, armis Auſtriacis prævalentibus, in Comitiis Schæsburgenſibus, præter Contributionem ordinariam, impoſita eſt etiam extraordinaria, in Flor. 38240, Vaſibus vini 292., centenariis carnis 893, cubulis tritici 1915, cub. avenæ 4633, vehibus feni 3346; cujus medietatem Siculi, duas ſextalitates Comitatus Hungarorum, partem ſextam Natio Saxonica, quæ tum nimiùm deſolata proditur, ſolverent. Sopitis verò A. 1711. motibus civilibus, An. 1713. Conſcriptio peracta eſt, juxtaque eam Contributio An. 1714. repartita, & præſtita ad An. 1721; quo, & ſequentibus, nova rurſus Connumeratio facta eſt. Saxones interim, ab An. 1714, ad 1739, plus ſemper Tributi, ac Hungarorum Comitatus, ſolverunt. Anno igitur 1736. recruduêre querelæ Saxonum, interque iſtos, & duas alias Nationes, multæ contentiones agitatæ, ac Cibinii in Diæta propoſitæ. Objiciebat Natio Saxonica:

1. *Comitatus Hungarorum triplo majus ſpatium, quàm terram Saxonum, habere: ergo majori quoque oneri ſubjiciendos.* Reponebant Hungari, non extenſionem terræ, ſed ejus naturam, metiendam eſſe. Nam *a.*) Natio Saxonica præcipuam Transſilvaniæ partem, & quaſi medullam, colit; poſſidet vineta numeroſiſſima & ſelectiſſima, agros fertiliores aut pauciori boum numero arabiles, feneta & prata lætiſſima, molas vicinas, ac in ſuis territoriis ſitas ſufficientes, piſcatus, lignationes, ſilvas glandiferas, alpes plurimis ovium atque pecorum gregibus alendis & ſaginandis aptiſſimas: in Comitatibus contra, multa loca alpina ſub alpinaque ſterilia, pagis

consita, calvi montes non pauci; campestris regio magna, ubi nec amnes salubres, nec molæ, nec silvæ, agri verò sex & octo jugalium aratro improboque labore coli soliti, propter naturalem duritiem: unde, duorum, trium, pluriumque dierum opera negligenda incolis, dum pro ligno & molitura, longè excurrere coguntur; nec hi ex 8. bobus tantum utilitatis, ac Saxo ex 4. jumentis, capere possunt. *b.*) „ Si terræ adquisitio consideretur, clarum est, „ quòd ab antiquo, Nobilibus Comitatensibus, pro „ servitiis fidelibus & gestis armis, à felicis remi- „ niscentiæ Regibus collata; Almæ verò Nationi „ Saxonicæ pro sufferendo onere, præstanda con- „ tributione concessa est. „ Porro, Magnates ac Nobiles Comitatuum, possident plebem glebæ adscriptam (salvis licet Principis Reservatis, ut sunt Census publici & Decimarum arenda;) plebeji itaque isti sive rustici, Nobilium Subditi, 1, 2, 3, 4, dies septimanatim in servitio Dominorum Terrestrium consumunt, dum Saxones, libero statu gaudentes, omnes dies ad suos labores convertunt: Saxones proinde majorem Contributionem jure debere. „ Nec meritò quispiam objectare potest, *Ter-* „ *ram Nobilium ab oneribus publicis exemtam*; quasi „ verò onus publicum unicè in Contributione con- „ sisteret. Terram Nobiles possident, 1.) *cum one-* „ *re ad bellicam expeditionem*, & sic, in usum bello- „ rum sepositi, ingruentibus periculosis belli tem- „ poribus, de suis Bonis, equo ac propriis perso- „ nis, onere Insurrectionis, præ Contributionis lon- „ gè majori, militare pro Principe & Patriæ defen- „ sione, cum vitæ discrimine tenentur; dum Saxo- „ nes Vrbibus Castellisque suis inclusi, procul, qua- „ si è specula, prospectant tempestatem Patriæ. - -

„ Dum

„ Dum Hungari & Siculi, cum omni hoſtium im-
„ manitate decertando, reliquam conſervaturi pa-
„ triam, in dies hoſtium telis conſumebantur, ſu-
„ dore eorum ſervabatur muro circumvallatus Sa-
„ xo. 2.) Sicubi defectus Seminis Nobilis alicu-
„ jus obtingat, omnia ejus immobilia Bona redeunt
„ ad Principem ſeu ejus Fiſcum, qui ea rurſus vel
„ donare vel vendere conſvevit. &c.

2. Objiciebat: *Loca Comitatuum, quinquies ac ultra eſſe plura, quàm Saxonum, quæ ſummam 250. paucis ſuperant.* Reſpondebat Hungarus, non numerum arithmeticum conſiderandum eſſe, ſed proportionem geometricam. Nam *a.*) Pagi Saxonici ſunt magni & frequentiſſimi; Comitatenſium autem plerique parvi ac non ita populoſi, docente Connumeratione anni 1736, qua in 1362. Locis Comitatuum cenſebantur Patres-& MatresFamilias, Libertini quidem 5000, Subditi 35621; & in 263. Locis Fundi Regii ſeu Sedium Saxonicarum, Contribuentes Patres-ac Matresfamiliæ, Libertini 31016, Subditi 700. *b.*) Hungari, Siculique bellis innutriti, & armis Patriam defendere intenti, paucis caſtris, nullis urbibus ſtruendis vacarunt, quaſi ad confligendum ſemper parati; atque adeo Loca eorum identidem deſolata everſaque, mortales in diram barbarorum captivitatem abducti, reliqui ad ultimam paupertatem redacti: Saxones ex adverſo militiæ non adeo obligati, terram ſuam optimè excoluêre, Vrbibus ac Oppidis firmavêre; in quibus, calamitoſis belli temporibus, ſe conſervant, nec depauperantur, ſed diteſcunt; dum rapinis alii exponuntur, domibus ſuis in hoſpitia Magnatum Nobiliumque, pro conſervatione familiarum, cariſſimo pretio elocatis. Hinc, circa finem ſuperioris ſeculi, Guber-

nium Regium adſeverare non dubitavit, in ſua, quam Commembris ſuis, Samueli Kereſzteſi & Stephano Apor, An. 1692, 23. Jun. ad Generalem Armorum Præfectum, Comitem Veterani, expeditis dedit, Inſtructione, inquiſitione probari poſſe, turbidis temporibus nullum annum fuiſſe, quo in Civitatibus & Caſtellis Saxonum, reliquæ Nationes, ad minimum 100000. florenos, ac ampliùs, pro refugii hoſpitis, ipſis non ſolviſſent. *c.)* Fundi Regii incolæ, tamquam in vel juxta Civitates & Oppida degentes, ad manum quaſi, Comitatenſes verò procul, panem & pecuniam adquirendi habent occaſionem. In Civitatibus & Oppidis ſunt mercaturæ & educilla, ſunt & conſervationis loca, ubi Naturalia vili pretio è Comitatibus congeſta, cum maximo emolumento vendunt. *d.)* Mercatores aliis è provinciis, occaſione ſui quæſtûs, huc, hinc verò aliò proficiſci volentes, in Civitatibus Saxonicis ſubſiſtunt, & pro hoſpitiis multùm ſolvunt; victualia inſuper & ad iter neceſſaria, à Civibus, cum magno horum reditu, emunt. *e.)* „ Omnis generis Opificum copioſior numerus, in ipſorum Civitatibus degit; omnia ad vitam neceſſaria, parato noſtro ære debemus ab ipſis mercari, & ſic, quam pecuniam acquirimus, in eorum Civitatibus cogimur expendere, *cet.* *f.)* In Comitatibus plurimi ſunt pagi Fiſcales, non pauci Eccleſiarum, ut Epiſcopatûs Albenſis.

3. Allegabat, *in Civitatibus ſuis continuam Quartiriorum militarium ſubſiſtentiam.* Sed referebant Comitatus, ſe in hujusmodi onerum ſupportatione non eſſe inferiores; Nationem tamen Saxonicam pro his conſiderabilem bonificationem nactam eſſe. Inſuper, ubi miles hoſpitatur, ubi incolæ, pecuniam

eorum

eorum pro ſtipendio datam, per Victualia, &c, ad ſe derivant.

Poſthæc, ad hanc *Accordam* inter Nationes itum eſt, ut ad triennium, donec juſtior contribuendi methodus erigi poterit, de 100. Numeris ſive Calculis (jam *Portarum* nomenclatio ceſſaverat, & *Calculi* audiebatur,) Tributum Transſilvaniæ comprehendentibus, Comitatus 37, Natio Saxonica 38, Siculi 17, Loca Taxalia 8, in ſe adſumerent. Et hæc Contribuendi forma ad A. 1755. valuit. Interim, vel his controverſiarum finis factus erat minimè: licet varii varia concinnaverint de *Norma Contributionali* Projecta; quale erat Illuſt. GABRIELIS ALVINTZI *Lib. Bar. de Borberek*, Secretarii tum Gubernialis A. 1740, Punctis 16. conſtans. Dum igitur Nationes Hungarica & Siculica perſpexiſſent, ſecùs hæc terminari non poſſe, quàm ſi *Deputatio* e tribus Nationibus adornanda ad Sacratiſſimam Majeſtatem mitteretur, (lectis ad eam Subjectis, quæ ſtatum Transſilvaniæ penitus cognitum haberent, & occurrentes quasvis circa Contributionis normam difficultates ſolvere quirent, ac ſic ſyſtema Provinciæ genuine SVÆ MAIESTATI repræſentarent;) ad ſubmittendam talem Deputationem animum adtenderunt: ſed Natio Saxonica in eam non conſenſit. SVA igitur Majeſtas Sacratiſſima in Decreto Aulico, d. 25. Febr. 1747. ad Inclytos Status & Ordines hujus Principatus dato, & quidem Puncto I^{mo}, clementiſſimè demandavit, ut ſuas Natio Saxonica, quas habuerit Rationes, cur in concertatam ab Inclytis duabus, Hungarica v. I. & Siculica, Nationibus, ad Auguſtam Aulam expediendam Deputationem non conſenſerit, humillimè exponat & ſubmittat. Duæ itaque Nationes, in Co-

mitiis Cibinii eodem anno celebratis, 14ta Apr. *Rationes* ejusdem Nationis exhiberi & secum communicari postulabant, sequentibusque diebus urgebant; quæ ibidem & exhibitæ sunt & lectæ, una cum opinione super norma contribuendi, superiori quoque Diæta exhibita, quâ solas Personas pro Contributionis objecto adsumendas, non verò fundos & facultates considerandas; illasque per impartiales (h. e. extraneos) Conscriptores peragendas sollicitaverat, & nunc demùm sollicitabat: ad quod evincendum exhibebat pariter Considerationes & Observationes anno adhuc superiore 1746. concinnatas. Datæ sunt tandem M. Majo ad istas, *Reflexiones duarum Nationum*, quæ, una cum *Rationibus* Nationis Saxonicæ, 8. plagulis descriptæ apud me etiam habentur. Vrgebant tum duæ Nationes omnem in Conscriptione partialitatem tolli, si ad singulas Conscriptionis Classes, unus Comitatensis, unus Siculus, unusqueSaxo, & unus, ex parte Thesaurariatûs, gnarus provinciæ Indigena, ordinentur. Conventum tandem est super Deputatione, & A. 1749, ex parte Hungarorum ac Siculorum missi Illustr. Domini *L. B.* IOAN. LÁZÁR, *Com.* GABR. BETHLEN, *L. B.* DÁVID HENTER, & nescio qui è parte Saxonum.

Sequente anno 1750, Conscriptio totius Transsilvaniæ, moderante *Directiva Commissione* peracta est; & sub finem An. 1754. secundùm factam, pro diversitate plagarum & emporiorum, in capita quorumvis Individuorum contribuentium, eorumque Facultates, taxationem, novum Contribuendi Systema compactum est; vi cuius 76425. flor. rhen. & 41. xferis plus è Comitatibus, quàm Saxonum Locis Contributionis emersit. Quam mutationem accidentalem deinde hoc Systema acceperit, sub Generali

nerali Armorum Præfecto & Gubernii Regii Præside, *L. B.* à BVCCOV, atque postea etiam, me melius illi, quorum interest, noverunt. Hæc verò omnia fide Articulorum Diætalium & Instrumentorum Publicorum.

Ad pag. 356. *lin.* 17 & 18.

Post voces *Thorda* & *Dees*, adde: &c. Præter hæc duo enim, sunt plura quoque Oppida Nobilia, v. l. *Nagy-Enyed*, *Zilah*, *Al-Vintz* cum *Borberek* (duo enim hæc loca, solo Marusio fluvio divisa, unum corpus civile constituunt,) *Fel-Vintz*, *Magyar-Igen*, *Sárd*, *Benedek*, *Borbánd*, *Vajasd*, *Tövis*, cet.

Ad pag. 359. *lin.* 24.

Quæ habentur, post vocem: *sequentibus* - - -, & p. 360, 361. verba sunt Articuli Diætalis A. 1744.

Ad pag. 408 & 409.

Multi equidem Siculorum *Litteras Donationales* à Regibus adepti fuerunt, quarum virtute, Bona & Hæredia *in Comitatibus* possiderent; sed *non in Siculia.* Nec Litteras *Armales* Siculis datas, ceu minùs necessarias, ante tempora Principum Bathoriorum, vel multâ investigatione, reperire in nostra Siculia potui unquam, datas verò deinde numerosiores, *Litteras* autem *Primipilares* numerosissimas; qualium unas, utpote exteris Lectoribus nunquam fortè visas, in gratiam eorum publicas facimus. En eas:

„ NOS GEORGIVS RÁKOCI, Dei Gratia
„ Princeps Transsilvaniæ, Partium Regni Hunga-
„ riæ Dominus & Siculorum Comes, &c. Memo-
„ riæ commendamus, tenore præsentium significan-
„ tes, quibus expedit universis, quod nos cum ad
„ nonnullorum Fidelium Dominorum Consilia-
„ riorum nostrorum singularem, nobis propterea
„ factam intercessionem, tum verò attentis & con-

 „ sidera-

„ ſideratis fidelitate & fidelibus ſervitiis Fidelium
„ Siculorum noſtrorum, Strenuorum Agilium
„ JACOBI DESEO, GEORGII *majoris*, VALEN-
„ TINI & IOANNIS PETEO (nunc legimus
„ *Petö* & *Desö*,) IOANNIS BODA, FRAN-
„ CISCI DAMOKOS, STEPHANI & VALEN-
„ TINI BARRABÁS, JOANNIS ALBERT *majoris*,
„ GREG. HAJDU & JOANNIS KEOFARAGÓ,
„ de Hérmányfálva in Sede Siculicali Udvarhely,
„ vel Filiali ejus Bardotz exiſten. Equitum pixidario-
„ rum, quæ ipſi nobis & huic Regno noſtro Trans-
„ ſilvaniæ in omnibus occaſionibus, rerumque &
„ temporum viciſſitudinibus; præſertim verò in mo-
„ derna Expeditione noſtra Transalpinenſi, pro-
„ pitio Divino Numine, contra rebelles Regni il-
„ lius feliciter ſuſcepta & cum profligatione eorum
„ laudabiliter peracta, fideliter & auſu martiali ex-
„ hibuerunt & impenderunt, ac in poſterum quo-
„ que exhibituros & impenſuros ſe ſe pollicentur;
„ eosdem igitur, ac per eos, filios ſuos, natos &
„ in poſterum naſcituros, ex ſpeciali gratia, & po-
„ teſtatis noſtræ Principalis plenitudine, è numero
„ reliquorum Libertinorum Siculorum, in quo nati
„ ſunt, clementer eximendos, ac in cœtum & nu-
„ merum verorum natorum & indubitatorum Pri-
„ mipilorum Siculorum, annumerandos, aggre-
„ gandos, cooptandos, & adſcribendos duximus;
„ prout eximimus, annumeramus, aggregamus, co-
„ optamus & adſcribimus, præſentium per vigorem,
„ decernentes expreſſè, ut à modo deinceps, ſuc-
„ ceſſivis ſemper temporibus, iidem JAC. DESEO,
„ GE. *major*. VAL. & JO. PETEO, IO. BODA,
„ FR. DAMOKOS, ST. & VAL. BARRABÁS,
„ IO. ALBERT *major*, GREG. HAIDV & IO.

„ KEO-

„ KEOFARAGÓ, hæredesque & poſteritates ipſo-
„ rum univerſæ, pro veris & indubitatis Primipilis
„ habeantur & reputentur; omnibusque & ſingulis
„ iis honoribus, gratiis, privilegiis, indultis, liber-
„ tatibus, immunitatibus & prærogativis, quibus
„ cæteri, veri, nati & indubitati Primipili Siculi,
„ quomodocunque, de jure & ab antiqua conſve-
„ tudine utuntur, fruuntur & gaudent, perpetuo
„ uti, frui & gaudere valeant atque poſſint: ita ta-
„ men, vt ipſi, hæredesque & poſteritates ipſo-
„ rum univerſæ, bonis equis, frameis, ſclopetis
„ longis, pulveribus ac globis ſufficientibus benè
„ inſtructi, omnibusque bellicis expeditionibus, tam
„ generalibus, quàm partialibus, pro neceſſitate
„ Regni ſuſcipiendis, ad mandata noſtra, ſucceſ-
„ ſorumque noſtrorum ſemper intereſſe, & ſi res
„ poſtulaverit, equis deſcendere, & more Peditum,
„ fidelem Patriæ operam navare debeant, & ſint
„ adſtricti. In cujus rei memoriam firmitatemque
„ perpetuam, præſentes Litteras noſtras pendentis
„ & authentici ſigilli noſtri munimine roboratas,
„ memoratis Equitibus noſtris pixidariis Primipilis,
„ eorumque hæredibus univerſis gratioſè dandas du-
„ ximus & concedendas. Datum in Caſtris noſtris
„ Transalpinenſibus ad Oppidum PLOEST meta-
„ tis, Die 28va Junii Añno Dñi 1655.

GEORGIVS RAKOCZI.
m. pr.

Primipilares hæ, carentes (in Copiis ſaltem apud me exſtantibus) Cancellarii & Secretarii ſubſcriptionibus, aliàs ad formalitatem talium neceſſariis, docent, Litteras Primipilares non tantùm uni, aut duobus, ſed ſæpè pluribus, datas fuiſſe.

Ad pag. 409. *lin.* 29. 30.

Sic lege: *Homagium Siculi, quàm reliquorum Nobilium, minus esse.* Scilicet, Homagia Siculorum 25. florenis compensantur, ut habet Lex patria, *Decr. Trip. P.* 3. *T.* 4. Nobilium verò Comitatensium in Transsilvania flor. *66*; *Decr. Trip. P.* 3. *T.* 3. Non tamen hinc sequitur, inferiore Nobilitatis prærogativâ Siculos gaudere: hi enim ipsimet, jam ante Hungarorum adventum Homagium fixerant, nec tandem mutandum censuerunt. Non est autem mirum, vel Hungarorum, vel Siculorum Homagium tam exili ære constare: ea namque ætate, qua hi æquè ac illi, lege Homagium determinarunt, nusquam adhuc in Europa pecuniæ erat copia. Si hodie Lex de Homagio ferretur, quanto major argenti summa statueretur! Sed Legem semel latam, nec siculi, nec Hungari, loco movendam volunt. *Notandum*: Per *Homagium* isthic non intelligimus, *fidelitatem superiori præstitam* aut præstandam; *sed capitis redemtionem.* Vid. *Decr. Trip. Part.* 3. *Titulo* 5.

Ad pag. 416. *lin.* 13.

Obnoxios fuisse; dum scilicet Nobiles etiam Comitatuum extraordinariam aliquam Contributionem subierunt: aliàs verò Subditi tantùm eorum, in hæurediis Comitatensibus degentes, talia onera præstiterunt, quæ Nobilium Comitatensium. *N. B.* Sic multi Siculorum, fuerê simul & Nobiles Comitatenses, vel jure v. l. Donatario, vel uxorio.

Ad pag. 438. *lin.* 14. *& pag. seqq.*

Nationem Saxonicam *Almam* passim diximus, sed *Inclitam* sive *Inclytam* titulare debebamus. Scilicet, Nationes Hungarica & Siculica, ut Nobiles, *Inclytæ* (Hung. *Nemes*) semper nominabantur; Natio verò Saxonica, tamquam in statu Civico exsistens

ſtens, *Alma* (Hung. *Betsületes*, ſæpè *Tiſzteletes*, quæ vocabula *Honorabilem* ſignificant) vocabatur, docentibus Articulis Diætalibus & aliis Actis Publicis. Sed Auguſtiſſima MARIA THERESIA, Vniverſitatem Nationis Saxonicæ Titulo *Inclytæ* ornavit, A. 1766: ita tamen, ut in priori ſtatu Civico omnimodè permaneat. Reſcriptum SVÆ Maieſtatis Sacratiſſimæ, hac ſuper re, iſtud eſt:

„ MARIA THERESIA, &c, &c. Illuſtres, „ Reverende, &c. Quemadmodum inde ab exor„ dio Regiminis noſtri Fidelium de Patria & Augu„ ſta Domo Noſtra benemerentium Subditorum „ Noſtrorum deſideriis Materna velificare Benigni„ tate pronam Nos eſſe ſæpiùs teſtatum reddimus: „ ita charæ noſtræ in hæreditario Nobis Transſilva„ niæ Principatu Nationis Saxonicæ humillimis pre„ cibus permotæ, conſideratis præterea ſingulari„ bus quibusdam in utroque benemerendi genere „ comparatis meritis; eidem Nationi Saxonicæ Ti„ tulum INCLYTAE, ex plenitudine poteſtatis no„ ſtræ Regiæ benignè duximus conferendum; Vo„ lentes, & per expreſſum præcipientes, ut illo dein„ ceps ab omnibus & ſingulis compellari, ac in „ Actis, tam Publicis, quàm Privatis, nominari de„ beat; prout conferimus, tribuimusque vigore præ„ ſentium. Verùm enimverò, prout Titulo & no„ menclationi huic naturâ ſuâ nulla alia unquam, „ præter honoris acceſſionem, ineſſe poteſt vis, aut „ efficacia: ita volumus & declaramus expreſſè, vt „ & Natio Saxonica, quantumvis Benignitatis noſtræ „ ſymbolo condecorata, ſuis tamen in Conſtitutio„ nibus perſeveret, & incumbentes ſibi erga Prin„ cipem & Ærarium noſtrum obligationes, prout „ hactenus, ita in poſterum quoque exactiſſimè ex-

„ plere

„ plere ſit obſtricta. Prædeclaratam itaque hanc „ Clementiſſimam Reſolutionem noſtram, per Vos „ Gubernium Regium, tum eidem Nationi Saxo- „ nicæ, cum ad ſingulorum notitiam in univerſo „ Principatu, more ſolito, publicandam jubemus. „ Quibus in reliquo *&c.* Datum Viennæ Auſtriæ „ 26ta Novembris Anno 1766. „ Quod Clementiſſimum Reſcriptum, Commiſſionalibus Excelſi Regii Gubernii, An. 1767, 13. Jan. Cibinii exaratis, omnibus Comitatuum & Sedium Circulis, publicandum eſt demandatum; atque etiam publicatum.

Ad pag. 453. *lin.* 22-27.

Si non duo fuerint Nationis Saxonicæ Comites: ſequitur fortè, ipſos *Blanz & Henningh*, non fuiſſe Nationis Saxonicæ Comites, de Cibinio Comitatu dictos: ſed certorum tantùm locorum, in terra Saxonum, Magiſtros, hoc eſt Judices aut Inſpectores. Conſtat enim ex variis Inſtrumentis, tales in Natione nuncupatos fuiſſe Comites: ſicut inter Hungaros etiam, officiales nonnullos. Sic, quos nunc ad Salis fodinas vocamus *Salis Perceptores*, illi olim nominabantur *Comites Salis Cameræ.* &c.

Ad pag. 456. *lin.* 1. *& pag.* 342.

Diximus Saxonum Parochos Quarta parte Decimarum gaudere, Fiſco verò Regio tres Quartas cedere: ita enim ex Deciſione Judiciali Cauſæ Decimarum, inter Actorem Fiſcum Regium, & Inctos Saxones controverſæ, audiveramus, dum hæc exaravimus; ſed eadem Cauſa, vi Juridici remedii, adhuc pendet. In quibusdam ergo locis Fiſcus unam tantùm Quartam percipit.

Ad pag. 463.

Errores, qui in hanc paginam irrepſerunt, ſic corrigendi. In Sede quidem Cibinienſi generaliter

ſumta,

ſumta, ſunt 57. Loca. Sed in Sede Cibinienſi proprie ſivè ſpecialiter ſic dicta, eſt Cibinium Libera Regiaque Civitas, cum 30. Pagis. Pagi reliqui ad Sedes Filiales ſeu Incorporatas pertinent. Notandum tamen, in iſtis 57. Locis: dari 4. pagos dimidiatos, quos communiter *Portiones* dicunt, tales ſunt: *Orláth*, *Sina* & *Hortobágy-falva*, parte ſua ad Comitatum Albenſem pertinentes; *Sidve* item (Saxonibus Seiden,) cujus pars ad Comitatum Küküllö refertur. In *Diſtrictu Coronenſi* ſive *Barcia*, ſunt: Corona Civitas, 4 Oppida, 9 Pagi Regii Saxonici, 13 Pagi Civitatis Coronenſis, 1 Militaris *Vetus Tobány* hodie nominatus, & *Törts* Arx. Agro Barcenſi concluditur etiam *Szunyogſzeg*, pagus Limitaneo-Militaris, ſed ad Comitatum Albenſem Superiorem pertinet. In *Diſtrictu Biſtricienſi*, præter Biſtricium Civitatem, ſunt 46 Pagi; ſed pars horum eſt militarizata, pagi v. l. Valachici. De his omnibus *Parte Speciali* prolixiùs.

Ad pag. 470. *lin.* 14.

Turbare Hungaros e Fundo poſſunt. Scilicet, dum Fundus aliquis venum exponitur, præemtio Saxonum eſt; at, quos ſemel Hungari poſſident, niſi venales publicentur, Hungaros ex iis Saxo non turbat, nec Hungarus Valachum.

Pag. 496 *&* 497.

De *Polonis* dicta, ſic concilianda ſunt: Tam vetuſtiſſimis temporibus, quàm ætate Joannis Sigismundi, veniſſe in Transſilvaniam & hic habitaſſe Polonos ſat numeroſos, conſtat; ſed illi, potiori ex parte, exſtincti ſunt. Hodierni verò Claudiopolitani vix non omnes, eorum ſunt Poſteri, qui An. 1660. ibi domicilium fixerunt.

Ad pag. 497.

Veteres Ruſſi, incolæ pagorum, *Oroſz-falu*, *Oroſz-fája*, *Oroſz-hegy*, in Valachos & fortè etiam Hungaros, transmutati ſunt. Ruſſi autem pagorum *Alſó-& Felſö Cserged* (aliàs *Kis-& Nagy-Cserged*) in Com. Albenſi; & *Bungard* ac *Reiſzdörflein* in Sede Cibinienſi, ex Servia ſeriùs in Transſilvaniam venerunt, ideoque ſeniores eorum lingvam Raſcianam (§. 165.) callent, reliqui idiomate Valachico utuntur. Religionem Lutheranam (Fidei enim Helveticæ renunciarunt) ſequuntur: in jejuniis tamen, & multis aliis, Ritum Orientalem nondum exuerunt. De his plura *Parte Spec.* ex diligenti Indagatione Spect. Domini LADISLAI BALÓ *junioris de Nagy-Batzon*, ad Inclitam Tabulam Continuam Comitatûs de Kükülló Adſeſſoris Actualis, qui noſtri ſcopi gratia, ex vicina fermè habitatione ſua *Hoſzſzuaſzóenſi* viam nactus, ſtatum, mores, &c, Ruſſorum colonorum utriusque *Cserged* penitùs cognovit, connotavit, nobiscumque communicavit.

Ad pag. 518.

Regni Baronibus Hungariæ adnumeratus eſt, An. 1764, in Comitiis Publicis, Capitaneus Turmæ Prætorianæ è Nobili Hungarica Juventute collectæ. Vid. *P. Palma Not. Rer. Hung. P. III. p.* 401.

Ad pag. 527. *lin.* 5.

Oppidani v. l. Taxales, ſive Cives Oppidorum Taxalium: Cives enim Oppidorum Nobilium, pro Nobilibus unius Seſſionis habentur, eoque modo Contributionem ſolvunt. Sunt verò in Oppidis Nobilibus paſſim plurimi quoque Nobiles Immunes & Magnates.

Bayerische Staatsbibliothek München

INDEX.

INDEX.

A.

Aba Hung. Rex. 149
Abaris. 372
Abares. . . 372-374
Abar Magyarok. . . 372
Abrud-Bánya. 24, 93, 97
Acletus. 31
Acidulæ. 74
Adalbertus St. . . 377
Aditus. 51
Adamas. 83
Aër Transsilv. . . . 52
Ægethuſa. . . . 18
Æthuſa. 18
Agareni. 374
Agaſton-falva. . . 444
Agropolis. . . . 543
Akadás Siculus. . . 446
Alabaſtrum. . . . 79
Aladár. 369
Alani. 365
Alba Julia. . . . 22
Albis. 27
Alboinus. 372
Albenſis Comitatus. 378
Allium urſinum. . 117
Almakerék. . . . 314
Almás. 556
Almus Dux. . . . 166
Almus. 375
Alpes Transſilv. 50, 59
Alt-Fluß. 65
Alumen. 83
Aluta fluv. 65
Alvintzi L. B. Famil. 520
Alvintzi Petrus. . 313
Alvintzianæ Reſolutiones. 313
Amphibia. 133
Ampelites. 84
Anabaptiſtæ. . . . 495
Anagaſtus. 370
Andraſi L. B. Familia. 520
Andreas I. Hung. Rex. 150
Andreas II. H. Rex. 150
Annia via. 31
Animale Regnum. 126
Antimonium. . . . 87
Apafi Mich. I. Princ. 300
Apafi Mich. II. Princ. 315
Apafi Stephanus. . 281
Apátza. 444
Apis. 136

Apor

Apor L. B. Famil. . 520
Aphronitrum. . . 80
Aptera. 138
Apulensis Colonia. . 23
Apulus fluvius. . 23, 68
Aquæ. 62
Aquæ lapidescentes. 74
Aquæ minerales. . 74
Aquarum ductus. . 32
Aquar. vivar. Colonia. 20
Aquilea. 368
Arannyas fl. 68
Arannyas Sedes. . . 400
Arannyal-Verseugö. . 117
Arannyász. . . . 507
Arany-kút. . . . 20
Ára-pataka. . . . 444
Arbores. 103
Ardalu. 4
Ardaricus. . . . 369
Arena. 101
Argilla. 101
Argentum. . . 61, 91
Argirus. 16
Armalistæ. . . . 525
Armeni. 484
Armeniaca. . . . 105
Arpad. 376
Arsenicum. . . . 86
Asbestus. . . . 79
Asparagus. . . . 121
Atmosphæra. . . 52
Attila. . 367, 368, 372
Aurariar. Collegium. 27
Aurata Sedes. . . 400
Auratus fluv. . . 68
Auraria. 24
Aurelianus Imp. . 29
Aurum. . . . 60, 92
Austriaci Principes. . 315
Avares. . . 372-374
Avena. 113
Aves. 131
Awrud. 24

B.

Bábolna. 105
Balamir. 547
Bálintith L. Bar. . 520
Balassa Emericus. . 190
Bánffi L. B. Fam. . 520
Bánffi Com. Fam. . 519
Banfi Sigism. . . 283
Bánffi Dionys. 305, 308
Bánffi Georg. . . 313
Bánffi-Hunyad. . 569
Barassu. 446
Barones. 514
Baronum Familiæ. 520
Bardotz Sedes. . 90, 400
Barcia. 448
Barót fluv. . . . 72
Barolt. 444
Bartsai Acatius Princ. 290
Bartsai Caspar. . . 295
Bartsai L.B.Fam. 291, 520
Basta. 244
Básta szekere. . . 247
Báts. 370

Batho-

Báthori Andr. Princ. 247, 250
Báthori Steph. . . 183
Báth. Steph. Princeps. 225
Báth. Chriſtoph. Pr. 230
Báthori Sigiſ. Pr. . 231
Báth. Gabr. Princ. . 258
Bathori Sophia. . . 278
Bdela. 367
Békény fl. . . 62, 72
Bela I. Rex Hung. 151
Bela IV. Rex. Hung. 151
Belamber. . . . 365
Belladonna. . . . 118
Béldi Com. Famil. . 519
Béldi Paulus. . 303, 306
Bendeguz. . . . 366
Benkö Sam. . . . 112
Berobiſta. . . . 11
Bertſéni Nic. Com. 317
Beretzk Oppidum. . 414
Beſſenyö. . . . 450
Beſtertze fluv. . . 66
Bethlen Com. Fam. 519
Bethlen Gabr. Princ. 264
Bethlen Steph. Pr. . 269
Beth. Steph. junior. 273
Bethlen Greg. . . 313
Bethlen Nicolaus. . 313
Bethl. Catharina. . 314
Bethlen Cathar. . . 22
Bethlen-Szent-Miklós. 105
Betze. 105
Bibartzfalva. . 548
Bicilis. 14
Biculus. 14
Bihar mons. . . 68
Birthalbinum. . . 105
Biſztra. 93
Blaci. 475
Bleda. 367
Boëribiſta. . . . 11
Boitza. 93
Bojti Caſpar. . . 268
Borax. 81
Borgen-Wieſen. . . 249
Borgó. 51
Borнemiſza L. Bar. . 520
Bornemiſza Paul. 192, 225
Bornemiſza Anna. 301
Boralt. 444
Boros-Botſárd. . . 105
Bolgár-Barát. . . 500
Bona 7. Judicum. . 464
Botskai Steph. Princ. 253
Boves. 127
Bozza. . . . 51, 66
Bölön. 448
Branitska. . . . 536
Brandeburgica Catharina. . . 267, 269
Brankovan Fam. . 519
Bruckenthal Lib. Bar. Fam. 520
Bruckmann Ant. 56, 57
Brutus Hiſtoricus. 229
Bubalus. 127
Buda. 367

Pp Bugát

Bugát. 377
Bulgari. 497
Burtza fl. . . 65, 68
Butſum. 93
Büdös-hegy. . . 83, 85

C.

Calida aqua. . . 21
Calculus. 353. . 100
Campeſtris regio. 74, 107
Capitanei Siculor. . 418
Capra. 129
Caraffa Ant. . . 308
Carbo foſſilis. . . 85
Carolus M. . . . 374
Carolus I. Rex H. . 153
Carolus VI. Imp. . 322
Carolina Arx. . . 323
Carolina Via. . . 323
Carolina. . . . 22
Carpatus. . . . 50
Caſſia via. . . . 31
Caſtaldus. . . 214, 223
Caſtella. 32
Caſtellarii. . . . 32
Cath. Brandeburgica. 267, 269
Catalaunia. . . . 367
Cenſus Cathedraticus. 351
Ceraſa. 104
Ceveviſia. . . . 113
Chalcedonius. . . 79
Chaba. 369
Chagani. 372
Chaja. 374
Chani. 372
Chryſii fluvii. . . 66
Chryſolor. . . . 68
Cheneziatus. . . 566
Cibak Emericus. . 188
Cibin fluv. . . . 68
Cinnabaris. . . . 86
Cingani. 502
Citrulli. 110
Cives. 524
Claudiopolis. . . 23
Cluſæ. 541
Cobaltum. . . . 87
Cogeono. . . . 10
Coloniæ Romanæ. 17-27
Collia. 31
Collegium Aurariar. 27
Comites. . . . 513
Comitum Familiæ. 519
Comites Siculor. . 195
Comes Nationis Saxonicæ. 452
Conſcriptio religioſa. 472
Contributio. . 341-355
Contumacionales ſtationes. . . . 51
Coronenſes proſcripti. 262
Corvinus Joan. . . 177
Corvinus Matthias. . 154
Cos cotaria. . . . 79
Cotiſo. 10
Cotiſon. 466

Creca. 368
Creta. 101
Crocus auſtriacus. . 111
Csáki Com. Fam. . 519
Cserei Mich. 312, 320.
Csengi Zádé. . . 292
Cserna fl. 68
Csertes. 93
Csik Sedes. . 298, 400
Csik-Szereda Op. . 414
Csombord. . . . 105
Cumani. 391
Cundu. 375
Cunimundus. . . 372
Cuſſal. 377
Cuprum. 91
Czegenſis lacus. . . 75

D.

Daci. 6, 536
Dacia alpeſtris. . . 5
Dacia mediterranea. 5
Dacia ripenſis. . . 5
Dacorum Civitates. . 9
Dacorum idioma. 8, 536
Dacorum Reges. . 9
Darabant. 421
Darauſs. . . . 448, 449
Davi. 7
Daniel L. B. Famil. 520
Decebalus Dacor. Rex. 12
Dengezits. . . . 369
Denzik. 369
Dees-Akna. . . . 82
Dieterich L. B. Famil. 520
Dioſzegi L. B. Fam. 520
Diptera. 137
Diploma Leopoldinum. . . 312, 313
Dintzic. 369
Doblen fl. 66
Dobó Steph. . . . 191
Doboka Comitatus. 378
Dobra. . . . 51, 365
Dobronika. 117
Dohány. 110
Domini Terreſtres. 530
Dorna fl. 66
Dorpaneus. 12
Doſa Georg. . . 185
Draaſz. . . 448, 449
Duces Transſilvaniæ. 142, 163
Dujardin L. B. Fam. 520
Dupapiatra. 93
Durſak. 377

E.

Ebeni Steph. . . . 305
Egerbegy Oppidum. 68, 110
Egyházi Nemeſſek. . 522
Ellak. 368
Eleud. 375
Elias Moldavus. . 224
Epilobium Benkö-anum. 125
Equus. 128

Erdeel. 4
Erdély. . . . 3, 4, 37
Erdély Orſzág. . . 37
Erösd. 446
EſzterháziCom.Fam. 519
Ethele. . . 367 - 372

F.

Faba. 114
Fabrorum Collegium. 89
Fagaras Diſtrictus. . 378
Fagopyrum. . . 113
Falconarii. . . . 133
Falco gentilis. . . 133
Falkenſtein Frid. . 313
Fario. 75
Faſching Franc. . . 474
Fejér-nyikó fl. . . 72
Fekete ügy. . . 65, 77
Ferdinandus I. Imp. 221
Ferrariæ. 89
Ferrati Com. Fam. . 519
Ferrum. . . 61, 89
Feræ. 130
Ficaria. 117
Figura Transſilvaniæ. 44
Fluvii. 62
Fontes. . . . 32, 75
Forgáts Sigism. . . 475
Forum Siculorum. . 26
Foſſilia. 97
Földvári Com. Fam. 519
Fö Nemeſſek. . . 417
Fö Népek. . . . 417
Franc. I. Imper. . . 323
Frank Valent. . . 474
Fridváldſzky Jo. . 125
Frutices. 103
Fulkun. 446
Fulmina. . . . 57
Fundus Regius. . . 455

G.

Gagy fl. 72
Gallienus Imp. . . 29
Gelatinæ avenæ. . 113
Gejza. 377
Gemma nobilis. . 81
Gemina via. . . : 32
Georg. Martinuſius. 190, 223
Gepenek. 504
Gepidæ. 34
Gepidia. 34
Geum. 117
Getæ. 7
Gienel. 93
Gieſt. 444
Gogány. 9
Gordas. 371
Gothi. 34
Gothia. 34
Görgény fl. . . . 72
Görög Compania. 491
Granatus. . . . 81
Grando 57
Græci. 488
Grafen. 513

Gra-

Gratuita victitatio. 457
Gratuiti labores. . 456
Gróf. 513
Gyalu. 93
Gyéres. . . 68, 110
Gyergyó Sedes. . . 400
Gyejza. 377
Gyógy fl. . . . 73
Gyógyenses thermæ. 74
Gyöngyösi Steph. . 299
Györfi L. Bar. Fam. 520
Gypsum. . . . 79
Gyula. 376
Gyulai Fam. Com. 519
Gyulafi Ladisl. . . 324

H.

Hadnagyok. . . . 418
Hajdones. . 254, 572
Haller. Famil. Com. 519
Haller Ioan. . 307, 313
Hamelensis fabula. 433
Haner Jerem. . . 144
Háromszék. . . . 400
Hari. 536
Haritska. 113
Hartbach. . . . 72
Hastati Siculi. . . 420
Heisler. 310
Helenium. . . . 121
Helmintholithus. . 98
Helveticæ Conf. add. 472
Hemiptera. . . . 135
Henter L. B. Fam. . 520
Heraclius Imp. . . 374
Herbæ. 108
Herczegány. . . 93
Herdeelen. 4
Herman, Marchio Badensis. . . . 307
Hermány. . . . 90
Hetumoger. . . 375
Héviz. 21
Hidvég. 446
Hildeco. 368
Hildegunda. . . 368
Hinnus. 129
Hodos lacus. . . 75
Holcus. 114
Homagium. . . 586
Homonnai Valent. 256
Homoród fl. . . 71
Hortobágy fluv. . . 72
Hoszszuaszó. . . 105
Huba. 375
Humulus Lupulus. 121
Hungari. . 374 - 378
Hungarorum Comitatus. 378
Hung. lingva. . . 382
Hung. Vestes. . . 380
Hunno-Avares. 371-372
Hunni. . . 362-372
Hunugari. . . . 374
Hunyad. 89
Hunyad Comitatus. 343, 378
Hunyadi Joh. 177, 559 - -

Huszár L. B. Fam. . 520
Huszár Mich. . . 21
Huszti Andr. . . 474
Hydrargyrum. . . 86
Hymenoptera. . . 135

I & J.

Jassi. 390
Jászok. 390
Jászberiny. . . . 390
Ibraim Passa. . . 298
Ichthyolithus. . . 98
Islach. 475
Igen. 105
Ignobiles. . . . 527
Illia Andr. . . . 474
Illyefalva. . . . 414
Imrefi Joan. . . 259
Inclytus titulus. . 586
Indigenatus. . . 341
Inquilini. . . . 529
Insecta. 134
Insignia Transsilvaniæ. 38
Intzédi L. B. Fam. . 520
Ioan. Sigismundus. 212
Josephus I. Imp. . 318
Ioseph. II. Imp. 323, 326
Iosika L. B. Fam. . 520
Iosintzi L. B. Fam. 520
Iobbagiones. . . 527
Jobbágy. . . . 527
Iringus. 374
Irnach. 368
Isabella Regina. . 212
Ismahelitæ. . . . 391
Jubagio. . . . 527
Iudices Regii. . . 418
Iudices Sedis. . . 419
Jugurro. 374
Justinus Imp. . . 373

K.

Kába. 369
Kaganus. . . . 373
Kajanel. 93
Kájántó. 305
Kálnoki Com. Fam. 519
Kaltbach. . . . 72
Kapu szám. . 342, 346
Karaton. 366
Karolyi Com. Fam. 519
Károlyi Susanna. . 267
Karsz Király árka. . 373
Kassai Franc. . . 301
Kászon Sedes. . . 400
Kászon fl. . . . 72
Kátai Mich. . . . 255
Kemény Com. Fam. 519
Kemény L. B. Fam. 520
Kendeffi Com. Fam. 519
Keneziatus. . . . 566
Keresztes Fr. . . 283
Keresztes mező. . 12
Keresztur Opp. . . 414
Keresztur Sedes. . 400
Kerpenyes. . . . 93
Kézdi Sedes. . . 400
Király-Birák. . . 418

Kirtz.

Kirtz. 446
Kiſzily. 113
Klopativa. . . . 27
Kollar Ad. Fr. . . 158
Kollát pataka. . . 448
Kolos. . . . 82, 376
Kolosvár. 541
Korda L. B. Fam. 520
Kornis Com. Fam. 519
Koronka. . . . 536
Kováſzna. . . . 56
Kaváts Joan. . . 320
Kökényesdi Geor. . 306
Köleséri Sam. . . 92
Köpenyeg. 504
Körös. 56
Körös-Bánya. . . 93
Körös fl. . . . 66
Kövár Diſtrictus. . 378
Közép-Ajta. . 98, 107
Krakkó. 105
Kraſzna Comitatus. 378
Kun Com. Familia. 519
Kund. 376
Kunok. 391
Kunság. 391
Kurs. 372
Kurutz. 319
Kurutz világ. . . 319
Kutſuk Paſſa. . . 299
Küküllö Comitatus. 378

L.

Labontz. 319
Lacus. 74
Lapides numales. . 99
Lapideum Regnum. 78
Lapis ſerpentinus. . 79
Lápos fluv. . . 51, 69
Latitudo Transſilvaniæ. 48
Lázár Com. Fam. . 519
Lázár Joan. . . 324
Lázár-falva. . 83, 85
Leel. 376
Lehmannus. . . 317
Lengyel. 498
Lengyel-falva. . . 498
Leopoldus M. Imp. 318
Leopoldinum Diploma. . . 312, 313
Lepedös Tzigányok. . 503
Lepidoptera. . . 135
Liberi Baronatus. . 516
Libertini. . . . 527
Libertini Siculi. . . 421
Liget. 446
Linum. 114
Lithantrax. . . . 84
Loca Taxalia. . . 350
Locher Carol. . . 320
Lô-fö-Székely. . . 420
Lô-kötö-hely. . . . 421
Longvevalius. . . 317
Ludov. Marchio Bad. 312
Lutherani. . . . 472
Lutz fl. 72

M.

Magnates. . . . 513
Magnus Principat. 36, 41

Magor. 375
Magyar. 375
Magyar-Herepe. . 105
Magyar-Lapád. . 105
Magyarós. . . . 444
Majlát Steph. . . 190
Mala. 104
Malachites. . . . 91
Maltha. 84
Maltum. 113
Mammalia. . . . 127
Mappæ Geographicæ Transsilvaniæ. 45, 46, 550
Maria Thereſia. . 323
Marga. 101
Mar ſos. 62
Mariſcus. 62
Maris oculi. . . 75
Marmor. 78
Maros fl. 62
Maros Sedes. . . 400
Maros-Szereda. . . 414
Maros - Váſárhely. . . . 26, 414, 428
Marotus. . . . 376
Martinuſius. . 190, 223
Marus. 62
Maſſa-Getæ. . . 7
Mathematica Not. . 44
Matthias I. Rex Hung. 154
Maximinus . . 367
Medena . . . 17
Melittis 117
Melones 110
Mercurialis . . 117
Mercurius , 86, 87
Meriſcus. . . . 62
Meſzes. 107
Metalla. 86
Meteora. . . . 57
Metorea. . . . 31
Mezöség. . . 74, 107
Mica. 79
Michaël Valachus. 247, 252
Mikes Com. Famil. 519
Miklósvár. . . . 400
Mikó Com. Famil. 519
Mikó Nicol. . . 448
Mikoiana ſilva. . 107
Miles Limitaneus. . 52
Miles Matthias. . . 307
Milium. 113
Miriſzlóenſis pugna. 243
Miske L. Bar. Fam. 520
Mœringer L.B. Fam. 520
Montecuculi. . . . 297
Montes. 59
Moravi. 495
Moros. 62
Muager. 371
Mulus. 129
Mundzuchus. . . 366
Muria fontana. . . 82
Muria montana. . 82
Mykóltha. . . . 368

Nádas

N.
Nádas fl. 64
Nádas Gödre. . . 83
Nagy-Almás. . . 93
Nagy-Oklos. . . 105
Nalátzi L. B. Fam. 520
Nalátzi Steph. . . 303
Napocensis Colonia. 26
Napuca. 26
Narses. 372
Natrum fontanum. 80
Nationes Vnitæ. . 358
Nationes toleratæ. . 471
Nemere. 58
Nemes Com. Fam. 519
Nemes Com. Joan. 446
Neuroptera. . . 135
Nicetas. 366
Nicotiana. . . . 110
Nitrum. 80
Nobiles. . . 509, 521
Nobiles Nativi. . . 522
Nobiles Novitii. . 522
Noli tangere. . . 117
Nubiani. . . . 503
Nuszbach. . . . 444
Nyárád fl. . . . 68
Nyáras-patak. . . 446

O & Ö.

Observantes PP. . . 500
Ochra 101
Octar. 367
Ojtoz fl. . . . 66
Ojtoz. . . . 51, 79
Olá. 476
Olá-Barát. . . . 500
Olá-Lápos. . . . 86
Olá-Pián. . . . 93
Ólt. 65
Óltszeme. . . . 548
Ompoly. 23
Opitius Martin. . . 482
Oppida Nob. . . 583
Oppidani. . . . 590
Orbai Sedes. . . 400
Orbán L. B. Fam. . 520
Origanum. . . . 117
Ornitholithus. . . 98
Orosz. 497
Orosz-fája. . . . 497
Orosz-falu. . . . 497
Orosz-hegy. . . 497
Ostro-Gothi. . . 365
Otto Hung. Rex. . 152
Ound. 375
Ökör sütés. . . . 428
Örményes. . . . 95

P.

Pacinacitæ. . . . 390
Panicum. . . . 114
Pannodacia. . . 6
Papaver. . . . 114
Papóltz. . . . 56
Parajd. 82
Passus. 51
Pata. 27
Patavicensium vicus, 27

Patroissa. . . 22, 23
Peculium. . . . 455
Pelnitz Lib. B. . . 520
Pepones. . . . 110
Perendanesior. Colonia. 22
Pernyeszi Sig. . . 307
Persica. 105
Pestis. 53
Petovium. . 541—546
Petki Com. Fam. . 519
Petki Steph. . 297, 307
Petresan. 22
Petriusa. 23
Petrosz. 24
Petrus Moldavus. . 161
Peuce. 369
Phaseoli. . . . 114
Phialæ Jordanis. . 75
Philistæi. . . . 391
Physica Notit. Trans. 52
Phytolithus. . . . 98
Piligrinus S. . . 377
Piritske Passus . . 51
Pisa. 114
Pisces. 134
Pityóka. 110
Pixidarii Siculi. . 421
Póka. 544
Pókafalva. 544
Pojana. 93
Politica Cogn. Trans. 141
Pongrátz Joan. . . 183
Porkura. 93
Porta ferrea. . . 537
Posta. 456
Plebeji Siculi. . . 421
Plumbum. . . . 61
Prætoria Augusta. . 26
Prasmar. . . . 224
Prat de la Trajan. . 13
Pray Georg. . . 363
Prenanthes. . . . 117
Primipili Siculi. . . 420
Primores Siculi. . . 417
Principes Transsilv. 211
Prinyi L. B. Fam. . 520
Pruna. 104
Pumex. 100
Pyra. 104

Q.

Quarentena. . . 51
Quarzum. . . . 79

R.

Rabutin. 318
Radak L. B. Fam. . 520
Radna. . . 51, 89, 91
Rákóczi Georg. I. 272
Rákóczi Georg. II. 277
Rákóczi Franc. I. . 288
Rákóczi Fr. II. 288, 311, ... 316
Rakóczi Juliana. . 288
Rákoczi Sigism. . 256
Rákóczi Sig. . . 279
Rátzok. 500
Ravenna. . . . 368
Recca. 368

Re-

Reformati. . . . 472
Reges Hungariæ. . 145
Regna Naturæ. . . 78
Retkes. 98
Retyezát. . . . 75
Révai L. B. Fam. . 520
Rhédei Com. Fam. 519
Rhédei Franc. . . 289
Rika silva. . . . 107
Risigallum. . . . 86
Robottæ. . . . 533
Roma. 368
Romano-Catholici. 472
Rovatal. 342
Rubra turris. . . 51
Ruda. 93
Rudolphus Imp. . 241
Rugas. 367
Rugilas. 367
Russi. . . 497, 590

S.

Sabesus. 445
Sajo fl. 69
Sal. 82
Sal gemmæ. . . 82
Sal fossile. . . . 82
Salinæ. . . 23, 540
Sallamarum. . . 80
Sal purgans. . . . 80
Salomon. . . . 150
Samus fl. . . . 64
Samusius fl. . . 64
Saraceni. . . . 391
Sárd. 27
Sardiniensis Colonia. 27
Sárkány. 107
Sármás. 10
Sarmaság. . . . 10
Sarmis Rex. . . 10
Sarmizægethusa. . 10
Sarmitæ. 10
Sárpataki Mart. . . 303
Sauromatæ. . . . 10
Saxones. 429 - 471, 586
Scepusiensis Joan. 185
Schistus. 78
Schmeitzel Mart. . 474
Sclavi. 501
Sclopetarii. . . . 524
Sebes. 68
Sebus. 445
Sebeshely. . . . 89
Sebesi Franc. . . 283
Seeberg L. B. . . 520
Selago. 118
Selenites. . . . 80
Selyei Steph. . . 285
'*Sellérek*. . . . 527
Sepsi Sedes. . 400, 445
Sepsi-Szent-György. 414
Serbi. 500
Serédi Steph. . . 278
Sergidava. . . . 539
Servii. 500
Sexta Traiana. . . 23
Siculi. . . . 351, 389
Siculor. Comites. . 195
Siculor. fata. . 248, 295

Sicu-

Siculorum Sedes. . 400
Siebenbürgen. . . 3, 5
Sigismundus Imp. 153
Signatura boum. . 428
Silvania. 3
Sirbi. 500
Sirfi. 500
Siſarum. . . . 111
Sociniani. . . . 472
Solanum tuberoſum. 110
Sólyom. 133
Sorabi. 500
Stalactites. . . . 74
Stanitza. . . . 93
Stannum. . . . 88
Stibium. . . . 87
Stiborius. . . . 176
Strimba. . . . 66
Svates. 376
Svatoplugus. . . . 376
Sventopulcher. . . 376
Swentibaldus. . . 376
Sulyok Steph. . . 285
Szabólts. . . . 376
Szamos fluv. . . 64
Szalárdi Joan. . . 277
Szápolya Joan. 158, 185
Szegedi Joan. . . 144
Székaſzo. . . . 72
Székás. 72
Szék. 82
Székely. 396
Székely Com. Fam. 519
Székely Moſes. 242, 246
Székely bánnya. . . 248
Székely-támadt. . . 248
Szeménii. . . . 279
Szent-Imre. . . . 177
Szent-kereſzti L. B. Fam. 520
Szent-Páli. . . . 169
Szilágyi Mich. . . 183
Sztojka L. B. Fam. . 520

T.

Tabacum. . . . 110
Talcum. 79
Tan-Jó. . . . 363
Tarkö. . . . 62, 65
Tarnis. . . . 13, 22
Tartari. . . . 151
Tartarus. . . . 100
Tartuffel. . . . 110
Taſnád. 51
Tatari. 151
Tatárka. 114
Taxa Capitis. . . 354
Taxa Facultatum. . 355
Taxalia Loca. . . 350
Teleki S. R. I. Com. Fam. 519
Teleki Michaël. . 524
Tenger-ſzemek. . . 75
Theotinus. . . . 366
Theodo. . . . 374
Thermæ. . . . 74
Thira-Getæ. . . 7
Tholdalagi Com. Fam. 519

Thor-

ThordensisComitatus 378
Thraces. . . . 500
Thudunus. . . . 374
Thyssa-Getæ. . . 7
Tincal. 81
Toldi Com. Famil. 519
Topánfalva. . . 93
Tophus. . . . 100
Toplitza. . . . 93
Toppeltinus Laur. 474
Torda. . 58, 82, 105
Torja. . . 83, 85, 224
Torotzkó. . . . 89
Torotzkai Com. Fam. 519
Torotzkai L. B. Fam. 520
Tosu. 375
Tót. 501
Török-búza. . . . 113
Török-dohány. . . 110
Tömös. 51
Törtsvár. . . . 51
Tököli Emer. 309, 310
Trabant. . . . 421
Trajanus Imp. . 12, 15
Transsilvania. . . 3
Transsilv., Insignia. 38
Transsilvaniæ facies tristis. 245, 286, 296, ... 302, 306
Tresztia. . . . 93
Tres Sedes Sicul. . 400
Tributum. 204, 341-355 . . . 576 — 583
Trisedes. . . . 400
Triticum. . . . 112
Tuhutum. . . . 375
Turcæ. 201, 204, 374
Turfa. 101
Tusnád. 414
Tusnadensis lacus. . 75
Tzárá Erdélyászke. 4
Tzigány. 502

V U & Ü.

Vadas. 107
Uajda-Hunyad. 89, 569
Vaji L B. Famil. . 520
Valachi. . 28, 34, 474
Valamirus. . . . 466
Vár. 515
Várad. 51
Varchuni. . . . 372
Várhely. . . 19, 538
Vargyas fl. . . . 72
Vásárhelyi Joan. . 21
Veczel. . . 20, 538
Véczel. 448
Veczer. 549
Vegetabile Regnum. 102
Venti. 57
Vér Georg. . . . 305
Verbóltz. . . . 376
Vermes. 138
Veres-patak. . . 93
Veselényi L. B. Fam. 520
Véteráni Frid. . . 312
Véts. 543

Vice-Waivodæ. . . 195
Vicia. 114
Videnbach. . . 65, 68
Vidimirus. . . . 466
Viæ Romanæ. . . 31
Vina. 105
Vincentius Comes. 446
Viſa. 95
Viſmutum. . . . 87
Vitriolum. . . . 84
Vitzel 538
Vizakna. . . . 82
Volah. 476
Volmerium. . . 545
Udvarhely Opp. . 414
Udvarhely Sedes. . 400
Ugri. 374
Ulpia Traiana. . . 538
Ulpius Traianus. . 12
Ultraſilvania. . . 4
Ungari. 388
Ungri. 374
Unio Nationum. . 359
Unitæ Nationes. . 358
Unitarii. . . . 472
Uptar. 367
Urs. 376
Urſula. 368
Uturgur. 370
Uzus fl. 66
Ürmös. 444
Üveg-*ſzáru fü*. . . 117

W.

Waivodæ. . 168, 557
Walach. 475
Was Com. Fam. . 519
Wlach. 476
Wiſi-Gothi. . . 365

Y.

Yetani. 7

Z.

Zajkán. 51
Zalakna ſeu Zalatna. . . 22, 51, 87, 93
Zamolxis. . . . 9
Zápolja Joan. . . 185
Zárandenſis Comitatus. 378
Záſzlós Urak. . . 517
Zea. 113
Zeek. 448
Zek. 448
Zeidenſe nemus. . 107
Zermizirga. . . . 22
Zerneſt. 25
Zernenſium Colonia. 25
Zeugma. . . 23, 24
Zilah. 51
Zingari. . . 73, 501
Zingaror. Waivodæ. 506
Ziridana. . . . 26
Zigeuner. . . . 502
Zolyomi David. . 273
Zólyomi Nicol. . 306
Zomus. 64
Zoolithus. . . . 98
Zrini Helena. . . 288

Erra-

Errata. Corrige.

Pag. Linea.		Lege.
9 -- 17	*seq. adde:*	& Strabonis Geograph. Lib. 7.
13 -- 12	Dion Cretensis	Dio Cassius.
14 -- 18	habeat	habebat.
18 -- 9	alli	alii,
20 -- 21	redolentem	redolens.
21 -- 18	indefessè	indefessæ.
23 -- 1	quidem	quidam.
24 -- 18	locandum	locandam.
36 -- 23	Principalibus	Principalibusque.
37 -- 29	Agya falva	Agyag-falva.
50 -- 9	Moldaviæ *adde:*	&
52 -- 5	quam	quas.
53 -- 24	annone	annonæ.
61 -- 21	supra, *dele.*	
73 -- 1	solaturi	soluturi.
77 -- 24	patiatur	patitur.
78 -- 11	edito	edita.
83 -- 4	Paroch. nonnullis.	Parochis Receptarum Religionum.
90 -- 22	desundabant	desudabant.
94 -- 20	que	quæ.
102 -- 16	rusticolis	rusticulis.
112 -- 23	Mayz.	Mays.
117 -- 24	recepta	receptum.
120 -- 21	Odonites	Odontites.
121 -- 7	muscari	comosus.
125 -- 29	delectant	delectans.
148 -- 13	missa *adde:*	ut censent Scriptores à majori.
153 -- 13	ac	ab
162 -- 31	Valentino. *adde:*	Török.
172 -- 10	Gregarium	Gregorium.
174 -- 6	natus	nactus.
222 -- 20	Joannem	Joannam.
225 -- 24	faces	fasces.
233 -- 25	Enyed	Egyed.
235 -- 18	cum, *dele.*	
248 -- 19	subjicere	subjiceret.
251 -- 13	per, *dele.*	
254 -- 2	seculo	seculi.
255 -- 31	tumulatus	tumulatum.
256 -- 23	sepelli	sepeliri.
263 -- 31	haud, *dele.*	
ibid. -- 32	parvos	pravos.
264 -- 24	rita	rata.
271 -- 28	largitioribus,	largitionibus.
287 -- 16	200000	20000.
288 -- 20	1677	1676.
295 -- 10	Hungariam	Hungaria.
300 -- 9	Nagy-Falu	Nagy-Falva.
310 -- 3	1714	1713, 1. Febr.
328 -- 13	eligabantur.	eligebantur.
329 -- 8	segregatum	segregata.
342 -- 11	hodierno	hodierna.
350 -- 13	mactabila	mactabilia.
352 -- 8	1669	1663.
12	haud, *dele.*	
354 -- 25	Siculia, *adde:*	fermè.
357 -- 16	Confessionis	Confessioni

Errata. Corrige.

Pag.	Linea	Errata	Lege.
378	21	Opp 2	Opp. I.
	22	Opp 2	Opp. I.
386	12	sede	sed
395	15	excretas	excretos.
398	8	Pristandus	Pristaldus.
405	27	allii	alii.
	31	essentiaca	essentiam.
	32	vombula	vocabula.
406	19	Comitatum	Comitatuum.
408	5	Siculi	Scithuli.
	28	deberet	deberent.
409	8	Consvetudinarium	Consvetudinariarum.
	5	amittendus	amittenda.
	6	Anticuli	Articuli.
	19	seû	sed
	30	Siculorum	Nobilium.
412	20	Siculis	Siculi.
	25	conditus	condito.
413	30	Oppidanos, *adde:*	scilicet Taxales,
414	28	celebrandæ	celebranda.
	33	confirmatum	confirmatam.
416	21	ex sterint	exstiterint.
418	19	Sede, *adde:*	antiquissimis temporibus.
	23	Judiciariæ, *dele.*	
	30	inter	intra.
419	4	Sedriam	Sedem.
	17	stet	stent.
420	7	militabant	militabunt.
428	5	nemque	nempe.
425	17	quod	quoad
426	4	consvedo	Consvetudo.
430	21	quas	quâ.
483	24	Janus	sanus.
436	20	&	ea.
451	17	diversis	diversi.
452	15	adplicati	adplicata.
453	6	immo *adde:*	Valachi.
455	27	aboletus	abolitus.
460	6	simultatione	simulatione.
463	6	57	30.
	16	10	12.
	17	3 pagis Mil.	1 pago Militari
	21	16	46.
468	7	ambiens	ambientes.
486	20	Nationum, *adde:*	adepti sunt.
488	8	Episcopus Martonsius	Episcopo Martonsio.
491	20	dictu	dictum.
495	20	Quare	Quale.
500	13	Domicilia, *adde:*	seu habitationes
505	15	susos	fusos.
513	10	destingvunt	distingvunt
519	15	juræ	jure.
524	12	vanationibus	venationibus.
526	18	Nobitationem	Nobilitationem.
527	5	Opidani, *adde:*	Taxales.
	6	LXXVI	CLXXVI.

Correcta per Fran. Benkö m.p. K. Ajtae 1831. m. Julii

I u II
160 B 52 a

1

144724

NB.

1544. 45be 49be Frater György Váradi Püspök Erdély Locum
tenens – nn. a' Vajdák Mandatumokor adott ki – a' Donat.
level. Regestr. p. 510. 513. etc –

1548be Erdeőffi László Szilágyi Sófia – 's Görgény var
Commendantta kapitányképpen – Mand. adott ki – ugya
a Don. lev. Reg. szerint

Bayerische StaatsBibliothek
Münchener DigitalisierungsZentrum Digitale Bibliothek

Benkő, József, 1740-1814

Transsilvania Sive Magnus Transsilvaniae Principatus Olim Dacia Mediterranea Dictus. Orbi Nondum Satis Cognitus. Nunc Multifariam, At Strictim Illustratus
Bd.: 1,1

Vindobonae 1778

Res/Austr. 5468-1,1
urn:nbn:de:bvb:12-bsb10914654-6
VD18 90042077